DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

SUMMA FIDEI ORTHODOXÆ (Libri III, IV)

DIALOGION DE FIDE

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCIX





SUMMÆ

FIDEI ORTHODOXÆ

LIBER TERTIUS

DE VIRTUTIBUS TAM THEOLOGICIS QUAM CARDINALIBUS, DE EARUM DIVISIONIBUS AC PARTIBUS, DE VIRTUTIBUS EISDEM ANNEXIS, ET VITIIS CONTRA OPPOSITIS, DE DONIS ITEM AC FRUCTIBUS.

(Prosecutio)

ARTICULUS CLXXXV.

1. *Utrum fortitudo sit virtus.* 2. *An sit virtus specialis.* 3. *De materia ejus.* 4. *An sit solum circa timorem mortis.* 5. *An solum in rebus bellicis.* 6. *Utrum sustinere sit actus ejus præcipuus.*

DIV. THOM. SUMMÆ THEOL. 2ª 2æ, q. 123.

1. EXPEDITIS his quæ ad justitiæ contemplationem pertinere videntur, nunc de tertia virtute cardinali, scilicet fortitudine, fari oportet. Est enim fortitudo virtus, quia habentem perficit et opus ejus bonum constituit. Bonum autem hominis, secundum Dionysium, est esse secundum rationem. Ratio vero tripliciter perfici potest, videlicet : secundum se ipsam, et hoc fit per virtutes intellectuales ; secundo, per hoc quod rectitudo rationis in rebus humanis instituitur, quod per justitiam agitur ; tertio, secundum quod hujus rectitudinis impedimenta tolluntur. Voluntas autem dupliciter impeditur ne rationis rectitudinem sequatur : Primo, per hoc quod aliquid delectabile attrahit et illicit eam : quod impedimentum temperantia tollit, quæ delectationes sensuales coercet. Secundo, in quantum A aliquod difficile eam deterret : et hoc impedimentum auferre ad fortitudinem spectat. Ideoque est virtus.

2. Denique fortitudo dupliciter sumitur : Primo, pro quadam firmitate animæ; et sic est virtus generalis, vel potius cujuslibet virtutis conditio : nam ad virtutem pertinet firmiter et immobiliter operari. Secundo, accipitur pro firmitate animi in sustinendis et repellendis his in quibus firmitatem servare difficillimum est ; et sic est virtus specialis. Unde Tullius in B sua Rhetorica dicit : Fortitudo est considerata periculorum susceptio, ac laborum perpessio. Sæpe quoque nomen virtutis pro nomine fortitudinis sumitur.

3. At vero materia circa quam est fortitudo, est passio timoris, quam fortitudo cohibet, ne voluntas a censura rationis recedat ; et audacia, quam fortitudo moderatur, ne se homo periculis inconsiderate exponat. Fortitudo namque impedimenta rationis, secundum quod prædictum est, aufert : et sic est circa timorem, C qui retrahit. Et etiam fortitudo actum aggredi viriliter debet : et quoad hoc moderatur audaciam. Quod autem Gregorius ait : Fortitudo justorum est carnem vin-

cere, propriis voluptatibus contraire, delectationes vitæ præsentis exstinguere : dictum est de fortitudine quæ est virtus generalis.

4. Et quoniam timor mortis et periculorum quæ sunt circa mortem, maximus est, et hominem a sequela rationis summe impediens ; ideo fortitudo est circa timores mortis, ne homo propter eos a virtuosis actibus abstrahatur, sed propter bonum virtutis semper imperterritus stet. Et qui talis est, fortis vocatur ; non autem qui circa minora pericula constans est. Alii enim timores malorum moderantur per illas virtutes quæ ordinant amorem contrariorum bonorum, quoniam timor ex amore causatur : quemadmodum liberalitas, quæ moderatur amorem pecuniæ, ex consequenti moderatur timorem amittendi eamdem.

5. Præterea, quoniam fortitudo est circa pericula mortis ob justam causam non metuenda, ideo proprie est circa pericula mortis in bellicis rebus : nam pericula talia imminent homini propter aliquod bonum, videlicet quia defendit bonum commune. Pericula autem mortis ex ægritudine, vel fluctibus maris, seu occursu latronum, non videntur directe incumbere ex hoc quod aliquis bonum prosequitur. Bellum demum justum est duplex : unum generale, ut est pugna certantium in acie ; aliud particulare, sicut quum judex aut persona privata non desistit a recto judicio, timore gladii vel cujuscumque periculi, quamvis mortiferi. Fortitudo igitur contra utraque pericula animum roborat : et sic fortis bene se habet, non solum circa pericula mortis in bello, sed etiam cujuscumque alterius mortis, secundum quod homo propter virtutem illam non refugit : puta, quum aliquis non cessat infirmanti amico servire ob infectionem pestilentialem, vel quum non desistit ab aliquo opere pio prosequendo propter mortis periculum.

6. Porro fortitudinis est timores reprimere, et audaciam moderari ; sed timorem A reprimere difficilius est. Quum ergo sustinere sequatur ad repressionem timoris, aggredi vero ad moderamen audaciæ : constat quod principalis actus fortitudinis est sustinere ; et ipsa fortitudo præcipue versatur circa reprimendum timorem. Unde Philosophus dicit, quod tristia sustinendo maxime fortes dicuntur. Itaque sustinere est difficilius quam aggredi. Dicit enim Philosophus tertio Ethicorum : Quidam sunt prævalentes ante pericula, sed in ipsis deficiunt ; fortes autem contrario B modo se habent.

ARTICULUS CLXXXVI.

1. *Utrum fortitudo agat propter proprium bonum.* 2. *An habeat delectationem in suo actu.* 3. *An consistat maxime in repentinis.* 4. *An utatur ira.* 5. *An sit virtus cardinalis.* 6. *De comparatione ejus ad alias virtutes.*

1. FINIS insuper agentis est duplex, videlicet : Proximus, qui est propriam C similitudinem in alterum (scilicet passum) inducere : ut finis ignis calefacientis est calorem patienti imprimere. Alius est finis agentis ultimus, utpote bonum intentum consequens ex proximo fine. Sic ergo proximus finis fortitudinis est, ut sui habitus similitudinem exprimat in actu, quia intendit agere secundum convenientiam sui habitus ; finis vero remotus seu ultimus est beatitudo seu Deus.

2. Denique delectatio duplex est, scilicet corporalis, et animalis, quæ animæ D apprehensionem consequitur. Fortis ergo in suo actu, ex una parte habet unde delectetur, utpote in ipsa operatione virtuosa, et in consideratione finis sui actus. Sed ex alia parte habet unde contristetur, quoniam actus ejus præcipuus est sustinere adversa et tristia atque pœnalia, et in quantum considerat suæ vitæ terminum, quam naturaliter diligit, sibi instare : et sic dolet corporaliter et animaliter. Dolor autem sensibilis facit delectationem animalem virtutis non sentiri, nisi gratia

Dei abundans animam ad divina elevet in A quibus delectetur. Et ergo Philosophus ait, quod a forti non requiritur ut delectetur, quasi delectationem sentiens, sed sufficit ut non tristetur. Opera quippe virtutum quandoque ex sua natura sunt tristia; sed delectabilia semper sunt, præcipue propter finem, quemadmodum tertio Ethicorum habetur.

3. Sciendum quoque, quod fortitudo præsertim consistit in repentinis periculis occurrentibus, quantum ad manifestationem habitus : nam viriliter resistere ad- B versis improvise occurrentibus, signum est virtuosi habitus in anima radicati. Sed quantum ad electionem, quæ est in operatione fortis, sic fortitudo non est potissime circa repentina : eligit namque fortis præmeditari pericula, quatenus eis consultius obviet, quia secundum Gregorium, jacula quæ prævidentur, minus feriunt.

4. Præterea advertendum, quod de passionibus animæ Stoici et Peripatetici diversimode sunt locuti. Stoici enim dicebant eas ab animo sapientis omnino esse C excludendas; Peripatetici autem, quorum Aristoteles princeps est, passiones dicebant a virtuosis esse assumendas, sed ratione moderatas. Et forte quantum ad rem non differebant, sed solum in modo loquendi. Peripatetici namque omnes motus appetitus sensitivi, qualitercumque se habentes, passiones animæ appellabant : et ergo asserebant eas debere assumi ad actus virtutum, prout per imperium rationis moderantur. Sicque iram assumit fortis in actu suo, qui est aggredi dura, quia in- D strumentaliter adjuvatur per eam : nam ira insilit in adversa. Stoici vero vocabant passiones quosdam immoderatos motus seu affectus appetitus sensitivi : ideoque nominabant eas morbos seu ægritudines animæ. Et ob hoc dixerunt eas penitus virtuoso vitandas. Unde Seneca Stoicorum sectator, in libro de Ira, contradicit Aristoteli : Quid (inquiens) stultius est, quam ab iracundia petere præsidium? Nam ad omnia, non solum providenda, sed etiam facienda, per se sufficit ratio; nec debet a re incerta et infideli ac ægra, videlicet ira, opem requirere.

5. Præterea virtutes illæ cardinales seu principales dicuntur, quæ sibi præcipue vindicant quod communiter pertinet ad omnes virtutes. Sed firmiter agere est omnium virtutum quædam communis conditio : et hæc ad fortitudinem maxime pertinet, quia durissimis inconcusse resistit. Et idcirco est virtus cardinalis.

6. Considerandum etiam, quod tanto virtus moralis est dignior, quanto ad bonitatem hominis amplius confert ac pertinet. Bonum vero hominis est esse secundum rationem. Ideoque prudentia est præstantissima virtutum moralium, quia ipsa hoc bonum rationale essentialiter continet, quum sit rationis perfectio. Justitia autem est hujus boni operativa, quia ordinem rationis secundum dictamen prudentiæ in rebus constituit. Aliæ autem virtutes conservant hoc bonum, moderando passiones, ne rationem impediant. Et inter has fortitudo est maxima, quum sit circa timores mortis, qui rationem a rectitudine vehementissime abducere solent. Nam quum rationem impediant bonum delectans et malum affligens, gravius impellit dolor corporis quam voluptas : quia secundum Augustinum, nemo est qui non magis fugiat dolorem quam appetat voluptatem. Unde post fortitudinem temperantia ceteris dignior est, quoniam voluptates gustus et tactus animam vehementer impellunt a virtute recedere.

ARTICULUS CLXXXVII.

1. *De martyrio.* 2. *Cujus virtutis sit actus.* 3. *De perfectione martyrii.* 4. *De pœna ejus.* 5. *De causa quoque ipsius.*

1. MARTYRIUM denique est actus virtutis. Nam virtutis est ut per eam homo in bono rationis conservetur. Bonum vero rationis in veritate consistit tanquam in objecto, et in justitia sicut in Quæstio 124.

effectu. Quum ergo ad martyrii rationem pertineat, tempore persecutionis in veritate atque justitia insuperabiliter perseverare, patet quod martyrium sit actus virtutis. — De Innocentibus autem pro Christo occisis quidam dixerunt, quod in ipsis usus rationis miraculose acceleratus est. Sed quoniam hoc auctoritate Scripturarum confirmari non potest, melius dicitur quod martyrii gloriam, quam alii voluntate propria assecuti sunt, isti per Dei gratiam sunt adepti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit Baptismi. Unde quemadmodum pueris baptizatis meritum Christi operatur ad gloriam per gratiam baptismalem ; sic in occisis propter Christum, meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii obtinendam. — Actus autem martyrii, sicut et alii quidam actus virtutum, esse debet in homine secundum præparationem animi ; sed non debet aliquis alteri occasionem præbere male agendi.

2. Porro martyrium actus est fortitudinis, quæ hominem circa pericula mortis impavidum efficit. Quod in martyribus excellentissime prorsus emicuit, qui pro Christo, pro fide, pro justitia, usque ad mortem pugnaverunt quodam particulari bello, quoniam adversariis fortissime spiritualiter restiterunt ; et fortes facti sunt in bello per fortitudinem gratuitam, non autem naturalem sive civilem.

3. Denique de actu virtutis dupliciter loqui contingit. Primo, secundum speciem actus, prout comparatur ad virtutem actum immediate elicientem. Et sic martyrium non est perfectissimus inter actus virtutum, quoniam mortem sustinere non est laudabile secundum se, sed in quantum ad aliquod bonum ordinatur, videlicet ad dilectionem aut fidem : cujus virtutis seu boni actus est melior, quia est finis. Secundo, consideratur actus in ordine ad primum motivum, scilicet caritatem, quæ imperat actum. Et ita martyrium est omnium virtuosorum actuum perfectissimus, quia caritatem maxime demonstrat,

A et perfectionem caritatis summe ostendit, per hoc quod homo ex divino amore propriam vitam contemnit, et mortem spontanee eligit. — Cadit autem martyrium sub præcepto, non simpliciter, sed in aliquo casu, ut dictum est. Nullus est enim actus perfectionis sub consilio cadens, quin in aliquo casu cadat sub præcepto, secundum Augustinum : quemadmodum maritus ad continentiam obligatur propter absentiam infirmitatemque conjugis. Aliqui tamen sanctissimi martyres ex fidei zelo et

B supernæ caritatis fervore se ipsos sponte ad martyrium obtulerunt. Itaque martyrium secundum se perfectius est quam obedientia absolute accepta, quia per martyrium est homo usque ad mortem obediens.

4. Porro ad perfectam rationem martyrii requiritur mortis perpessio propter Christum. Martyr enim Græce, Latine testis vocatur. Unde ad martyrem attinet fidei christianæ perfectum testimonium exhibere. Est autem fides, quod propter invisibilia sint cuncta præsentia et visibilia

C contemnenda : sed quamdiu homini propria vita corporalis permanet, nondum opere manifestat se omnia visibilia spernere. Interdum tamen martyrium improprie et similitudinarie sumitur, pro quacumque magna afflictione in anima vel in corpore patienter suscepta.

5. Causa autem martyrii est veritas fidei : ad quam non solum exigitur mentis credulitas, sed exterior contestatio, sive per verba sive per opera sancta, quæ fidei exsistunt indicia. Et secundum hoc, om-

D nia virtutum opera in Deum relata, sunt quædam protestationes fidei, possuntque esse causa martyrii. Unde multorum celebrantur martyria, qui non immediate propter fidei confessionem, sed propter justitiam, quæ ex fide procedit, mortem perpessi sunt. Et quoniam omne mendacium est peccatum ; ideo vitatio mendacii, contra quamcumque sit veritatem, potest esse martyrii causa, in quantum videlicet mendacium est peccatum divinæ legi contrarium. Bonum quoque humanum, se-

cundum quod refertur ad Deum, martyrii A causa consistere potest.

ARTICULUS CLXXXVIII.

1. *An timor sit peccatum.* 2. *An contrarietur fortitudini.* 3. *An sit peccatum mortale.* 4. *An sit peccati diminutivus.*

Quæstio 125. 1. BONUM autem hominis est, ut secundum rationis regimen in omnibus gubernetur. Ab hoc autem deficit timor, non in quantum est passio, sed in quan- B tum est fuga alicujus prosequendi vel sustinendi inordinata, videlicet contra rationis dictamen. De timore autem et de speciebus ejus, et de his quæ ad ipsum pertinent, in præcedentibus satis prædictum est.

2. Elucescit quoque, quod timor, prout est inordinatio appetitus sensitivi aliquid formidantis, sit vitium fortitudini oppositum : et hoc verum est de timore præcipuo qui est circa pericula mortis. Sed timor inordinatus communiter sumptus, C in omni peccato includitur, sicut amor inordinatus ex quo ipse procedit. Nam quilibet virtuosus amat bonum suæ virtutis; et pariformiter vitiosus timet contrarium ejus quod diligit, ut intemperatus amissionem voluptatis, avarus perditionem pecuniæ. Quemadmodum autem spes est principium audaciæ, sic timor est desperationis origo. Amor vero, timoris est causa atque principium : nam nullus timet nisi contrarium ejus quod amat.

3. Denique inordinatio ista timoris qua D homo fugit quod secundum rationem fugiendum non est, quandoque est solum in appetitu sensitivo : et sic est veniale peccatum. Si vero rationis consensus adveniat, tunc est quandoque mortale, et interdum veniale peccatum : mortale quidem, quando voluntas propter timoris impulsum aliquid omittit vel agit præcepto seu caritati contrarium; si autem id non sit ad salutem necessarium, tunc timor esset veniale peccatum.

4. Porro ratio dictat quædam quibusdam amplius esse fugienda, videlicet mala animæ plus quam damna rerum, et malum corporis, scilicet percussionem, mortem et vulnera, plus quam amissionem divitiarum. Si ergo aliquis causa vitandi pejus malum, incidat minus malum, non peccat, sed timor eum excusat : ut si quis a latronibus captus, promittat dare pecuniam quatenus mortem evadat. Si vero ex timore minoris mali incidat majus malum, non penitus excusatur a culpa; sed tamen aliqualiter excusatur, quia timor minuit rationem voluntarii. Sic ergo timor excusat, non in quantum est inordinatus, sed prout est quædam imperfecta coactio.

ARTICULUS CLXXXIX.

1. *De intimiditate, quod sit peccatum.* 2. *Quod fortitudini contrarietur.* 3. *De audacia, quod sit vitium.* 4. *Quod fortitudini opponatur.*

1. TIMOR itaque ex amore causatur, et ergo de utroque est idem judicium. Quæstio 126.
Nunc autem est sermo de timore quo temporalia mala timentur. Sicut autem homo vitam, et ea quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt, naturaliter diligit, sic opposita horum naturaliter metuit. Ideoque de temporalis vitæ et temporalium rerum amissione penitus esse impavidum, est contra naturalem inclinationem atque peccatum, sive hoc veniat ex defectu amoris, sive ex elatione cordis, sive ex stoliditate mentis : quæ tamen stoliditas a peccato excusat, quando invincibilis est. Verumtamen, quoniam naturalis inclinatio omnino exstingui non potest, ideo a prædicto amore vitæ ac temporalium rerum nullus totaliter cadit. Unde Apostolus ait : Nemo unquam carnem suam odio habuit. *Ephes.* v, 29.
Imo et qui se ipsos occidunt, ex quodam suæ carnis amore hoc faciunt, quo se a præsenti angustia liberari desiderant. Aliqui vero ex animi sui elatione impavidi

sunt : nam ex præsumptione sui cordis æstimant nihil contrarium ipsis posse contingere.

2. At vero, quoniam ad fortitudinem spectat timorem atque audaciam moderari ; ideo intimiditas directe contrariatur virtuti fortitudinis secundum defectum timoris, quemadmodum timiditas propter excessum timoris. Nam ad fortitudinem pertinet timor moderatus, videlicet ut homo timeat quæ oportet, quando oportet, et quare oportet, etc., quia non qualitercumque fortis aggreditur vel sustinet, sed juxta rationis censuram.

Quæstio 127. 3. Insuper, passiones ordinantur quandoque ratione ; interdum autem carent rationis judicio, et sic sunt vitiosæ. Nomina quoque passionum quandoque sumuntur a superabundantia, sicut ira dicitur superabundans commotio. Et ita audacia ab excessu spei accipitur, estque peccatum. Quandoque tamen sumitur pro motu rationi subjecto : et sic sonat in bonum. Sciendum quoque, quod ex quo quædam virtutes et vitia propriis carent nominibus, ideo loco eorum nominibus utimur passionum. Et præsertim passiones quarum objectum est malum, accipi solent pro vitiis : sicut de ira, invidia, timore atque audacia patet. Passiones autem quarum objectum est aliquod bonum, ad designandum virtutes accipi consueverunt : quemadmodum de amore et spe constat.

4. Opponitur autem audacia fortitudini, quoniam immoderationem quamdam importat circa materiam fortitudinis, videlicet circa audaciam, quæ secundum quod est passio, per fortitudinem ordinatur.

ARTICULUS CXC.

1. *De partibus fortitudinis.* 2. *Utrum magnanimitas sit circa honores.* 3. *An sit solum circa magnos honores.* 4. *An sit virtus.* 5. *An sit virtus specialis.*

Quæstio 128. 1. FREQUENTER declaratum jam est, quemadmodum triplices partes assignari possint quibusdam virtutibus, ut- A pote subjectivæ, integrales, et potentiales. Fortitudo autem partes subjectivas, id est virtutes specie differentes, non habet, propter specialitatem sui objecti ; sed habet partes integrales, secundum ea quæ ad actum fortitudinis requiruntur, et potentiales, quæ convenientiam cum fortitudine sortiuntur. Est autem duplex fortitudinis actus, videlicet aggredi et sustinere. Ad aggressionem vero duo concurrunt, scilicet : præparatio animi prompta, et quoad hoc Tullius ponit fiduciam esse fortitudi- B nis partem ; et efficax ac indeficiens executio, et quantum ad hoc magnificentia est pars fortitudinis, secundum Tullium. Itaque, si fiducia et magnificentia coarctentur ad objectum fortitudinis, scilicet ad pericula mortis, erunt partes integrales fortitudinis ; sed si referantur ad alias materias minus difficiles, sic sunt virtutes ab ea distinctæ, annectunturque ei tanquam principaliori virtuti. Rursus, ad alium fortitudinis actum, qui est sustinere, duo concurrunt : primo, ne animus frangatur, C aut per tristitiam a sua magnitudine decidat propter imminentium magnitudinem periculorum, et sic ponitur patientia ; secundo, ne ex diuturna adversorum perpessione animus fatigetur aut cesset, et quoad hoc ponit Tullius perseverantiam. Itaque si hæc duo coarctentur ad materiam fortitudinis, sunt partes ipsius integrales ; si vero referantur ad quodcumque difficile, sic sunt virtutes ab ea distinctæ specifice, et adjunguntur ei sicut principali. Sic ergo, secundum Tullium, qua- D tuor ista, magnificentia, patientia, fiducia, et perseverantia, sunt fortitudinis partes seu modi. — Macrobius autem ponit septem : nam addit magnanimitatem et securitatem, quas Tullius sub fiducia comprehendit, et constantiam, quam Tullius sub magnificentia innuit. Securitas vero timorem excludit. Andronicus quoque peripateticus ponit septem species fortitudinis, quas aliis nominibus partim appellat.

2. Denique magnanimitas, ut ex nomine Quæstio 129.
ejus apparet, importat animi extensionem

ad magna. Virtus autem comparatur ad duo, videlicet ad objectum et actum; tamen principaliter refertur ad actum, quoniam habitus præcipue determinantur per proprios actus : unde proprie magnanimus dicitur, qui animum habet ad magnum actum. Actus vero dicitur magnus dupliciter, videlicet : Secundum proportionem : et sic dicitur actus magnus, quamvis consistat in usu rei mediocris aut parvæ, si homo re illa virtuose utatur. Alio modo, dicitur actus magnus absolute, utpote consistens in optimo usu maximæ rei. Res autem quæ in usum hominis veniunt, sunt res exteriores : in quibus honor est maximus, quia Deo et optimis exhibetur. Et sic aliquis magnanimus dicitur ex his quæ sunt magna absolute atque simpliciter : unde magnanimitas est circa honores. Honor autem habet rationem magni et ardui : et sic est magnanimitatis materia, quæ in vi irascibili ponitur. Nihilo minus, quum magnanimitas sit virtus moralis, nec pars justitiæ : ideo proximum ejus objectum est passio, scilicet spes, quæ tendit in arduum bonum; mediatum vero objectum est honor, qui est spei objectum. Magnanimitas demum est circa honorem, non quod homo virtuosus humanum honorem multum optet aut reputet, imo eum contemnere potest (sic tamen ut propter contemptum ejus nil inconveniens agat); sed magnanimus studet ea quæ honore sunt digna efficere.

3. At vero, sicut circa appetitum pecuniæ sunt duæ virtutes, videlicet liberalitas, quæ est circa mediocres et moderatas pecunias, et magnificentia, quæ est circa magnas pecunias; sic circa appetitum honoris sunt duæ virtutes : quarum una est circa mediocres honores, et ista proprio nomine caret; alia autem est circa magnos honores, et ista magnanimitas dicitur. Unde proprie magnanimitatis materia est magnus honor, et ad hoc magnanimus tendit quatenus ea faciat quæ sunt magno digna honore. Res enim exteriores, quamvis sint parvæ, tamen sunt multum appe-

A tibiles, tanquam ad vitæ sustentationem necessariæ : et idcirco circa illas sunt duæ virtutes; non autem circa ipsas passiones, quia in eis non est difficultatis magnitudo, nisi propter impetuosum earum impulsum. Unde quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius asserit, quod passiones adversus rationem compugnant. Intendit vero magnanimus magnos honores, sicut quibus est dignus. Sed quoniam virtus ab homine sufficienter honorari non potest, quippe cui a Deo honor debetur :
B ideo non extollitur ex magnis honoribus, nec reputat eos supra se : sed eos tanquam infra se spernit, nec dehonorationibus frangitur. Et ergo quarto Ethicorum habetur, quod magnanimus maximis se ipsum dignificat.

4. Porro, ad rationem virtutis humanæ spectat, ut in rebus humanis bonum rationis servetur. Hoc autem magnanimitas facit : et ergo est virtus. Nam magnanimus tendit ad maxima, sicut oportet, secundum rationis mensuram. — Quod autem
C virtutes dicuntur connexæ, non est intelligendum secundum actus virtutum, sed secundum earum principia, quæ sunt gratia atque prudentia. Sunt enim connexæ secundum habitus simul in anima exsistentes in actu, vel certe in dispositione propinqua. — Advertendum quoque, quod corporales motus variantur secundum variam apprehensionem affectionemque animæ. Unde Philosophus quarto Ethicorum ait, quod magnanimorum est motus lentus, vox gravis, et locutio stabilis. Velo-
D citas namque motus contingit ex eo quod homo ad multa intendit, et illa explere festinat. Quum ergo magnanimus ad maxima tendat, quæ pauca sunt, et attentione præcipua indigent; ideo tardum motum habet. Sed et acuitas velocitasque sermonis his convenit qui de omnibus cito contendunt. Magnanimus autem non nisi de magnis se intromittit. Istæ quoque conditiones seu proprietates conveniunt his qui naturaliter ad magnanimitatem dispositi sunt.

Sciendum denique, quod magnanimitas A nequaquam humilitati opponitur. Invenitur enim in homine aliquid magnum ex dono divino : et secundum hoc magnanimus se magnis dignificat : nam si magnam animi virtutem a Deo sortitur, ad perfecta opera virtutis procedit. Est etiam in homine quidam defectus ex infirmitate naturæ proveniens : et secundum hanc considerationem magnanimus humilis est. Dicit autem Philosophus, quod magnanimus alios spernit : quod intelligendum est secundum imperfectionem qua a vir- B tute deficiunt. Non enim alios tantum appretiatur, ut pro eis indecens aliquid operari dignetur. Unde de viro justo Scri-
Ps. XIV, 4. ptura testatur : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. Sed magnanimus alios veneratur in quantum dona Dei in ipsis intuetur : propter quod Scriptura
Ibidem. subjungit, Timentes autem Dominum glorificat. — Rursus, ait Philosophus, quod proprietates magnanimi sunt, non esse memorem beneficii præstiti, esse otiosum et tardum, uti ironia ad multos, aliis non C posse convivere, et quod magis possidet infructuosa quam fructuosa. Hæ autem proprietates, secundum quod magnanimo competunt, non sunt vituperabiles, sed superexcedenter laudabiles. Nam quod magnanimus dicitur beneficii immemor, intelligendum est quod vult majora recompensare, quia in omni actu virtutum vult superexcellere. Similiter otiosus et tardus vocatur, quoniam de parvis et ad se non pertinentibus neque decentibus non se intromittit, sed solum de magnis. Simili- D ter ironia utitur, non aliquid false proferendo, sed totam suam magnitudinem non demonstrando, præsertim inferioribus turbis. Quod etiam aliis perhibetur non posse convivere, optimum signum est, si bene intelligatur : nam familiariter vivere nequit nisi ad amicos, quia adulationem et simulationem penitus spernit et vitat, quoniam cor nobile habet : nihilo minus omnibus convivit congruenter ut oportet et digni sunt. Quod autem dicitur quærere infructuosa, ideo dicitur, quoniam non quærit nisi bona honesta, quæ per se bona sunt, quamvis utilitatem nullam inducant.

5. Insuper, magnanimitas est virtus specialis : habet enim speciale objectum, sicut ostensum est, scilicet honorem. Sed quoniam honor est omnium virtutum præmium, ideo ex consequenti magnanimitas omnes virtutes concernit, quoniam magnanimus in quacumque virtute magna operari festinat. Quia vero magnanimus ad excellentiam respicit, ideo secundum Philosophum, convenit ei quod est benefactivus et communicativus pluriumque retributivus, nec declinans a veritate atque justitia propter timorem ; nec est planctivus, neque commonentem se fugiens.

ARTICULUS CXCI.

1. *Utrum magnanimitas sit pars fortitudinis.* 2. *De comparatione magnanimitatis ad fiduciam.* 3. *De comparatione ejus ad securitatem.* 4. *De comparatione ipsius ad alia bona fortunæ.*

1. EST autem magnanimitas (secundum Macrobium et Andronicum) pars fortitudinis, quia adjungitur ei sicut principali virtuti. Convenit enim cum ea, in quantum animum roborat circa aliquid arduum ; sed deficit ab ea, quoniam facilius est servare medium in objecto suo quam in objecto fortitudinis, quæ est circa pericula mortis. Quandoque tamen accipiuntur pro eodem hæc duo. Unde Seneca dicit : Si magnanimitas, quæ est fortitudo, insit animo tuo, cum magna fiducia vives.

2. Denique nomen fiduciæ a fide imponitur. Ad fidem vero pertinet aliquid alicui credere. Unde fiducia importat robur spei, proveniens ex aliqua consideratione circa alium vel se ipsum, quæ vehementem opinionem inducit de aliquo bono consequendo. Quum ergo magnani-

mitas sit circa spem ardui boni, elucescit quia fiducia ad magnanimitatem pertineat. Nam fiducia modum spei designat : est enim spes roborata ex quadam firma opinione. Et sic fiducia proprie non nominat habitum virtutis, sed conditionem ipsius : et est pars fortitudinis integralis, quia ad actum ejus requiritur; non autem est virtus adjuncta, nisi pro magnanimitate sumatur, quemadmodum Tullius accipit eam.

3. Præterea timor facit homines consiliativos, in quantum videlicet curam habent quomodo ea quæ timent evadere queant. Securitas vero dicitur per remotionem curæ, quam ingerit timor; timor autem est materia propria fortitudinis : ideoque securitas ad fortitudinem pertinet. Quemadmodum autem spes est causa audaciæ, sic timor desperationis est causa. Sicut ergo fiducia in quantum audacia utitur, consequenter ad fortitudinem spectat, quamvis immediate ad magnanimitatem pertineat; sic securitas secundum quod desperationem repellit, ex consequenti magnanimitatem concernit. Securitas itaque est quædam conditio fortitudinis, estque quoddam præmium imperfectum virtutis.

4. At vero bona fortunæ ad actus virtutum organice, id est instrumentaliter, conferunt ac deserviunt. Nam per divitias, potentiam et amicos præstatur nobis facultas agendi. Magnanimus tamen bona fortunæ parum appretiatur, et idcirco de eorum amissione non multum tristatur. Propter quod Tullius primo de Officiis ait : Ad magnum animum attinet, ea quæ videntur acerba ita ferre, ut nihil a statu naturæ discedat, nihil a dignitate sapientis.

ARTICULUS CXCII.

1. *De præsumptione.* 2. *Cui virtuti opponatur.* 3. *De ambitione.* 4. *Cui virtuti contrarietur.*

Quæstio 130. 1. DENIQUE quæ secundum naturam fiunt, divina ratione ordinata consistunt. Debet autem ratio humana imitari

A divinam. Ideoque quidquid in ratione humana contingit contrarium naturali ordini rerum, peccatum est. Videmus autem in naturalibus, quod nihil ad ea conatur quæ propriæ virtutis proportionem excedunt. Quum ergo præsumptio sit, quod aliquis ea sibi assumit quæ suam virtutem excedunt, patet quod ipsa peccatum sit. Unde si homo, qui adhuc imperfectam virtutem habet, ea assequi statim conetur quæ ad perfectæ virtutis statum pertinent, præsumptuosus efficitur. Quamvis vero nihil
B boni sine Dei subsidio valeamus, tamen non omnia bona nostram potestatem transcendunt, quia quod per amicos seu alios possumus, aliqualiter per nos possumus, ut dicitur tertio Ethicorum.

2. Præterea virtus magnanimitatis consistit in medio, non ex parte objecti, quum tendat in maximum, sed secundum proportionem subjecti, qui in aliquid tendit secundum propriæ facultatis mensuram. Quum ergo præsumptuosus hanc commensurationem suæ potestatis supergredia-
C tur, claret quod præsumptio contrariatur magnanimitati secundum excessum hujus proportionis; non autem objecti, quia frequenter tendit in minora quam magnanimitas. Præsumptio quoque caritati, seu dono timoris opponitur, in quantum est peccatum in Spiritum Sanctum. Dicit autem Seneca libro de Quatuor virtutibus, quod dum magnanimitas suum modum excedit, efficit hominem minacem, inflatum, turbidum, inquietum, et in quascumque verborum factorumque excellen-
D tias, neglecta honestate, festinum.

3. Porro honor importat reverentiam Quæstio 131.
alicui impensam in testimonium excellentiæ ejus. Circa excellentiam vero hominis duo pensanda sunt. Primo, quod ipsa non est ab homine, sed a Deo : et ergo non homini excellenti, sed Deo principaliter honor debetur. Secundo, pensandum quod donum excellens homini ad hoc a Deo præstatur, quatenus homo per illud aliis prosit. Ideoque in tantum placere debet homini testimonium excellentiæ suæ, seu

honor impensus, in quantum sibi per hoc paratur via ad aliorum profectum. Unde honoris appetitus tripliciter fit inordinatus : primo, dum homo cupit testimonium de excellentia quam non habet ; secundo, quum honorem exhibitum vel optatum non refert ad Deum ; tertio, si non ordinet ipsum ad proximorum utilitatem. Quum ergo ambitio importet inordinatum honoris affectum, clarum est quod sit peccatum.

4. Et quemadmodum præsumptio magnanimitati opponitur secundum excessum proportionis humanæ virtutis ; sic ambitio eidem opponitur secundum excessum ratione materiæ seu objecti, quod est honor : quem magnanimus ordinate intendit, ambitiosus immoderate. Sciendum vero, quod honor dicitur præmium virtutis, non quod virtuosus pro præmio optet honorem, sed beatitudinem. Pro tanto autem dicitur præmium virtutis, quoniam alii nihil dignius habent quod virtuoso exhibeant, quam honorem : et sic non est sufficiens præmium. Dicit autem Tullius primo de Officiis, quod sicut quisque magnitudine animi excellit, sic maxime vult solus omnium princeps esse. Unde quum dignitati prælationis honor debeatur, qui dignitatem hujusmodi cupit propter honorem, est ambitiosus ; qui vero eam desiderat, non propter honorem, sed propter usum dignitatis idoneum suam facultatem excedentem, est præsumptuosus.

ARTICULUS CXCIII.

1. *An appetitus gloriæ sit peccatum.* 2. *An magnanimitati opponatur.* 3. *An sit peccatum mortale.* 4. *An capitale.* 5. *De filiabus inanis gloriæ.*

Quæstio 132. 1. GLORIÆ autem nomen claritatem quamdam designat. Ait enim Tullius in sua Rhetorica : Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Cui Ambrosius consonat : Gloria (inquiens) est clara cum laude notitia. Et Augustinus dicit, quod glorificari est clarificari. Claritas autem decorem habet et manifestationem : unde gloria manifestationem importat alicujus quod hominibus decorum videtur, sive corporale sit illud, sive spirituale. Quoniam vero quod simpliciter clarum est, a remotis atque a multis conspici valet, ideo gloria proprie est manifestatio decoris in plurimorum notitia et approbatione. Largius tamen sumitur gloria prout consistit in agnitione paucorum, vel unius, vel sui ipsius, dum quis proprium bonum considerat tanquam laude dignum. Proprium vero bonum cognoscere et approbare non est peccatum, quum dicat Apostolus : Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Sed neque peccatum est quod quis velit bona sua ab aliis approbari, quum Christus dicat : Luceat lux vestra coram hominibus. — Unde elucescit, quod appetitus gloriæ secundum se non nominat aliquid vitiosum ; sed vanæ gloriæ appetitus dicit aliquid vitiosum. Est autem gloria vana tripliciter : primo, ex parte rei de qua quis gloriatur vel gloriam quærit, utpote quum res talis est caduca et fragilis, nec gloria digna ; secundo, ex parte ejus a quo aliquis gloriam quærit, scilicet hominis, cujus judicium est incertum ; tertio, ex parte ejus qui gloriam quærit, videlicet qui eam non ordinat ad Dei honorem proximique salutem. Boni etenim viri per gloriam sibi allatam student in bonis perseverare, et propter testimonium laudis alienæ magis curant proficere. Debet namque homo curam habere de bono nomine, ne alios scandalizet, sed ut ejus occasione Deus honoretur et frater proficiat.

(I Cor. II, 12. Matth. V, 16.)

2. Porro gloria est effectus honoris et laudis : nam ex hoc quod aliquis honoratur vel laudatur, clarus in aliorum opinione efficitur. Magnanimitas vero, quum sit circa honorem, ex consequenti est circa gloriam, moderate utendo utrisque.

Quum igitur vana gloria sit immoderatus gloriæ appetitus, palam est quod magnanimitati directe opponitur. Magnanimi autem animo derogat, ut res modicas tantum appretietur, quod de eis glorietur. Unde quarto Ethicorum habetur, quod magnanimo honor parvus videtur. Repugnat quoque magnitudini animi, in testimonio laudis humanæ gloriari, quum hoc non sit magnum. Et ergo ait Philosophus quarto Ethicorum, quod magnanimo cura non est ut laudetur. Rursus, magnanimi animo obviat contentioni intendere. Non enim homo contendit, nisi pro re quam magnam æstimat. Patet itaque, quod licet vanæ gloriæ cupidus a magnanimo secundum veritatem deficiat, quia in minoribus falsisque gloriatur ; tamen opponitur magnanimitati gloria vana per excessum, secundum æstimationem ejus qui eam desiderat, quoniam gloriam quam cupit magni pendit, atque ad eam supra suam dignitatem tendit. Unde Tullius primo de Officiis adstruit : Cavenda est vanæ gloriæ cupiditas : eripit enim animi libertatem, pro qua viris magnanimis omnis debet esse intentio. Cui Chrysostomus consonat dicens : Inanis gloria occulte ingreditur, et omnia quæ intus sunt, insensibiliter aufert.

3. Denique inanis gloria non contrariatur caritati proximi : et ex hac parte non est peccatum mortale. Sed caritati Dei dupliciter contrariari potest. Primo, ex parte objecti, seu rei de qua aliquis gloriatur : ut si glorietur de eo quod non est ; aut bonum temporale in quo gloriatur, Deo præponat ; vel testimonium hominum Dei testimonio præferat. Secundo, ex parte gloriantis, qui intentionem suam finalem figit super gloriam vanam, in ea quiescens et ob ipsam opera virtutum exercens. His ergo modis est inanis gloria peccatum mortale. Si vero gloria sit inanis, non tamen caritati (quæ est animæ vita) directe contraria, non est mortalis. Unde Chrysostomus asserit : Cetera vitia locum habent in servis diaboli ; A sed vana gloria locum habet etiam in famulis Christi. Et Augustinus ait : Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit nisi qui ei bellum indixit : quia etsi cuiquam est facile laudem non cupere, dum negatur, difficile tamen est ea non delectari, quum offertur. Est autem inanis gloria valde periculosa : fit enim homo per eam præsumptuosus et de se nimis confidens, atque ad maxima mala proclivis.

4. Amplius, aliqui non vanam gloriam, B sed superbiam asserunt vitium capitale. Sed Gregorius superbiam omnium ponit vitiorum reginam, et inanem gloriam, quæ ab ea causatur immediate, vitium capitale fatetur : et rationabiliter. Superbia namque est inordinatus excellentiæ appetitus. Ex omni autem bono optato aliqua perfectio seu excellentia sequitur. Ideoque omnium vitiorum fines, in finem superbiæ ordinantur : propter quod generalem causalitatem habet super omnia vitia, nec computanda est inter specialia C vitiorum principia, utpote capitalia. Sed vana gloria vitium est capitale. Nam excellentiam homines maxime appetunt : ad quam potissime gloria conferre videtur, quum gloria sit manifestatio bonitatis alicujus. Ob bonitatem enim unumquodque honorabile est atque amabile. Unde propter adeptionem vanæ gloriæ multa fiunt peccata, quæ ex ea procedunt secundum rationem causæ finalis. Gloria quoque est finis honoris et laudis. Nam idcirco appetunt homines honorari atque laudari, qua- D tenus in aliorum notitia fiant præclari.

5. Itaque illa vitia sunt filiæ vanæ gloriæ, quæ ordinantur ad ejus finem, qui est propriæ excellentiæ manifestatio : quam aliquis dupliciter intendere potest, videlicet directe, et indirecte. Directe : vel per verba, et sic est jactantia ; vel per facta, sive vera et miranda, et sic est novitatum præsumptio, sive per ficta, et sic est hypocrisis. Indirecte vero intendit quis suam excellentiam, ostendendo se aliis non esse minorem, quadrupliciter : primo, quan-

tum ad intellectum, et sic est pertinacia, qua homo suæ sententiæ nimis innitens, alii credere spernit ; secundo, quantum ad voluntatem, et sic est discordia ; tertio, quantum ad locutionem, et sic est contentio ; quarto, quantum ad factum, ut quum homo superioris præceptum exsequi despicit, et sic est inobedientia. Hæc ergo prædicta, filiæ sunt vanæ gloriæ, secundum Gregorium. Jactantia tamen quantum ad suam causam, quæ est arrogantia, poni solet superbiæ species ; sed quoad finem suum est species vanæ gloriæ.

ARTICULUS CXCIV.

De pusillanimitate. 1. *An sit peccatum.* 2. *Cui virtuti opponatur.*

Quæstio 133. 1. SICUT autem præsumptio est peccatum, quoniam tendit in aliquid supra proprias vires ; sic pusillanimitas est peccatum, in quantum homo per eam deficit a proportione suæ potentiæ, recusans in id tendere quod suæ virtuti commensuratum atque possibile est. Et hoc ipsum est contra naturalem rerum inclinationem : nam unicuique naturalis inclinatio est ad propriam actionem suæ potestati proportionatam. Dicit autem Philosophus, quod pusillanimus non est malus, videlicet quoniam proximo nocumentum non infert, nisi per accidens, maxime si aliis præsit.

2. At vero pusillanimitas consideratur tripliciter. Primo, secundum se : et sic magnanimitati opponitur, sicut magno opponitur parvum. Secundo, consideratur ex parte originis, quæ est ignorantia propriæ conditionis quantum ad intellectum, vel timor deficiendi in his quæ erroneè suam facultatem transcendere putat : et quoad hoc opponitur prudentiæ et fortitudini. Tertio, consideratur quantum ad suum effectum, qui est se a magnis retrahere, quibus est dignus. Et advertendum, quod pusillanimitas, secundum propriam speciem, est gravius peccatum quam

A præsumptio : nam per eam recedit homo a bonis, quod est pessimum ; præsumptio autem dicitur esse nequissima, ratione superbiæ.

ARTICULUS CXCV.

1. *Utrum magnificentia sit virtus.* 2. *An sit virtus specialis, et de objecto ipsius.* 3. *An sit pars fortitudinis.* 4. *De vitiis sibi oppositis.*

B 1. VIRTUS insuper dicitur per comparationem ad ultimum in quod potentia potest. Quum ergo ad magnificentiam spectet aliquid magni operari, ut nomen ejus insinuat, constat quia est virtus. Dicit ergo Philosophus, quod oportet artis esse quamdam virtutem, puta moralem, per quam inclinetur appetitus ad recte utendum ratione artis. Hoc autem ad magnificentiam pertinet. Quæstio 134.

2. Denique magnificentia, ad quam pertinet aliquid magnum facere, specialis est C virtus, si facere proprie accipiatur, videlicet pro actione transeunte in exteriorem materiam. Opus enim factibile procedit ab arte : in cujus usu pensari potest specialis ratio bonitatis per quam ipsum opus est magnum, vel in quantitate vel in pretiositate seu dignitate. Et quantum ad hoc magnificentia specialis virtus exsistit. Si vero facere sumatur communiter pro quacumque actione, sive in ipso agente manente, ut sunt cogitare et velle, vel in exteriorem materiam procedente, ut uri, D secari ; sic magnificentia non est virtus specialis : nam ad quamlibet virtutem pertinet aliquid magnum efficere in suo genere. Quoniam autem ad magnum aliquid faciendum requiruntur magni sumptus ; ideo, secundum Philosophum, magnificentia est circa magnos sumptus, vel circa pecuniam, qua aliquis utitur pro sumptu faciendo.

3. Adjungitur quoque magnificentia fortitudini tanquam principali virtuti. Nam convenit cum illa, quia tendit in aliquid

arduum atque difficile : propter quod est A in vi irascibili, sicut et fortitudo. Deficit autem a fortitudine, quia objectum ejus est minus arduum quam fortitudinis objectum, in quo sunt pericula mortis ; in objecto vero magnificentiæ est tantum dispendium rerum. Liberalitas autem differt a magnificentia, quia est circa mediocres sumptus, ut dictum est. Unde subjectum ejus est vis concupiscibilis.

Quæstio 135. 4. Porro parvificentia magnificentiæ opponitur. Sicut enim magnificus primo et principaliter intendit magnum facere opus, B secundario vero magnos sumptus secundum quod illi ad opus suum necessarii sunt ; sic econverso parvificus principaliter sumptuum parvitatem intendit in comparatione ad genus operis quod facit, sed ex consequenti intendit parvitatem operis. Quemadmodum autem contingit sumptum deficere a debita proportione quoad genus operis intenti ; sic contingit sumptum esse in nimium per comparationem ad opus intentum. Unde parvificentiæ opponitur vitium secundum excessum, quod Latine dici potest consumptio. C

ARTICULUS CXCVI.

1. *Utrum patientia sit virtus.* 2. *An sit maxima virtutum.* 3. *An sine gratia possit haberi.* 4. *An sit pars fortitudinis.* 5. *An sit idem quod longanimitas.*

Quæstio 136. 1. VIRTUTES porro morales ordinantur contra passionum impulsus ac impetus. Quarum una est tristitia actum ra- D tionis multum impediens, de qua Scriptura testatur : Sæculi tristitia mortem operatur ; et denuo, Multos occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Est ergo aliqua virtus contra hanc passionem pœnalem necessaria : et hæc patientia dicitur. Quandoque tamen patientia ponitur fructus ; sed tunc non sumitur pro habitu, sed pro delectatione quæ consistit in actu quo quis præservatur ne a tristitia absorbeatur. (II *Cor.* VII, 10. *Eccli.* XXX, 25.)

2. At vero, quoniam virtutes ordinantur ad bonum, ideo virtutes quæ sunt constitutivæ boni, digniores sunt illis quæ impediunt ea quæ a bono abducunt : et sic virtutes theologicæ, justitia quoque et prudentia, sunt patientia meliores. Et iterum, quo aliquid rationem magis a virtute abducit, eo virtus illud auferens est præstantior. Quum ergo pericula mortis, et post hæc delectationes gustus et tactus, rationem magis impediant quam aliæ adversitates; idcirco fortitudo et temperantia patientiæ præeminent. — Dicimur autem in patientia possidere animas nostras : *Luc.* XXI, 19. nam possessio importat quietum dominium. Hoc autem per patientiam fit, quoniam ipsa evellit radicitus passiones adversitatum, quibus anima inquietatur. Unde secundum Jacobum, patientia habet opus *Jacob.* I, 4. perfectum, videlicet in tolerandis adversis : ex quibus primo procedit tristitia, quam moderatur patientia ; secundo, ira ; tertio, odium ; quarto, nocumentum : quæ omnia evitantur, dum in principio patientia adhibetur. Propter quod ait Gregorius, quod patientia est omnium virtutum radix et custos, non eas utique directe causando, sed prohibens removendo, id est impedimenta tollendo.

3. Agnoscendum quoque, quod vera patientia sine gratia haberi non valet. Pertinet enim ad patientiam, propter debiti finis amorem tolerare adversa : quod esse non potest nisi ultimus finis præ omnibus diligatur, quia nemo sponte sustinet quod cruciat, nisi propter amorem ejus quod delectat. Dolorem namque atque tristitiam animus naturaliter horret : ideoque nunquam eligeret ea pati, nisi propter amorem alterius quod amplius diligit. Amorem vero ultimi finis præferre præsentibus bonis, ex caritate (quæ sine gratia esse nequit) procedit.

4. Denique patientia est pars potentialis fortitudinis, quia adjungitur ei sicut virtus secundaria principali. Fortitudo namque est circa maxima adversa, quæ sunt pericula mortis, et circa timores eorum ;

patientia vero est circa reliquas adversitates, et circa tristitias, quas moderatur. Fortitudo autem est in irascibili ; sed patientia est in concupiscibili, ad quam pertinet, non utique adversa fugere, sed ea quæ præsentialiter nocent, æquanimiter ferre.

5. Insuper, longanimitas est per quam homo animum habet tendendi in id quod in longinquum distat. Unde longanimitas magis concernit spem, quæ tendit in aliquid absens, quam audaciam, timorem, vel tristitiam. Propter quod magis convenit cum magnanimitate quam cum patientia : cum qua tamen convenit propter duo. Primo, quoniam sustinet aliqua mala propter bonum : quod tanto difficilius sustinetur, quanto bonum longinquius exspectatur. Secundo, quia hoc ipsum quod est bonum speratum differri, ex se natum est causare tristitiam : nam spes quæ differtur affligit animam; et sic circa illud patientia esse potest, quemadmodum circa omnes tristitias. Est autem patientia, secundum Tullium, rerum arduarum, causa honestatis ac utilitatis, voluntaria ac diuturna perpessio.

Prov. XIII, 12.

ARTICULUS CXCVII.

1. *An perseverantia sit virtus.* 2. *An sit pars fortitudinis.* 3. *Quomodo se habeat ad constantiam.* 4. *Utrum indigeat auxilio gratiæ.* 5. *De vitiis illi oppositis.*

Quæstio 137.

1. RURSUS, secundum Philosophum, virtus est circa bonum et difficile : et ideo ubi invenitur specialis ratio bonitatis seu difficultatis, illic requiritur virtus specialis. Opus autem virtutis difficultatem ac bonitatem sortitur, tam ex specie proprii actus, qui est circa difficile, quam ex diuturnitate temporis : nam operi difficili diu insistere, specialem obtinet difficultatem. Unde usque ad finem actui bono intendere, ad specialem spectat virtutem : et hæc perseverantia appellatur. Sciendum tamen, quod immobiliter in ac- A tu virtutis persistere, ad quamlibet virtutem pertinet secundum comparationem habitus ad subjectum, in quantum virtus est qualitas difficulter mobilis. Sed immobiliter, et diu seu usque ad finem in bono persistere ex intentione finis, ad perseverantiam proprie pertinet.

2. Adjungitur autem perseverantia fortitudini, sicut virtus secundaria virtuti principali. Nam convenit cum illa in eo quod est firmiter in difficilibus perdurare ; sed deficit, quoniam non est circa tam B difficilia ut fortitudo, quæ est circa pericula mortis. Et est perseverantia in irascibili sicut et fortitudo ; moderatur quoque aliquas passiones, videlicet timorem fatigationis seu defectus propter diuturnitatem temporis. Interdum tamen perseverantia sumitur pro quadam firmitate rationis ac voluntatis.

3. Porro constantia ad eumdem finem ordinatur ac perseverantia. Sed constantia facit firmiter stare animum contra exteriora impedimenta ; perseverantia vero C persistere facit animum contra difficultatem quæ provenit ex diuturnitate ipsius actus. Unde constantia non est idem quod perseverantia, sed aliud atque inferius ea.

4. Denique perseverantia sumitur interdum pro ipso habitu virtuoso : et sic indiget dono gratiæ habitualis, quemadmodum virtutes infusæ. Quandoque autem accipitur pro actu perseverantiæ consummato, videlicet usque ad mortem durante : et sic indiget non solum gratia habituali, sed insuper gratuito dono Dei, animum D in bono usque ad finem conservante.

5. Opponitur autem perseverantiæ mollities, quæ de facili a bono virtutis recedere facit propter tristitias aut voluptates. Quæ mollities quandoque ex consuetudine oritur ; quandoque vero ex naturalis complexionis fragilitate : unde comparatur complexioni femineæ. Pertinacia quoque, secundum excessum proprii sensus, perseverantiæ contrariatur. Perseverans namque inhæret propriæ sententiæ sicut oportet; mollis, minus quam decet; pertinax,

Quæstio 138.

magis quam expedit : et sic perseverantia est virtus media inter prædicta vitia.

ARTICULUS CXCVIII.

1. *An fortitudo sit donum.* 2. *Quid ei in beatitudinibus et fructibus correspondeat.* 3. *De præceptis fortitudinis.* 4. *De præceptis partium ejus.*

Quæstio 139. 1. FORTITUDO quoque donum Spiritus Sancti exsistit. Movetur enim animus hominis a Spiritu Sancto ad hoc quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, atque cuncta evadat pericula : quod utique naturalem virtutem excedit, præsertim quum homo in ipsa morte a malis vinci et opprimi possit ; sed hoc Spiritus Sanctus agit in homine, perducens eum ad vitam æternam, quæ est ultimus finis, hujusque rei infundit cordi quamdam fiduciam contrarium timorem tollentem : et quoad hoc fortitudo est donum. Et differt a fortitudine quæ ponitur virtus : nam illa animum perficit ad quæcumque pericula sustinenda, sed dare non sufficit fiduciam evadendi quæcumque pericula. Propter quod donum fortitudinis ponitur : cujus actus in patria est perfrui plena securitate a malis atque laboribus. Nam dona Spiritus Sancti non habent eumdem actum nunc et in patria : quia in patria habent actum circa ultimi finis perfruitionem, in via vero circa materiam propriam. Dirigitur autem donum fortitudinis a dono consilii, quod præcipue est de melioribus bonis.

2. Denique Augustinus attribuit quartam beatitudinem, quæ est de fame ac siti justitiæ, quarto dono, videlicet fortitudinis, propter convenientiam mutuam, quia utrumque est circa difficile arduum. Duo quoque ponuntur inter fructus quæ dono fortitudinis correspondent, scilicet : patientia, quæ sustinentiam malorum concernit; et longanimitas, diuturnam exspectationem operum bonorum respiciens.

(Matth. v, 6. Galat. v, 22.)

Quæstio 140. 3. Præterea, quoniam fortitudo necessaria est ad hoc quod mens Deo inhæreat, ideo de fortitudine in nova ac veteri lege præcepta donata sunt. Scribitur enim in Deuteronomio : Non formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est. Et Jacobus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Et Matthæus : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Hæc autem præcepta inter mandata Decalogi non erant ponenda, propter rationem superius positam.

(Deut. xx, 3, 4. Jacob. iv, 7. Matth. x, 28.)

4. Insuper, dantur præcepta de virtutibus secundariis adjunctis principalibus cardinalibusque virtutibus, in quantum actus earum requiruntur ad necessitatem salutis. Unde de patientia et perseverantia, etc., præcepta traduntur. De magnificentia autem et magnanimitate non dantur præcepta, quoniam ad excellentiam pertinent perfectionis : unde de eis dantur consilia.

ARTICULUS CXCIX.

1. *An temperantia sit virtus.* 2. *An sit virtus specialis.* 3. *De objecto temperantiæ.* 4. *De regula ejus.* 5. *Utrum sit virtus cardinalis.* 6. *An virtutum potissima.*

1. NUNC de ultima virtute cardinali, quæ temperantia dicitur, disserendum videtur. Est enim temperantia virtus, quia inclinat hominem ad bonum, facitque actum ejus esse secundum rationem. Ipsa enim refrenat delectationum carnalium immoderationes. Quæstio 141.

2. Denique temperantia uno modo accipitur secundum communitatem significationis sui nominis, scilicet prout designat quamdam rationis temperiem seu moderationem : et sic non est virtus specialis, quia hoc commune est omni virtuti ut per eam ratio temperate se habeat. Secundo, accipitur temperantia secundum quod appetitum refrenat ab his quæ hominem maxime alliciunt : et sic est specialis virtus, specialem habens materiam. — Dicit autem Tullius primo de Officiis, quod decor potissime attribuendus est temperantiæ.

Cujus duplex est ratio. Prima, quoniam temperantia in quadam moderata ac convenienti proportione consistit : et in hoc ratio pulchritudinis sita est, secundum Dionysium. Secunda, quia refrenat ab his quæ homini secundum bestialem partem conveniunt, quibus homo maxime deturpatur : unde honestas eidem adscribitur. Dicitur enim honestas quasi status honoris, utpote nihil turpitudinis habens : quod in temperantia præcipue consideratur, quoniam ipsa opprobriosissima vitia aufert.

3. Præterea temperantia maxime consistit circa passiones in sensibilia bona tendentes, videlicet circa concupiscentiam et delectationem ; ex consequenti vero, circa tristitias quæ ex absentia talium bonorum contingunt. Unde temperantia est circa delectationes appetitus sensitivi concupiscibilis, sicut fortitudo circa passiones irascibilis. Motus autem passionum concupiscibilis consistit in prosecutione appetitus in sensibilia et corporalia, quæ rationi repugnant, non secundum propriam speciem (sic enim sunt quædam instrumenta animæ ad spiritualia ordinata), sed propter immoderantiam, prout appetitus tendit in ea contra rationis mensuram. Hanc ergo immoderationem temperantia tollere habet. Verumtamen, quoniam passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis, fuga quoque mali præsupponit prosecutionem boni : ideo temperantia directe modificat passiones concupiscibilis tendentes in bonum ; sed ex consequenti coercet omnes alias passiones, prout ad moderationem priorum sequitur moderantia posteriorum. Nam si quis ordinate concupiscit, consequens est ut ordinate speret, et de absentia rei concupiscibilis ordinate tristetur. Unde Tullius in sua Rhetorica ait : Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos animi impetus firma et moderata dominatio.

Porro, quemadmodum fortitudo est circa timores atque audacias, non quorumcumque, sed maximorum malorum, videlicet A periculorum mortis ; sic temperantia est circa delectationes et concupiscentias maximorum delectabilium, qualia sunt delectabilia tactus et gustus. Nam quum delectatio consequatur operationem connaturalem, tanto delectatio est major, quanto operatio est connaturalior. Sed operationes conservativæ speciei, videlicet tactus, operationes quoque conservativæ individui, scilicet gustus, sunt maxime connaturales. Ideoque delectatio consequens eas est maxima : et circa illam est temperan- B tia. — Advertendum quoque, quod in brutis non est delectatio in exterioribus sensibilibus, nisi in quantum ordinantur ad sensibilia tactus : sicut leo delectatur videns cervum, vel audiens vocem ejus, propter cibum. Sed in homine aliter est. Delectatur enim in actibus aliorum sensuum, non solum per relationem ad tactum, sed etiam secundum propriam convenientiam talium sensibilium ad sensum, sicut homo delectatur in cantu suavi : et hæc delectatio non ordinatur ad conservationem C naturæ, nec circa eam est temperantia per se.

At vero in delectationibus circa quas est temperantia, duo pensantur, videlicet : usus rerum, ut cibi vel feminæ ; et aliquid superveniens ipsum usum magis delectabilem reddens, puta ornatus decorque feminæ, et sapor ciborum. Temperantia itaque primo ac principaliter est circa delectationes quæ immediate sequuntur ipsum usum rerum necessariarum, quarum est usus in tangendo ; circa aliorum vero D sensuum delectationem est secundario, in quantum ad delectationem tactus cooperantur. Et quoniam gustus est tactui magis propinquus (dicitur enim quidam tactus), propterea temperantia magis est circa delectationem gustus quam aliorum sensuum.

4. Amplius, omnia delectabilia quæ in hominis usum deveniunt, et circa quæ temperantia occupatur, ad necessitatem aliquam vitæ præsentis ordinantur. Quum ergo media sint secundum exigentiam fi-

nis regulanda, palam est quod temperantiæ regula sumenda sit prout vitæ necessitas exigit : quatenus homo tantum istis tangibilibus utatur quantum vitæ necessarium est. Nihilo minus ultimus finis temperantiæ est vita æterna, quæ est potius finis operantis quam operis. Hæc autem necessitas vitæ, ad quam temperantia ordinatur, non solum attenditur secundum convenientiam corporis, sed divitiarum, officiorum et honestatis.

5. Insuper, virtus cardinalis vocatur in qua principaliter invenitur quod in omni virtute est laudabile. Moderatio autem in omni virtute laudatur atque requiritur : et hæc in temperantia specialiter commendatur, quoniam ipsa est circa delectationes quæ vehementer alliciunt naturalesque sunt, et diuturniores ipsa ira consistunt, quum sint ex causa intrinseca : ira vero ex causa extrinseca est.

6. Præterea fortitudo et justitia temperantiæ eminent, quia sunt circa bonum commune, et quoad alium ; temperantia vero est circa proprias concupiscentias coercendas. Prudentia quoque est dignior fortitudine atque justitia. Unde temperantia est virtutum cardinalium infima : nam et dignitas virtutum magis dependet ex bonitate objecti, quam ex difficultate ipsius.

ARTICULUS CC.

1. *Utrum insensibilitas sit peccatum.* 2. *An intemperantia sit vitium puerile.* 3. *De comparatione ejus ad timiditatem.* 4. *An intemperantiæ vitium sit maxime opprobriosum.*

Quæstio 142.

1. OMNE præterea quod naturali ordini est contrarium, vitiosum exsistit. Natura autem delectationem apposuit operationibus vitæ necessariis, scilicet gustus et tactus. Ideoque illam prorsus refugere malum est : et hoc ad insensibilitatem pertinet, quæ temperantiæ contrariatur. Verumtamen, interdum laudabile est a talibus delectationibus abstinere, non quasi per se malis atque vitandis, sed propter finem laudabilem, utpote propter agendam pœnitentiam, seu contemplationem puriorem : sic tamen ut non tantum caveantur, quod homo necessaria vitæ fastidiat sive omittat ; et moderandæ atque vitandæ sunt prout status uniuscujusque requirit.

2. Denique intemperantia puerile est vitium, propter similitudinem : quoniam intemperatus et puer in aliquid turpe tendunt, eo quod rationis usu non utantur. Etenim, secundum Tullium primo de Officiis, pulchrum est quod est consentaneum excellentiæ hominis, in eo in quo natura ipsius a reliquis animantibus differt. Secundo, puer et intemperatus conveniunt, quoniam quo uterque magis sibi relinquitur, eo amplius robur accipit propriæ voluntatis. Tertio : nam uterque sanatur per hoc quod coercetur atque frenatur. Unde Augustinus sexto Musicæ ait : Mente in spiritualia suspensa, atque ibi manente et fixa, carnalis concupiscentiæ impetus frangitur, paulatimque repressus exstinguitur.

3. Denique timiditas est minus peccatum quam intemperantia : Primo, ex parte materiæ, quia est circa ea quæ vitare difficilius est, puta mortis pericula. Secundo, ex parte peccantis. Nam timores magni et graves tristitiæ, quæ in periculo mortis potissime reperiuntur, vehementissime stupefaciunt hominem, et eum propriæ mentis impotem reddunt. Item, timiditas est minus voluntaria quam intemperantia, quum sit ab exteriori terrente et quasi cogente. Item, contra intemperantiam facilius est adhibere remedium quam contra timiditatem, quia non est tutum circa mortis pericula exercitari. Et sciendum, quod maximum remedium contra intemperantiam est non immorari circa particularium considerationem, quia intemperatus est magis involuntarius in communi quam in singulari. Potest quoque timiditas esse pejor quam intemperantia, secundum quod per eam aliquis deficit a defensione boni communis vel fidei.

4. Porro exprobratio opponitur honori, A qui debetur excellentiæ, et gloriæ, quæ claritatem importat. Unde intemperantia est maxime exprobrabilis propter duo : primo, quoniam maxime derogat excellentiæ hominis, quum sit circa delectationes nobis bestiisque communes ; secundo, quia potissime derogat claritati seu pulchritudini, eo quod in delectationibus carnis sit minimum de lumine rationis. Vitia ergo carnis, licet non sint maximæ culpæ, sunt tamen diffamiæ maximæ propter materiæ turpitudinem, secundum Gre- B gorium. Nihilo minus, quod dictum est de exprobratione intemperantiæ, accipi potest per comparationem ad vitia quæ non excedunt modum humanæ naturæ, sicut blasphemia, odium Dei, etc.

ARTICULUS CCI.

1. *De partibus temperantiæ.* 2. *Utrum verecundia sit virtus.* 3. *De quibus sit verecundia.* 4. *A quibus homo verecundetur.* 5. *Quorum sit verecundia.*

Quæstio 143. 1. ASSIGNAT præterea Tullius partes temperantiæ, continentiam, clementiam, modestiam. Macrobius autem super Somnium Scipionis, atque Andronicus, alias multas apponit. Itaque advertendum, quod verecundia, per quam homo refugit turpitudinem, et honestas, per quam amat temperantiæ claritatem, sunt partes integrales temperantiæ, quum sint quædam conditiones ad actum temperantiæ necessariæ. Sed partes subjectivæ seu spe- D cies temperantiæ sunt : abstinentia, quantum ad cibum ; et sobrietas, quantum ad potum ; castitas quoque, quantum ad delectationem in actu concubitus ; et pudicitia, quantum ad delectationes circumstantes in osculis, tactibus, atque amplexibus. Partes autem potentiales temperantiæ, id est virtutes ei adjunctæ, sunt : continentia, per quam non superatur voluntas ab impetu passionis ; et humilitas, quæ refrenat motum spei atque audaciæ inde nascentis ; mansuetudo quoque sive clementia, quæ iram constringit ; [modestia quæ motus corporales moderatur ;] et austeritas, qua homo se ordinat ne in colloquiis amicorum excedat. Sunt et aliæ partes quas omitto, quas Tullius sub modestia comprehendit.

2. Denique virtus dupliciter sumitur, vi- Quæstio 144. delicet : Proprie, prout est perfectio quædam : et sic, quod perfectioni repugnat, quamvis sit bonum, non tamen est virtus. Verecundia vero imperfectionem includit : est enim timor de turpi actu, secundum Damascenum. Objectum autem timoris est malum possibile et arduum, id est difficile ad vitandum ; sed qui habitum virtutis adeptus est, non apprehendit turpe tanquam difficile ad vitandum, quum sibi in promptu sit virtuose operari. Verecundia igitur proprie loquendo non est virtus, sed passio quædam laudabilis. Quandoque tamen virtus vocatur ; sed tunc virtus communiter sumitur pro omni illo quod in actibus passionibusque humanis C bonum est atque laudabile, quamvis non sit perfectum. Motus quoque verecundiæ non est ex electione, sicut motus virtutum, sed ex impetu passionis : est enim timor exprobrationis ac turpis rei ; et secundum Aristotelem, ipsa est medium inter inverecundiam et stuporem. Quamvis autem verecundia non sit virtus, tamen ex actibus ejus sæpe reiteratis acquiritur virtus, per quam homo virtuosus ita disponitur, quod verecundaretur si verecundiæ causa adesset, aut turpe aliquid sibi contingeret.

3. Porro turpitudo est duplex, scilicet : vitiosa, quæ est in actu peccati ; et pœnalis, quæ in vituperatione consistit. Prima autem turpitudo non habet rationem ardui mali, quia in sola voluntate exsistit ; sed secunda habet rationem mali ardui, sicut et honor rationem ardui boni. Ideoque verecundia primo et principaliter vituperium opprobriumque concernit, ex consequenti vero turpitudinem culpæ, in quantum vitio vituperium quoddam de-

betur. — Quod autem aliquis verecundetur ex improperiis quæ sibi occasione virtutum inferuntur, ex imperfectione virtutis contingit : nam exteriora bona et mala nondum perfecte contempsit. Et rursus, secundum Philosophum, quanto homo minus est causa rei turpis, tanto de illa minus verecundatur. Unde virtuosus nequaquam verecundatur propter opprobria sibi injuste illata, quemadmodum Isaias do-
Is. LI, 7. cet : Noli timere opprobrium hominum. Respicit quoque verecundia culpam dupliciter : Primo, ut homo ex verecundia cesset a culpa : quod secundum Gregorium Nyssenum, ad erubescentiam spectat. Secundo, ut homo in turpibus quæ operatur, publicos vereatur adspectus, ingloriationem incidere metuens. De operibus autem virtuosis secundum se consideratis non est verecundia, sed per accidens, in quantum reputantur ab aliis vitiosa, vel in quantum homo in illis timet notam præsumptionis aut simulationis incurrere.

4. Insuper, quoniam verecundia est timor vituperii ; ideo ab his amplius verecundamur quorum testimonium dignius reputatur. Tales vero sunt sapientes, et homines vitæ honestæ ; itemque conjuncti, et nobiscum diu conversati ; qui etiam facta nostra magis considerant. Magis quoque appetit homo ab his honorari qui eum valent juvare, et ab his potius verecundatur qui possunt nocere. Sed ab his qui cito propalant quæ noverint, ut sunt irrisores, præsertim verecundamur, secundum Philosophum secundo Rhetoricæ. Ab his vero qui simili malo subjacent, non erubescimus : non enim opinamur quod opus nostrum apprehendant tanquam turpe et malum, quamvis sit tale. Iterum, secundum Philosophum secundo Rhetoricæ, amplius verecundamur coram eis inter quos nihil mali fecimus : quia per hoc bonam opinionem quam de nobis habebant amittimus, et etiam quoniam contraria juxta se posita videntur majora. Unde quum homo subito aliquid turpe agit coram eis qui ante bene de ipso senserunt, apprehendit hoc ut turpius. Rursus, magis verecundamur ab illis a quibus de novo aliquid postulamus, propter impedimentum implendæ petitionis; et quorum nunc primo amici effici cupimus, propter impedimentum consummandæ dilectionis.

5. At vero virtuosi et senes verecundi non sunt, quoniam non apprehendunt turpe tanquam ad vitandum difficile : sunt tamen dispositi quod verecundarentur, si quid indecens operarentur. Item excæcati in malis non verecundantur, eo quod non reputent mala turpia esse : imo gloriantur in fœdis et pessimis. Sed in his qui se mediocriter habent, obtinet verecundia locum, in quantum aliquid de amore boni sortiti sunt, et a malo penitus depurati non sunt. Dicit autem Philosophus quarto Ethicorum, quod virtuoso vitanda sunt, non solum mala secundum veritatem, sed et secundum opinionem. Cui verbum Apostoli consonat : Ab omni specie mala abs- *Thess.* V,
tinete vos. Potest autem in virtuoso esse 22.
aliquis verecundiæ motus rationem præveniens. Patet itaque, quod verecundia, quamvis non sit virtus, est tamen virtutis dispositio maxima. Unde Ambrosius libro de Officiis : Verecundia, inquit, jacit prima temperantiæ fundamenta.

ARTICULUS CCII.

1. *De comparatione honestatis ad virtutem*, 2. *ad decorem*, 3. *ad utile et delectabile*. 4. *An sit pars temperantiæ*.

1. HONESTUM præterea idem designat Quæstio
quod virtus : dicitur enim honestas 145.
quasi status honoris ; et honestum, quod honore est dignum. Honor autem virtuti debetur sicut et honestati. Dicit autem Tullius : Honestum est quod propter se ipsum appetitur. Eorum vero quæ appetuntur propter se, quædam appetuntur solum propter se, ut beatitudo ; quædam autem et propter se et propter aliud, sicut virtutes. Unde virtutibus debetur laus secundum quod ordinantur ad aliud ; ho-

nor vero, secundum quod in se ipsis bonæ atque appetibiles sunt.

2. Amplius, sicut quarto capitulo de Divinis nominibus Dionysius innuit, ratio decori seu pulchri in quadam claritate ac debita proportione consistit : quemadmodum corpus pulchrum vocatur, cujus partes debito ordine sibi consonant, ac coloris claritate ornatæ sunt. Pariformiter, decor spiritualis vitæ est in actione bene proportionata secundum spiritualem rationis claritatem : hoc vero ad honestatem pertinet. Unde decorum et honestum coincidunt.

3. At vero honestum et utile ac delectabile sunt idem subjecto interdum, sed ratione semper distincta sunt. Nam ipsa operatio virtuosa, quum sit homini secundum rationem connaturalis, est delectabilis, et ipsa virtus est bonum utile, in quantum ordinatur ad aliud, scilicet beatitudinem ; sed ratione differunt. Dicitur namque honestum, quod habet excellentiam honore condignam propter pulchritudinem spiritualem ; delectabile autem, quia appetitum quietat (delectatio enim propter se ipsam appetitur) ; utile vero, quia refertur ad aliud. Sunt quoque alia delectabilia non honesta, videlicet sensibilia quædam. Unde delectabile habet se in plus, quam honestum vel utile.

4. Et quoniam præostensum est quod temperantiæ principaliter convenit pulchritudo seu decor, in quantum turpissimas et maxime opprobriosas delectationes repellit ; propterea honestas est pars integralis temperantiæ, quamvis ipsa temperantia sit pars subjectiva seu species honestatis communiter sumptæ, prout cum virtute coincidit.

ARTICULUS CCIII.

1. *An abstinentia sit virtus specialis.* 2. *An jejunium sit actus virtutis.* 3. *Cujus virtutis sit actus.* 4. *An cadat sub præcepto.* 5. *An aliqui ab hoc præcepto excusentur.*

QUÆSTIO 146. 1. INSUPER abstinentia, prout importat subtractionem ciborum secundum rationis judicium regulatam, virtus est ; et interdum pro actu virtutis accipitur. Unde Petrus apostolus ait : Ministrate in scientia abstinentiam, id est, exercete actum ejus non indiscrete, sed ordinate. — Est quoque abstinentia specialis virtus moralis. Nam virtutis moralis officium est, conservare bonum rationis adversus impetum passionum. Ubi ergo reperitur specialis causa ob quam passio a bono rationis abducit, ibi est specialis virtus. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem a bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum propter necessitatem ciborum, quos homo maxime cupit, eo quod ad vitæ sustentationem necessarii sint. (II Petr. I, 5, 6.)

QUÆSTIO 147. 2. Actus insuper ideo virtuosus vocatur, quoniam ad bonum honestum a ratione ordinatur. Hoc autem jejunio competit : assumitur namque propter tria præcipue, scilicet ad concupiscentias carnis reprimendas, ad liberiorem mentis contemplationem adipiscendam, et ad satisfaciendum pro culpis. Propter has ergo causas, rationabiliter aliquid naturali affectui seu statui communi subtrahitur. Non autem debet se homo jejuniis sic attenuare, quod natura conservari non possit, quia teste Hieronymo : Non differt utrum magno vel brevi tempore te interimas ; et de rapina holocaustum Deo offert, qui vel nimia ciborum egestate, vel somni penuria corpus immoderate affligit.

3. Est autem jejunium actus abstinentiæ, et proprie respicit cibum : quamvis metaphorice dici possit jejunium in aliis rebus nocivis, præsertim peccatis.

4. Denique jejunium in communi cadit sub præcepto naturæ. Tenetur enim unusquisque ex naturali jure tantum vacare jejunio, quantum ad prædicta bona est necessarium : hoc ergo jejunium naturæ dicitur. Determinatio autem temporis et modi jejunandi secundum congruentiam populi christiani, cadit sub præceptis juris positivi a prælatis Ecclesiæ institutis. Non tamen omnis qui jejunia Ecclesiæ

solvit, mortaliter peccat : sed qui sic ea A
solvit, quod finis propter quem instituta sunt, impeditur, vel ipsa Ecclesiæ auctoritas contemnitur, vel sine rationabili causa præceptum omittitur.

5. At vero statuta communia proponuntur prout multitudini convenit, et quod ut in pluribus expedit. Si autem quid in speciali casu occurrat, quod rationabiliter observantiæ legis repugnat, non intendit legislator ad observantiam obligare. Sic ergo de præcepto jejunii respondendum, quod omnes ad illud tenentur, nisi in B
ipsis speciale fuerit impedimentum. Quod si fuerit per se manifestum et evidens, potest homo proprio judicio præterire jejunium, præsertim consuetudine interveniente, vel si de facili habere non possit recursum ad superiorem ; si autem causa sit dubia, recurrendum est ad superiorem vim dispensandi habentem. — Agnoscendum autem, quod pueri quamdiu sunt in statu augmenti, quod usque ad tertii septennii finem durare solet, non sunt ad jejunandum obligati, nisi forte immi- C
nente præcipua tribulatione. Decet tamen ut interim se ad jejunandum exercitent, magis vel minus, secundum ætatis mensuram. Circa peregrinantes quoque et operarios distinguendum videtur. Si enim peregrinatio seu labor differri aut minui possit sine detrimento corporalis salutis exteriorisque status, qui ad conservationem corporalis seu spiritualis vitæ exigitur, non sunt propter hoc Ecclesiæ prætermittenda jejunia. Si vero incumbit necessitas statim peregrinandi, ma- D
gnasque dietas agendi, seu multum laborandi, nec simul possint jejunia observari, non tenentur jejunare, quia nec hoc fuit de intentione præcipientis legislatoris, ut propter jejunium piæ et necessariæ causæ impedirentur. Recurrendum tamen apparet ad dispensationem prælati, nisi consuetudo excuset. Similiter pauperes, si habent quod ad comestionem unam sufficit, non excipiuntur a præcepto jejunii.

ARTICULUS CCIV.

1. *De tempore jejunii.* 2. *An semel comedere requiratur ad jejunium.* 3. *De hora comestionis jejunantium.* 4. *De cibis a quibus abstinent.*

1. DENIQUE, secundum ostensa, jejunium ordinatur ad duo, videlicet ad deletionem peccati, et ad elevationem mentis in Deum. Ideo illis temporibus erant præsertim indicenda jejunia, quibus potissime actibus pœnitentiæ et devotionis seu elevationis in Deum occupari oportet. Hoc autem est ante solennitatem paschalem, et in ipsa ; in præcipuis quoque festivitatibus Sanctorum, et Quatuor temporibus, antequam sacri Ordines dantur. Est autem, secundum Augustinum, duplex jejunium, videlicet : Afflictionis, quod cadit sub præcepto, nec convenit diebus lætitiæ, puta tempori paschali et dominicis : in quibus qui contra consuetudinem Ecclesiæ jejunarent, non essent a peccato immunes. Aliud est jejunium exsultationis, quod pertinet ad spiritualia gaudia mentis in divina suspensæ.

2. At vero rationabiliter ordinavit Ecclesia in die jejunii non nisi semel manducandum : nam per hoc naturæ satisfit, et concupiscentiæ subtrahitur aliquid. Sciendum vero, quod jejunium aliud est naturæ : et hoc per quemlibet potum, etiam aquæ, dissolvitur ; et istud requiritur ad Eucharistiæ sumptionem. Aliud est jejunium Ecclesiæ : et hoc non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdicere jejunanti intendit. Non autem intendit Ecclesia prohibere potum sicut cibum : nam potus magis ad alterationem corporis digestionemque escarum spectat quam ad nutritionem, quamvis quodammodo alat. Et ergo licitum est jejunantibus pluries bibere. Si vero immoderate bibant, peccant, et meritum jejunii perdere possunt : sicut etiam si cibum in una comestione immoderate accipiant. Conformiter, electuaria non solvunt jejunium, nisi in frau-

dem in magna quantitate sumantur. Nam quamvis aliqualiter nutriant, non tamen propter nutrimentum, sed ciborum digestionem sumuntur.

3. Porro, quia jejunium ordinatur ad concupiscentiam refrenandam, ideo decet ut naturæ aliquid subtrahatur : non tamen multum, ne nimis debilitetur. Est autem sexta hora naturæ conveniens ad refectionem : quia tunc est completa digestio ; et iterum, quia tunc iterum natura indiget per cibum juvari contra exteriorem aeris intemperiem, seu calorem, ne humores interius comburantur. Ut ergo naturæ moderata fiat subtractio, deputata est hora nona refectioni jejunantium :
Matth. xxvii, 46. maxime quoniam Christus hora nona exspiravit, cujus passioni se jejunans conformat, dum carnem suam affligit. In veteri autem Testamento hora vesperarum assignabatur : nam illud Testamentum comparatur nocti, novum vero diei : et ergo nunc in die reficimur hora nona, vel circiter.

4. Adhuc autem, quia jejunium institutum est quatenus delectationes carnis, quæ in tactu et gustu præsertim consistunt, coerceantur ; propterea Ecclesia interdixit jejunantibus cibos qui gustui suavius sapiunt, atque carnis libidinem magis inflammant. Talia autem sunt carnes animalium in terra quiescentium ac respirantium, et illa quæ procedunt ex ipsis, utpote ova ex avibus, et lacticinia ex gressibilibus. Hujusmodi enim humano corpori amplius conformantur, et ergo vehementius ipsum nutriunt ac venereorum materiam præbent. — Advertendum quoque, quod ad generationem tria concurrunt, videlicet : calor, qui ex vino et aliis calefactivis multum causatur ; spiritus quoque, ad quem cooperantur inflativa, ut legumina ; et humor, quem carnes potissimum gignunt. Non autem interdicitur jejunantibus usus vini vel leguminum, quoniam alteratio caloris et multiplicatio spirituum cito pertransit ; sed substantia humoris diu manet, et ideo carnes inter-
A dicuntur. In jejunio autem quadragesimali tanquam solenniori, universaliter prohibentur ova et lacticinia : circa quorum usum in aliis jejuniis diversi diversimode habent se.

ARTICULUS CCV.

1. *Utrum gula sit peccatum.* 2. *An mortale* 3. *An gravissimum.* 4. *De gulæ speciebus.* 5. *An sit vitium capitale.* 6. *De filiabus ejus.*

B 1. GULA autem est inordinatus appetitus edendi atque bibendi : et pertinet ad appetitum sensitivum. Fames vero et sitis ad naturalem pertinent appetitum, qui respicit vegetativam animæ partem. Gula autem consistit, non in substantia cibi, sed in quadam inordinata concupiscentia ejus. Unde si homo in quantitate cibi excedat, non propter cibi concupiscentiam, sed arbitrans illud sibi necessarium esse, non pertinebit ad gulam, sed ad imperitiam quamdam. Sed illud solum Quæstio 148.
C gulam concernit, ut homo propter concupiscentiam cibi delectabilis, mensuram edendi scienter excedat.

2. Est autem gula peccatum mortale, quando inhæret homo inordinatæ concupiscentiæ propter se tanquam fini. Sic enim Deum contemnit, cui carnalem delectationem præponit, paratus Dei præcepta infringere, quatenus delectationes consequi possit. Si autem in vitio gulæ pensetur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, sci-
D licet quoniam nimis concupiscitur delectatio cibi, tamen sub Deo, sic esset veniale peccatum. Dicit autem Augustinus : Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata noverit pertinere. Hoc de primis motibus gulæ accipi potest. Sed de ipsa gula dicit Gregorius : Dominante gulæ vitio, omne quod homo fortiter egit amittit ; et dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes destruuntur.

3. Denique gravitas culpæ tripliciter

consideratur. Primo, ex parte objecti : et sic peccata contra divinas res sunt gravissima. Secundo, ex parte peccantis : et sic gula quodammodo alleviatur propter necessitatem cibos sumendi, difficultatemque discernendi et moderandi quid in talibus conveniat. Tertio, ex parte effectus : et sic quia ex gula varia vitia oriuntur, quamdam gravitatem sortitur. Non est autem simpliciter maximum vitium, quia secundum Gregorium, peccata carnalia minorem habent excessum, inter quæ gula locatur, quam spiritualia.

4. Porro quinque sunt modi seu species gulæ secundum Gregorium, qui ait : Quinque modis nos gulæ vitium tentat : quandoque enim indigentiæ tempora prævenit; quandoque lautiores cibos quærit ; aliquando quæ sumenda sunt præparari accuratius appetit ; quandoque in quantitate excedit ; interdum vero in ipso desiderii æstu. De quibus est versus :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Isidorus vero ponit quatuor modos, dicens : Gula excedit in cibo secundum quid, quantum, quomodo, quando. Nam primum et secundum sub uno includit. Corruptio namque diversarum circumstantiarum virtutis, facit semper diversas species peccatorum, dum circumstantiæ ipsæ habent diversa motiva.

5. Insuper, gula ponitur capitale peccatum : nam ex ea varia vitia nascuntur secundum rationem causæ finalis, utpote quæ ad finem ejus ordinatur. Est enim gula circa delectationes præcipuas sensitivas, quæ multum afficiunt et delectant.

6. Filiæ autem gulæ ex parte animæ, quadrupliciter accipiuntur. Primo, ex parte rationis, quæ per gulam hebetatur : et sic ponitur hebetudo sensus circa intelligentiam. Secundo, quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur ex immoderantia alimenti : et sic ponitur inepta lætitia. Nam omnes animæ passiones ad lætitiam et tristitiam reducuntur et ordinantur. Unde Esdræ tertio dicitur : Vi- (III *Esdr.* III, 18, 20.)

A num omnem mentem in jucunditatem et securitatem convertit. Tertio, quantum ad sermonem : et sic ponitur multiloquium. Quarto, quantum ad actum : et sic ponitur scurrilitas, secundum quod homo exteriores gestus cohibere non potest a jocularibus motibus. Ex parte quoque corporis ponitur immunditia filia gulæ : quæ immunditia potest attendi secundum emissionem quarumcumque superfluitatum, vel specialiter quoad seminis emissionem. Et sciendum, quod licet utilis sit vomitus B post comestionem superfluam, vitiosum est tamen ut se huic necessitati quis subdat per immoderantiam cibi aut potus. Verumtamen ex consilio medici vomitus sine culpa procuratur in languoris remedium.

ARTICULUS CCVI.

1. *De materia sobrietatis.* 2. *An sobrietas sit virtus specialis.* 3. *An usus vini sit licitus.* 4. *Quibus conveniat sobrietas.*

C

1. VIRTUTES præterea quæ a generali conditione virtutis nominantur, illud pro materia concernunt, in quo difficillimum est et optimum talem conditionem servare. Sobrietas autem a mensura nomen sortitur : dicitur enim sobrius, quasi *briam*, id est mensuram, tenens. Est autem difficillimum optimumque servare mensuram in potu : nam potus moderatus multum confert, et immodicus ejus excessus plurimum lædit, et magis quam cibi. D Unde Ecclesiasticus dicit : Sanitas animæ et corporis, sobrius potus. Et ergo materia seu subjectum sobrietatis est potus, non quicumque, sed qui sua fumositate cerebrum potest turbare. Quandoque autem sobrietas communius sumitur : et sic in aliis multis locum habet. (Quæstio 149.) (*Eccli.* XXXI, 37.)

2. Est quoque sobrietas virtus specialis, quoniam speciale impedimentum rationis concernit atque repellit.

3. Amplius, quum nulla creatura sit substantialiter mala, non est usus vini se-

cundum se illicitus, sed quandoque per accidens, vel propter votum, aut conditionem naturæ non potentis vinum sufferre, seu propter alios qui scandalizarentur. Dicit autem Hieronymus, quod vinum post diluvium cum carnibus est dedicatum ; Christus autem venit in fine sæculorum, et extremitatem retraxit ad principium : utpote docens a vino et carnibus abstinendum, non utique per modum præcepti, sed consilii, quoniam perfectionem impediunt, quamvis sine peccato accipi valeant.

4. At vero sobrietas, sicut et aliæ virtutes, comparari potest ad vitia et concupiscentias quas refrenat : et quoad hoc magis necessaria est juvenibus, in quibus est major concupiscentia propter fervorem ætatis, et mulieribus, in quibus est debilitas rationis, et ergo per insobrietatem cito falluntur. Unde secundum Valerium Maximum, mulieres apud antiquos Romanos vinum non potabant. Secundo, comparatur sobrietas ad finem ad quem perducit, qui est habere animum liberum atque in usu rationis potentem : et sic moderatio vini atque sobrietas eis potissime convenit qui alios verbo et opere docere habent, ut senibus, regibus atque episcopis.

ARTICULUS CCVII.

1. *An ebrietas sit peccatum.* 2. *An mortale.* 3. *An sit gravissimum.* 4. *An a peccato excuset.*

Quæstio 150. 1. PORRO ebrietas, uno modo, designat defectum seu impotentiam rationis ex immoderato potu causatam : et sic est potius pœna culpæ, quam culpa. Alio modo, nominat actum qui prædictum defectum inducit. Quod dupliciter accidit. Uno modo, ex nimia fortitudine potus seu vini præter opinionem bibentis : et ista ebrietas sine peccato est, si non oriatur ex
Gen. ix, 21. negligentia hominis ; et hoc modo Noe inebriatus fuit. Alio modo, contingit prædictus defectus ex inordinata concupiscentia et usu potus : et sic est peccatum, et species gulæ, quæ in comessationem ebrie-
A tatemque dividitur. Habet quoque ebrietas vitium sibi oppositum, quod ideo innominatum est, quoniam insensibilitas et species ejus non multum contingunt. Si autem aliquis alium invitet ad bibendum, quem noscit ex vino faciliter inebriari, peccato non caret.

2. At vero qui potum immoderate sumit, si advertat potum esse immoderatum, non tamen inebriare potentem, non peccat mortaliter, quamvis inebrietur. Si vero advertat potum esse immoderatum et
B inebriare potentem, et nihilo minus malit inebriari quam a potu cessare ; tunc si inebrietur, mortaliter peccat. Et talis proprie ebrius appellatur : quia moralia speciem sortiuntur ab eo quod per se est intentum. Qui enim sic inebriatur, volens et sciens se privat usu rationis. Unde mortaliter peccat periculo peccandi se committens ; et secundum Augustinum, assiduitas quoque ebrietatis facit eam esse mortalem. Rursus, cibus et potus moderandus est secundum quod competit va-
C letudini corporis. Unde si homo superflue potet de consilio medici, quatenus vomitum provocet quo purgetur, non peccat, nec reputatur potus superfluus : nec tamen ob hoc usque ad ebrietatem bibere indiget, quia aqua tepida vomitum causat.

3. Præterea, propter eamdem rationem qua paulo ante probatum est quod gula non est maximum vitium, nunc quoque valet ostendi quod ebrietas non est maximum peccatorum. Est tamen maxime cavenda, potissime clericis. Dicitur enim in
D Decretis, distinctione 35 : Ante omnia clericis vitetur ebrietas, etc. Et Chrysostomus asserit, nihil esse ita dæmoni amicum, quemadmodum est ebrietas atque lascivia : cujus ratio est, quia vitia ista sunt multum frequentia.

4. Amplius, ut dictum est, in ebrietate duo perpendi possunt, videlicet : Defectus rationis consequens actum ebriosum. Et iste excusat peccatum in quantum diminuit voluntarium : voluntas enim est causa peccati. Sed ex parte actus præceden-

tis, distinguitur. Si enim iste actus ex quo ebrietas orta est, sine peccato fuit, tunc ebrietas omnino a peccato excusat : et sic
Gen. XIX, 33-35. forte erat in Lot. Si vero ille actus fuit culpabilis, tunc non totaliter excusatur peccatum, quia actus præcedens efficit ipsum voluntarium, in quantum homo dedit operam rei illicitæ ; diminuitur tamen sequens peccatum, sicut et ratio voluntarii. Unde in libro contra Faustum dicit Augustinus, quod Lot culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit. Refert autem Aristoteles de quodam principe, qui statuit, ut ebrii si percuterent, plus punirentur quam alii, attendens videlicet magis ad utilitatem communem, quatenus injuriæ cohiberentur, quam ad veniam, quam oportet habere de ebriis eo quod non sunt compotes sui. Itaque ebrietas culpam excusat, non ideo quia ipsa est peccatum, sed ut dictum est.

ARTICULUS CCVIII.

1. *Utrum castitas sit virtus.* 2. *An sit virtus generalis.* 3. *An distincta sit ab abstinentia.* 4. *Quomodo habeat se ad pudicitiam.*

Quæstio 151. 1. CASTITAS autem ideo dicitur, quia per eam ratio concupiscentiam castigat, quæ, secundum Philosophum, ad modum pueri indiget refrenari. Unde patet, quod castitas sit virtus moralis. Exsistit autem subjective in anima ; materiam vero habet in corpore. Pertinet namque ad castitatem, ut homo secundum rationis judicium et electionem voluntatis utatur corporalibus membris ; nec potest per alterius violentiam tolli, si proprius desit consensus. — Dicit autem Augustinus in libro Contra Julianum, quod nec castitas nec aliqua virtus infidelibus inest, quia (secundum ipsum) virtutes, non officiis, id est actibus, sed finibus distinguuntur. Infideles autem non referunt actus suos ad debitum finem. Ponitur quoque castitas
Galat. V, 23. inter fructus, ad Galatas quinto, in quantum videlicet est delectabiliter operans.

A 2. Denique castitatem sumendo quemadmodum nunc sumpta est, sic est specialis virtus. Quandoque vero metaphorice sumitur pro quadam munditia quæ in spirituali conjunctione ad res divinas consistit : sicut et spiritualis fornicatio dicitur, quando mens creata conjungitur alteri rei, in qua inordinate delectatur, et contra debitum divini ordinis in aliquo figitur. Et sic castitas est generalis virtus : nam quælibet virtus retrahit mentem ne alicui vitiose inhæreat, præsertim
B tamen virtus theologica. Et quoniam concupiscentia puero assimilatur, ideo sicut puer, si suæ voluntati relinquatur, crescit in omni malitia, sic si concupiscentia relaxetur, fortissime invalescit et perimit.

3. Porro castitas, quum sit circa delectationes et concupiscentias venereorum, ab abstinentia differt, quæ est circa delectationes ciborum. Ordinatur quoque abstinentia ad actum castitatis.

4. At vero pudicitia a pudore accipitur. Et ergo est circa ea de quibus homo
C maxime verecundatur, quæ sunt actus venerei : nam genitalium membrorum motus imperio rationis non subditur, ut aliorum. Nec solum est verecundia circa ipsam mixtionem, sed et circa signa ipsius. Unde sicut castitas proprie versatur circa concubitum, sic pudicitia est circa signa ejus exteriora quæ magis deprehenduntur, quemadmodum impudici adspectus, amplexus, oscula, tactus. Itaque pudicitia ad castitatem refertur, non sicut virtus ab ipsa distincta, sed sicut quamdam ejus
D circumstantiam exprimens. Quandoque tamen unum pro alio sumitur.

ARTICULUS CCIX.

1. *In quo consistat virginitas.* 2. *An sit licita.* 3. *An sit virtus.* 4. *An sit matrimonio dignior, aliisque virtutibus.*

1. VIRGINITAS insuper a virore nomen accepit, eo quod virgo a concupi- Quæstio 152.
scentiæ adustione, quæ maxime est in ve-

nereorum consummatione, sit immunis. Unde dicit Ambrosius : Castitas virginalis est expers contagionis integritas. In delectatione autem venerea tria pensantur : unum, ex parte corporis, scilicet violatio virginalis signaculi ; secundum est in quo id quod corporis est, conjungitur cum eo quod est animæ, utpote resolutio seminis delectationem sensibilem causans ; tertium est ex parte animæ, puta propositum perveniendi ad delectationem hujusmodi. Quorum primum se habet per accidens ad moralem actum, qui secundum se non consideratur nisi secundum ea quæ animæ sunt ; secundum vero materialiter se habet ad actum moralem, qui est circa passiones sensibiles; tertium autem se habet completive atque formaliter, quia actus morales in ratione consummantur. Itaque membrorum integritas per accidens ad virginitatem se habet; immunitas autem a delectatione quæ est in resolutione seminis, materialiter se habet; ipsum autem propositum perpetuo abstinendi, formaliter. — Virginitas ergo essentialiter est in anima, quamvis in carne servetur et accidentaliter consistat, eo quod ex proposito continendi consequatur integritas carnis : quæ si per alium modum corrumpatur, videlicet causa medicinæ, aut per violentiam, non magis virginitati præjudicat, quam si manus incidantur vel pedes. Sciendum quoque, quod delectatio quæ ex seminis resolutione causatur, dupliciter potest contingere. Primo, ex mentis proposito : et sic tollit virginitatem, quamvis sine coitu fiat. Secundo, sine proposito, vel in dormiendo, vel propter violentiam, dum mens delectationi non consentit, vel ex infirmitate naturæ, ut in his qui fluxum seminis patiuntur : et sic virginitatem non aufert. — Est autem virginitas, secundum Augustinum, continentia qua integritas corporis ipsi Creatori animæ et corporis vovetur, consecratur, servatur. Et alibi : Virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis perpetua meditatio.

2. Præterea, omne ordinatum secundum A rationem est licitum. Exigit autem ordo, ut ea quæ ordinantur ad aliud, disponantur ut congruit illi ad quod ordinantur. Quum ergo bona corporis referenda sint ad bona animæ, præsertim ad vitam contemplativam : constat quod virginitas liceat, quoniam per eam sic caro regitur quemadmodum ad contemplationis perfectionem requiritur. Præceptum autem quod de generatione confertur, quum dicitur, Crescite et multiplicamini, non est *Gen.* I, 28. tale, quale est præceptum pertinens ad B conservationem suppositi. Pertinet enim ad speciem conservandam : ad quod tenetur ipsa multitudo, non autem quælibet pars multitudinis, quia et species conservari potest absque hoc quod singuli generent. Imo spiritualis propagatio non minus necessaria est quam carnalis. — Amplius, apud antiquos puniebantur qui perpetuo virginitatem servabant et cælibem vitam ducebant, ut refert Maximus Valerius. Unde Augustinus in libro de Vera religione narrat, quod Plato sacrificavit quatenus C ejus perpetua continentia tanquam peccatum aboleretur. Sed hoc ipsum Plato (teste Augustino) fecit, non quod putaverit virginitatem esse culpabilem, quam ipse solus apud antiquos amore contemplandæ veritatis servavit, sed quasi perversæ opinioni multitudinis cedens.

3. Elucescit autem ex his, quod virginitas sit virtus : nam concupiscentiam cohibet propter finem laudabilem. Imo, sicut se habet liberalitas, quæ est circa communem usum divitiarum, ad magni- D ficentiam, quæ est circa præcipuos sumptus ; sic se habet castitas, quæ ab inordinata delectatione venerea cohibet, ad virginitatem, quæ omnem veneream voluptatem repellit. Sciendum vero, quod virginitas secundum id quod in ea formale est, non est innata, sed ceteris virtutibus connexa, et per pœnitentiam recuperabilis, sicut et aliæ virtutes. Quod autem dicit Hieronymus, non posse Deum virginem post ruinam reparare, non est verum, nec quoad formale virginitatis, quod est

propositum animi, nec quoad integritatem corporis, quæ miraculose recuperari potest; sed quantum ad actum in quo ipsa voluptas consistit : non enim fieri potest, ut id quod fuit non fuerit, loquendo in sensu composito atque formaliter. Dicit autem Augustinus, quod virginitas non est virtus, quia virginitas, id est integritas; sed quoniam Deo dicata est firmo proposito.

4. Denique Jovinianus matrimonium virginitati præposuit, ut narrat Hieronymus. Quod penitus falsum est : præsertim exemplo Christi, qui virgo permansit, et matrem virginem præelegit; et quia bonum animæ præfertur bono corporis, bonum quoque vitæ contemplativæ bono vitæ activæ, et propagatio spiritualis carnali. Quod autem Augustinus matrimonium Abrahæ virginitati Joannis adæquat, verum est secundum præparationem animi Abrahæ, qui quantum in se fuit, paratus erat si Deo placuisset, virginitatem servare; et item secundum temporum distributionem. — At vero, virginitas ponitur summa virtutum, non simpliciter, sed in certo genere, utpote castitatis, propter singularem decorem. Præferuntur igitur virginitati virtutes theologicæ atque religio, martyrium quoque et religionis ingressus. Debetur autem virginitati fructus centesimus, respectu viduitatis cui debetur sexagesimus fructus, et castitatis conjugalis cui impenditur fructus tricesimus.

ARTICULUS CCX.

1. *De objecto luxuriæ.* 2. *An aliquis concubitus esse possit sine peccato.* 3. *An luxuria sit vitium mortale.* 4. *An capitale.* 5. *De filiabus ejus.*

QUÆSTIO 153. 1. QUEMADMODUM vero temperantia proprie est circa delectationes tactus, ex consequenti autem circa alias quasdam materias; sic luxuriæ propria materia sunt delectationes venereæ, secundario autem quædam libidines aliæ. Dici- A tur enim luxuriosus, quasi in voluptatem solutus.

2. Porro, Augustino testante, quod est cibus ad salutem hominis, quia ordinatur ad conservationem suppositi, hoc est ordinatus concubitus ad salutem generis : ordinatur enim ad conservationem speciei. Unde sicut usus ciborum est sine peccato, si ratione moderetur; sic usus venereus caret peccato, si debito modo ac ordine fiat, prout convenit fini generationis humanæ. Licet autem concubitus actui ratio- B nis atque virtutis repugnet, quia rationem ita absorbet quod nihil actualiter considerare valet; non tamen habitui contrariatur, sicut nec somnus. Propter quod ait Augustinus : Satis responsum est hæreticis, si tamen capiunt, non esse peccatum quod neque contra naturam committitur, neque contra morem, neque contra præceptum.

3. Præterea, sicut actus venereus est singulariter necessarius, sic maxime indiget mensurari moderamine rationis : et C per consequens est amplius vitiosum, si ordo rationis deseratur. Quum ergo luxuria modum et ordinem rationis excedat, patet quod sit peccatum.

4. Quumque finis luxuriæ sit delectatio venerea, quæ maxima est, et ergo præcipue appetibilis secundum sensum appetitivum; idcirco luxuria est vitium capitale, quia multa peccata propter eam contingunt : et hæc ex ea causantur secundum proprietatem causæ finalis.

5. Adhuc autem, quia appetitus concu- D piscibilis per luxuriam summe afficitur ad suum objectum, ideo luxuria maxime impedit actum rationis ac voluntatis. Sunt vero quatuor actus rationis in agendis. Primus est simplex intelligentia, qua aliquid apprehenditur tanquam finis et bonum : et hunc luxuria impedit : unde quoad hoc, filia ejus ponitur cæcitas mentis. Secundus actus est consilium : et in quantum luxuria hunc impedit, ponitur præcipitatio filia ejus. Tertius actus rationis est judicium de agendis, quem etiam

luxuria impedit : et secundum hoc inconsideratio ponitur filia ejus. Quartus actus est præceptum rationis de agendis, quem quia luxuria impedit, ponitur inconstantia filia ejus. Ex parte quoque voluntatis, consequitur duplex inordinatio hominis ex luxuria : et sic filia luxuriæ ponitur amor sui, in quantum se homo inordinate intendit; et odium Dei, in quantum concupiscentiam prohibet. Isidorus autem ponit quatuor quæ consequuntur luxuriam, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia.

ARTICULUS CCXI.

1. *De divisione partium luxuriæ.* 2. *Utrum fornicatio simplex sit peccatum mortale.* 3. *An sit maximum peccatorum.* 4. *An in tactibus, osculis, etc., consistat peccatum mortale.* 5. *An pollutio nocturna sit peccatum.* 6. *De stupro.*

QUÆSTIO 154. 1. SPECIES autem luxuriæ sunt : peccatum contra naturam, per quod impeditur generatio prolis; et fornicatio simplex, quæ contrariatur debitæ educationi promotionique genitæ prolis, et hæc est commixtio soluti cum soluta; incestus quoque, qui est cum muliere affini vel consanguinea, cui non exhibetur debitus honor; adulterium, quod est cum muliere quæ est in potestate viri; et stuprum, quod est cum muliere exsistente sub potestate patris, dummodo non inferatur violentia; si enim infertur, sic ponitur raptus. Sex ergo sunt species ipsius luxuriæ : quæ omnes in quodam inordinato usu mulieris consistunt. Concubitus vero qui est cum femina religionem et castitatem professa, sacrilegium et spirituale adulterium dicitur, et ad speciem adulterii reducitur, quia femina talis quoddam cum Deo matrimonium fecit.

2. Denique omne peccatum quod directe contra vitam hominis committitur, est mortale. Tale vero est fornicatio simplex. Repugnat enim bono prolis gignendæ, A quod in debita informatione et educatione ac promotione consistit : ad quod requiritur longa cohabitatio maris et feminæ, et non vagus concubitus, sed determinatus, utpote certæ personæ ad certam. Unde in animalibus quorum educatio dependet ex patre et matre, non est concubitus vagus, sicut in avibus cernitur; sed secus est in his quorum fetus ex sola matre fovetur, ut in canibus patet. His quoque non obstat si aliquis fornicator proli provideat, aut mulieri cohabitet. Nam quod B sub lege cadit, judicatur et determinatur secundum id quod in pluribus accidit, non autem secundum id quod in certo casu contingere potest. Ideoque fornicatio simplex sine omni dubitatione est mortale peccatum.

3. Insuper, gravitas culpæ dupliciter potest attendi, videlicet per se, et per accidens. Per se illud peccatum est gravius, quod ex ratione sui actus majus bonum aufert. Unde fornicatio gravior est peccatis per quæ exteriora bona tolluntur, ut- C pote furto, rapina, etc.; sed minus peccatum est quam peccata quæ sunt directe contra Deum, vel vitam hominis jam exsistentis, ut blasphemia, homicidium : est namque fornicatio contra bonum prolis gignendæ, quod est bonum humanum venturum.

4. Agnoscendum quoque, quod aliquid dicitur peccatum mortale ex sua specie. Et sic amplexus, oscula, tactus, non habent rationem culpæ mortalis : possunt enim absque libidine fieri, vel propter D consuetudinem patriæ, aut rationabilem causam. Secundo, dicitur aliquod peccatum esse mortale ex sua causa : ut si quis det eleemosynam quatenus alium inducat ad hæresim, propter intentionem corruptam mortaliter peccat. Quum ergo non tantum consensus in actum fornicationis, sed etiam in ipsam delectationem, sit peccatum mortale; hinc tactus et oscula sunt culpæ mortales, quando propter delectationem hujusmodi fiunt : sic enim et non aliter libidinosa vocantur.

5. Amplius autem, pollutio nocturna dupliciter consideratur. Uno modo, secundum se : et sic non est peccatum, quum careat rationis judicio. Nam omnis dormiens intendit imaginibus rerum tanquam ipsis rebus, et ita decipitur. Imo primi motus sensualitatis non sunt culpabiles, nisi in quantum per rationem reprimi valent. Alio modo, consideratur pollutio nocturna per comparationem ad suam causam, quæ triplex est, scilicet : Corporalis, consistens in superfluitate humorum, ex qua causantur in dormiente phantasmata ad talium humorum expulsionem spectantia. Si ergo hæc causa sit ex vitio præcedenti, puta immoderantia cibi, tunc pollutio est culpabilis propter causam suam : aliter non erit culpabilis. Secunda causa pollutionis nocturnæ est causa animalis et interior : ut quum ex præcedenti cogitatione dormiens phantasiando polluitur. Præcedens autem cogitatio interdum est pure speculativa : ut quum quis de actibus carnis gratia disputationis cogitat : et tunc non efficit pollutionem culpabilem. Sed si sit cum affectione quadam concupiscentiæ, facit pollutionem culpabilem. Tertia causa est spiritualis atque extrinseca, scilicet a dæmone operante. Et hæc quandoque reddit pollutionem culpabilem, in quantum vigilans se ipsum non præparavit contra illusiones diaboli. Quandoque autem est ex sola malignitate diaboli sine omni peccato hominis : quemadmodum in Vitis Patrum de quodam habetur, qui semper pollutionem sustinuit die festo quo communicare debebat. Quamvis vero ratio dormientis non semper æqualiter offuscetur, tamen semper a libero judicio impeditur : unde nec pro tunc peccare potest. Verumtamen aliquid apprehendere et discere potest in somno, vel Deo revelante, vel ex cogitatione præcedente : nam apprehensio rationis non ita impeditur in somno sicut judicium ejus, quod fit per conversionem ad sensibilia.

6. Denique stuprum ponitur determinata luxuriæ species. Nam in virgine sub parentum potestate exsistente, est specialis deformitas si corrumpatur, nulla pactione matrimoniali præveniente : tum ex parte puellæ, quæ a matrimonio contrahendo impeditur, et ad meretricium præparatur ; tum ex parte parentum, qui ejus curam habent. Quandoque autem accipitur stuprum communiter pro omni peccato luxuriæ : sicut Numerorum quinto. *Num.* v, 13.
Unde qui virginem seducit et corrumpit, tenetur eam habere uxorem, quia humiliavit eam, et patri ejus satisfacere. Dicitur enim in Exodo : Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit eam uxorem. Si autem pater dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt. (*Exod.* xxii, 16, 17.) Et in Deuteronomio adjungitur : Dabit patri puellæ quinquaginta siclos argenti. (*Deut.* xxii, 29.)

ARTICULUS CCXII.

1. *De raptu.* 2. *De adulterio.* 3. *De incestu.* 4. *De sacrilegio.* 5. *De vitio contra naturam.* 6. *De ordine gravitatis prædictorum.*

1. RAPTUS autem violentiam quamdam includit. Et quandoque in idem concurrit cum stupro, ut si quis virginem opprimat ; quandoque invenitur sine stupro, ut si viduam aut corruptam rapiat. Stuprum quoque sine raptu esse potest, ut si quis virginem consentientem inordinate defloret. Puellæ autem non desponsatæ et raptæ, primo restituendæ sunt patriæ potestati : tenetur enim unusquisque rem injuste ablatam rependere. Impedit autem raptus matrimonium contrahendum, sed non dirimit jam contractum.

2. Denique adulterium est accessus ad torum alienum, quando alienus cum aliena concumbit : quod est contra certitudinem prolis, et contra bonum propriæ prolis. Et quamvis ratio adulterii maneat, si conjugatus ad non conjugatam accedat, proprie tamen sumuntur luxuriæ species

secundum diversas mulierum conditiones: A nam mulier se habet per modum patientis sive materiæ. Actus autem morales distinguuntur secundum diversas materias sive objecta. Adulterium quoque fidem matrimonii violat.

3. Porro incestus triplici ratione illicitus redditur. Primo, quoniam parentibus atque cognatis honorificentia quædam debetur : cui repugnat turpitudo actus venerei. Unde Maximus Valerius narrat, quod apud antiquos fas non erat patrem cum filio balneari, ne se nudos conspicerent. B Secundo, quia personas consanguinitate conjunctas necesse est simul morari : et ergo si carnaliter copulari possent, daretur nimia occasio commixtionis venereæ. Tertio, quia si propinqui commiscerentur, minueretur multiplicatio amicorum, quæ fit per copulam extranearum personarum. Aristoteles autem secundo Politicorum addit aliam causam. Nam homo naturaliter amat propinquam. Si igitur eam uxorem haberet, nimis eam amaret : quod castitati derogaret. Refert quoque C Philosophus nono de Animalibus, quod quidam equus se ipsum præcipitavit, eo quod matri suæ deceptus se miscuit. Aliquibus namque brutis inest naturalis reverentia ad parentes.

4. Insuper, sacrilegium ponitur luxuriæ species, in quantum aliquid Deo deputatum ad libidinem ordinatur : ut si quis sanctimonialem cognoscat, aut personam spirituali cognatione conjunctam.

5. Vitium quoque contra naturam est, quod naturali ordini venerei actus repu- D gnat. Est ergo luxuriæ species, et multis modis contingit. Uno modo, si procuretur pollutio ex solo appetitu delectationis sine omni concubitu : quod quidam immunditiam vel mollitiem nominant. Item, si cum re alterius speciei coeatur : quod bestialitas dicitur. Tertio, fit per concubitum ad sexum indebitum, ut masculi cum masculo, seu feminæ cum femina : quod vitium Sodomiticum appellatur. Quarto, si non servetur naturalis modus concumbendi, vel quantum ad instrumentum indebitum, seu secundum alios monstruosos ac bestiales coitus modos.

6. Inter prædicta autem luxuriæ vitia, vitium contra naturam est gravissimum, quia per ipsum corrumpitur ipsum principium humanæ propaginis ; deinde incestus, quia est contra naturalem propinquorum reverentiam. Deinde adulterium est gravius stupro, et utrumque aggravatur per violentiam : propter quod raptus virginis est gravior stupro ; raptus quoque uxoris est gravior adulterio. Omnia vero ista per sacrilegium aggravantur. Fornicatio autem simplex inter prædicta est minima culpa : est tamen mortalis.

ARTICULUS CCXIII.

1. *Utrum continentia sit virtus.* 2. *De objecto,* 3. *et subjecto ipsius.* 4. *De comparatione ejus ad temperantiam.*

1. CONTINENTIA denique, uno modo, dicitur secundum quod homo ab omni delectatione venerea abstinet : quod primo convenit virgini, secundario viduæ. Et sic continentia est virtus, sicut virginitas. Secundo, accipitur pro qualitate per quam homo concupiscentiis vehementibus resistit, firmans se contra eas, non tamen perfecte eas rationi subjicere valens. Et sic sumitur in Collationibus Patrum, et ab Aristotele, qui condividit continentiam virtuti. Sic enim accepta, non est virtus, sed aliquid virtutis participat. Ad perfectam enim rationem virtutis moralis exigitur, ut per eam sensitivus appetitus rationi subdatur. Si autem virtus large sumatur pro omni principio laudabilium operum, sic continentia virtus est. Quæstio 155.

2. Denique materia seu objectum continentiæ est aliquid quod maxime appetitum impellit ad aliquid prosequendum. Hoc autem est concupiscentia circa venerea, quæ ad tactum pertinet. Dicitur tamen aliquis incontinens iræ, vel conti-

nens honoris, quia aliqualiter continentia A respicit talia.

3. Subjectum autem continentiæ esse non potest vis concupiscibilis nec ratio. Omnis enim virtus inhærens potentiæ, facit eam aliter se habere, quum ipsa inest, quam quum oppositum vitium inest. Sed concupiscibilis eodem modo se habet in continente et in incontinente, quia in utroque prorumpit in concupiscentias vehementes et pravas. Ratio quoque in ambobus est recta, et uterque extra passionem exsistens proponit concupiscentiam B non sequi. Prima autem ipsorum differentia in electione invenitur : nam continens eligit concupiscentias non sequi quibus pulsatur; incontinens vero eligit assequi ipsas. Ideoque illa potentia ad quam electio pertinet, est continentiæ subjectum : hæc autem est voluntas.

4. Præterea, continentiam accipiendo secundum primum modum, sic dignior est temperantia simpliciter dicta, quemadmodum virginitas castitate. Sed secundo modo eam sumendo, sic temperantia dignior C est, quia passiones quas respicit, rationi perfecte subditas facit; in eo autem qui continens est, passiones vehementer rationi rebellant.

ARTICULUS CCXIV.

1. *An incontinentia pertineat ad corpus vel animam.* 2. *An sit peccatum.* 3. *Quomodo se habeat ad intemperantiam.* 4. *Quis turpior sit, incontinens iræ vel incontinens concupiscentiæ.*

Quæstio 156. 1. PORRO causa incontinentiæ, proprie et per se est ex parte animæ, quæ per rationem non resistit passionum impulsui. Dispositio tamen corporis est occasionalis causa incontinentiæ, in quantum secundum variam ejus qualitatem, passiones magis aut minus insurgunt. Quod autem homo passioni non resistit, duobus modis contingit. Primo, sic quod ratio non consiliatur, sed statim ipsi passioni acquiescit : et hæc, secundum Philosophum, dicitur incontinentia irrefrenata. Secundo, sic quod homo non permanet in rationis judicio propter passionis instantiam atque impulsum, qui contingit ex velocitate motus, ut in cholericis, vel ex vehementia, ut in melancholicis, qui propter complexionem terrestrem vehementissime inflammantur.

2. Denique, sumendo incontinentiam prout est circa concupiscentias tactus quæ in se turpes sunt, vel prout est circa bona quæ in se mala non sunt, sed inordinate optantur, ut divitiæ et honores ; sic incontinentia est peccatum. Quandoque autem incontinentia dicitur excessivus affectus alicujus quod per se bonum exsistit, quemadmodum sunt virtutes. Unde Dionysius quarto capitulo de Divinis nominibus ait, quod Paulus propter divini amoris incontinentiam dixit : Vivo autem, *Galat.* II, jam non ego. Et sic non est peccatum, sed 20. virtutum perfectio.

3. At vero omne peccatum in voluntate præsertim consistit : nam voluntas, secundum Augustinum, est qua peccatur, et recte vivitur. Intemperatus autem peccat ex electione voluntatis, videlicet ex propria inclinatione vitiosi habitus ; nec post peccatum tristatur, sed gaudet : quemadmodum impii lætantur quum male fece- *Prov.* II, 14. rint. Incontinens vero ex passionis impetu ad peccandum inducitur : qua cessante, pœnitet atque tristatur. Ideoque intemperatus gravius peccat quam incontinens. — Sciendum autem, quod ignorantia in- D tellectus interdum præcedit inclinationem appetitus et facit eam : et sic quanto ipsa est major, tanto peccatum est minus : diminuit enim rationem voluntarii actus. Quandoque autem ignorantia intellectus sequitur inclinationem appetitus : et quo illa est major, tanto culpa est major : ostenditur enim inclinatio appetitus esse intensior.

4. Advertendum quoque, quod incontinens concupiscentiæ est turpior quam incontinens iræ, ex parte passionis, quia

in turpiores passiones præcipitatur. Sed A incontinens iræ pejor est incontinente concupiscentiæ, ratione effectus, saltem frequenter. Frequenter enim ira præcipitat hominem in mala pejora, ad proximi nocumentum pertinentia, quam incontinentia.

ARTICULUS CCXV.

1. *An mansuetudo et clementia differant.* 2. *An sint virtutes.* 3. *An temperantiæ partes.* 4. *De comparatione earum ad alias virtutes.* B

Quæstio 157.

1. MANSUETUDO autem est virtus moderans iram; clementia vero est virtus moderativa exterioris punitionis. Patet ergo quod specie distinguantur, quamvis in eodem effectu concurrant. Dicit autem Seneca, quod mansuetudo est lenitas superioris circa inferiorem in constituendis pœnis. Crudeles autem dicuntur, qui puniendi communem modum non habent; sævi vero, seu feri, qui in pœnis hominum propter ipsas delectantur : hi namque humanum affectum non habent, quum C naturaliter homo diligat hominem, et omne animal sibi conforme.

Eccli. XIII, 19.

2. Denique virtus moralis ad hoc tendit, quod appetitus rationi subdatur. Quum ergo mansuetudo iras moderetur, et clementia exteriorem punitionem diminuat, secundum rationis censuram, patet quod utraque sit virtus. Propter quod Seneca secundo de Clementia dicit : Clementiam et mansuetudinem omnes boni viri præ- D stabunt.

3. Hæ autem duæ virtutes, sunt partes potentiales temperantiæ : nam modum ejus aliqualiter imitantur. Consistunt enim in quadam refrenatione iræ seu pœnæ, sicut et temperantia in refrenatione libidinum : pertinet quippe ad clementiam quod homo potestate sua non utatur in ulciscendo. Unde Seneca asserit : Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi : quod ex quadam dulcedine animi accidit, in quantum affectus omne illud abhorret quod quemquam contristare valet. Et ergo clementia, secundum Senecam, est lenitas animi : nam econtrario, austeritas animi in hoc consistit, quod quis alium contristare non veretur.

4. Quamvis autem clementia et mansuetudo non sint simpliciter virtutes dignissimæ, habent tamen excellentiam : quia mansuetudo per hoc quod iram retundit, hominem maxime sui compotem facit; clementia vero, in eo quod pœnam diminuit, ad caritatem multum accedit.

ARTICULUS CCXVI.

1. *An irasci sit licitum.* 2. *An ira sit peccatum.* 3. *An peccatum mortale.* 4. *An sit gravissimum.* 5. *De speciebus ejus.* 6. *An sit vitium capitale.* 7. *De filiabus ipsius.* 8. *De opposito vitio.*

1. DUPLICITER vero invenitur malum in passionibus animæ. Primo, ex ipsa specie passionis, ratione objecti : sicut invidia ex se nominat vitium. Hoc autem iræ, quæ vindictæ appetitum designat, non competit. Appetitus enim vindictæ bene et male effici potest. Secundo, ratione superabundantiæ vel defectus : et sic inveniri potest malum in ira, in quantum aliquis immoderate et præter rationem irascitur; si vero secundum rationem homo irascatur, sic ira erit laudabilis. Hieronymus autem et alii quidam, qui dicunt iram semper esse malam, loquuntur secundum modum Stoicorum, qui omnes passiones dicebant esse inordinatos motus sensitivi appetitus. Peripatetici autem, quorum sententiam Augustinus amplius approbat nono de Civitate Dei, dixerunt quod ira et aliæ passiones sunt motus sensitivi appetitus, sive sint secundum rationem moderatæ, sive non. — Potest autem ira se ad rationem habere dupliciter, scilicet : antecedenter, et sic impedit eam; et consequenter, prout appetitus sensitivus movetur contra vitia secundum ratio-

Quæstio 158.

nis dictamen : et hæc est ira per zelum, A quæ bona est. De qua ait Gregorius : Tunc robustius ratio contra peccata erigitur, quum ira subdita rationi famulatur. Et iterum : Curandum (inquit) summopere est, ne ira, quæ ut instrumentum virtutis assumitur, rationi dominetur, ne quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, a rationis tergo nunquam recedat. Hæc tamen ira rationis oculum aliqualiter turbat, sicut et prima excæcat.

2. Præterea ordo rationis circa iram pensatur dupliciter. Primo, quantum ad B id in quod ira tendit, quod est vindicta : quæ si appetatur propter correctionem culpæ et conservationem justitiæ, erit ira bona per zelum ; si autem vindicta quæratur qualitercumque et in malum alicujus, erit ira dicta per vitium. Secundo, quantum ad modum irascendi, ne scilicet ira immoderate fervescat, nec intus, nec foris. Si enim nimis ardescit, fit ira culpabilis, quamvis in bonum finem tendat. Ira autem secundum se et absolute accepta, non nominat vitium, sed passio- C nem, quæ in se nec laudabilis est nec vituperabilis. Sed si ratione refrenatur, est laudabilis. Potest namque appetitus sensitivus a ratione sic dirigi, ut vindictam desideret propter bonum finem prædictum.

3. Insuper, ira quæ est inordinata ex parte vindictæ optatæ, est ex suo genere peccatum mortale, quoniam justitiæ et caritati repugnat. Potest tamen veniale esse peccatum propter imperfectionem actus : vel ex parte appetentis, quum rationem D prævenit ; vel ex parte appetibilis, sicut dum aliquis in modico ulcisci se cupit, velut si quis puerum parum crinibus trahat. Ira autem quæ est inordinata quantum ad modum irascendi, vel intus, seu in exterioribus signis, non est mortalis ex suo genere, nisi quis ex nimia vehementia a dilectione Dei et proximi excidat.

4. Est autem ira, ex parte ejus quod appetit, minus peccatum quam odium atque invidia. Invidus enim appetit malum alterius propter appetitum propriæ gloriæ; odium vero appetit malum in quantum hujusmodi. Sed ira appetit malum pœnæ sub specie justæ vindictæ. Est etiam minus peccatum quam motus concupiscentiæ, qui tendit in bonum delectabile. Habet autem ira, ex parte modi irascendi, quamdam gravitatem, propter vehementem sui motus velocitatem. Unde Chrysostomus dicit : Nihil est turpius visu furentis, et nihil deformius visu severo ; et ira est quidam dæmon, imo dæmonem habente difficilior. Et in libro Proverbiorum : Ira non habet misericordiam, nec furor *Prov.* XXVII, 4. erumpens.

5. Iracundorum autem quidam, secundum Philosophum, dicuntur acuti, videlicet qui cito et qualibet occasione irascuntur ; alii graves, sive difficiles, in quibus memoria illatæ injuriæ nimis perseverat, et ex hoc sibimetipsis graves fiunt, nec quiescunt donec retribuant : propter quod difficiles appellantur. Amari autem manent in ira propter internam tristitiam quam concipiunt ex illata injuria ; tempore vero procedente, quum tristitia perit, ira quiescit. Sed difficiles manent in ira propter magnum vindicandi affectum : et igitur ante vindictam non mitescunt.

6. Porro ira est vitium capitale. Habet enim finem multum appetibilem, puta vindictam, quæ propter speciem justitiæ multum optatur. Et etiam ipsa motio iræ, quum sit vehemens, præcipitat hominem ad multa agenda.

7. Propter quod ex ira, varia vitia tanquam filiæ ejus nascuntur, quæ sunt : indignatio, ut quum iratus reputat alium indignum ut sibi aliquid tale agat ; et tumor mentis, in quantum irascens multos vindictæ modos et vias excogitat ; clamor quoque, qui consistit in inordinato irascentis sermone ; et contumelia, quæ est illatio injuriosorum verborum quoad proximum ; et blasphemia, quantum ad Deum ; et rixa, per quam intelligitur omne factum et nocumentum reale quod ira-

tus alicui infert. Has ergo sex filias iræ A ponit Gregorius. Accipitur quoque hic tumor mentis, non pro superbia, sed pro conatu atque audacia ejus qui vindictam intentat.

8. At vero ira quandoque accipitur pro solo motu voluntatis pœnam infligentis, non ex passione, sed ratione : et sic defectus iræ est vitium. Secundo, accipitur pro motu appetitus sensitivi, qui cum corporali transmutatione contingit. Et hic motus simplicem motum voluntatis de necessitate consequitur, quoniam appetitus B inferior superiorem naturaliter sequitur, nisi aliquid impediat. Non ergo potest motus iræ totaliter in appetitu sensitivo deficere, nisi per subtractionem vel debilitatem voluntarii motus. Itaque, sicut defectus voluntarii motus ad puniendum secundum rationem, est vitiosus, sic consequenter defectus passionis iræ vitiosus exsistit. Passio enim iræ, sicut et alii motus appetitus sensitivi, utiles sunt rationi ad hoc quod promptius exsequatur quod bonum est : alioqui frustra esset in homine appetitus C inferior.

ARTICULUS CCXVII.

1. *Quod crudelitas opponatur clementiæ.* 2. *Quomodo se habeat ad feritatem seu sævitiam.* 3. *Quod modestia sit pars temperantiæ.* 4. *De objecto modestiæ.*

Quæstio 159. 1. CLEMENTIA autem, juxta prædicta, est quædam lenitas animi pœnam diminuentis : cui contrariatur crudelitas, D quæ amaritudinem quamdam importat in animo punientis.

2. Differt autem crudelitas a feritate seu sævitia, quæ nomen sortitur a proprietate ferarum. Sicut enim feræ homines occidunt et lædunt, non ex consideratione justitiæ, sed ut pascantur; sic homines sævi vocantur, qui alios torquent, non ex intuitu culpæ, sed quoniam in ipso hominum cruciatu delectantur. Et quia hoc inhumanum ac bestiale consistit, ideo feritas sub vitio bestialitatis continetur : provenit enim ex magna corruptione naturæ, vel pessima consuetudine. Crudelitas vero respicit culpam in eo quem torquet, sed modum excedit : unde sub humana malitia collocatur.

3. Denique, quandocumque est aliqua virtus circa maximum aliquod, necesse est aliam fore virtutem circa ea quæ mediocriter se habent : nam totam vitam humanam oportet regulari virtutibus. Sicut ergo præter magnificentiam, quæ est circa maximos sumptus, ponitur liberalitas mediocres sumptus concernens et ordinans; sic præter temperantiam, quæ est circa maximas delectationes, utpote tactus, modestia ponitur, quæ temperantiæ tanquam principaliori virtuti annectitur. Quæstio 160.

4. Materiam quoque seu objectum modestiæ diversimode quidam assignant. Sed Tullius ponit modestiam esse circa appetitum excellentiæ, quem moderatur humilitas; et circa appetitum quoque eorum quæ ad scientiam pertinent, quem ordinat studiositas, curiositati opposita; circa exteriorem quoque motum et actum, quatenus decenter fiat; et circa apparatum qui in vestibus atque similibus constat. Apostolus vero, dum ait, Modestia vestra *Philipp.* IV, 5.
nota sit omnibus, accipit eam prout est circa exteriora, vel etiam circa interiora, quæ non agnoscuntur nisi per exteriora indicia.

ARTICULUS CCXVIII.

1. *Utrum humilitas sit virtus.* 2. *De subjecto ejus.* 3. *An humilis debeat se omnibus subjicere.* 4. *An humilitas sit pars modestiæ.* 5. *Quomodo se habeat ad alias virtutes.* 6. *De gradibus humilitatis.*

1. BONUM autem arduum, in quantum est bonum, attrahit, et causat spem; Quæstio 161.
in quantum vero est arduum, retrahit, causans desperationem. Ideoque circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus. Una, quæ refrenet ac temperet ani-

mum ne immoderate tendat in magna : et hoc ad humilitatem pertinet. Alia quoque, quæ animum contra desperationem corroboret, atque impellat in prosecutionem magnorum : et hoc magnanimitas efficit. Sic ergo humilitas est virtus.

2. Cujus subjectum est appetitus : nam ad humilitatem pertinet se ipsum reprimere et declinare, ne in altiora inordinate quis feratur. Sed quoniam hoc fieri nequit, nisi propriam imperfectionem cognoscat, et improportionem suam ad id quod suam virtutem excedit; ideo cognitio ad humilitatem requiritur tanquam regula dirigens appetitum, cujus motum humilitas moderatur. Deo autem secundum naturam divinam non competit humilitas. Debet autem humilis se ad sublimiora extendere, innitendo divino auxilio : quoniam secundum Augustinum, aliud est levare se ad Deum, et aliud est levare se contra Deum. Qui enim ante illum se projicit, ab ipso erigitur; qui vero adversus illum se erigit, ab eo projicitur.

3. Denique in quolibet homine duo pensantur, videlicet : quod est hominis, quod scilicet ad defectum pertinet ; et quod est Dei, puta ad salutem et gratiam spectans. Debet ergo unusquisque se ipsum secundum id quod suum est, subjicere cuilibet homini secundum id quod
Philipp. II, 3. est Dei in ipso. Unde ait Apostolus : In humilitate superiores invicem arbitrantes. Non autem requirit humilitas ut quis se alteri subjiciat secundum dona quæ se a Deo sortitum cognoscit, propter dona quæ apparent in alio. Item non requirit humilitas ut homo se secundum id quod secundum se est, subjiciat proximo secundum id quod ille ex se est : sic enim oporteret quod quilibet reputaret se magis peccatorem quam quemlibet alium. Sed potest aliquis æstimare aliquid boni esse in proximo quod ipse non habet, atque aliquid mali esse in se quo alius caret, sicque per humilitatem se illi subjicere.

4. Porro humilitas ponitur pars potentialis temperantiæ : nam in quadam refrenatione spei consistit, sicut et temperantia in refrenatione libidinis. Continetur autem humilitas sub modestia, sicut prætactum est. Unde Origenes super Lucam dicit : Si nomen hujus audire virtutis vis, quomodo etiam a philosophis appelletur, ausculta eamdem esse humilitatem, quam respicit Deus, quæ ab illis μετριότης, id est mensuratio seu moderatio, dicitur. Quem enim Aristoteles temperatum appellat, nos humilem dicere possumus. Est autem humilitas in irascibili, sicut superbia sibi opposita, quia respiciunt arduum.

5. Amplius, virtutes theologicæ, et etiam intellectuales, justitia quoque legalis, humilitatem in dignitate excedunt ; ceteris vero ipsa est potior. Humilitas vero prima virtutum, et fundamentum vocatur earum, non quod sit simpliciter prima; sed dicitur prima quasi removens prohibens : nam superbiam omnis peccati originem, (cui etiam Deus resistit,) expellit, et hominem *Jacob.* IV, 6; I *Petr.* V, 5.
Deo subditum efficit. Fides autem directe est prima virtutum, quoniam per ipsam primo ad Deum acceditur. Et quoniam humilitas omnium bonorum impedimentum tollit, ideo Christus eam singulariter docuit.

6. Præterea in Regula B. Benedicti ponuntur duodecim gradus humilitatis : de quibus in variis libellis tractatum invenitur.

ARTICULUS CCXIX.

1. *An superbia sit peccatum.* 2. *An speciale sit vitium.* 3. *De subjecto ejus.* 4. *De speciebus superbiæ.* 5. *An sit peccatum mortale.* 6. *An sit maximum.* 7. *De comparatione superbiæ ad alia vitia.* 8. *An sit vitium capitale.*

1. SUPERBIA denique ideo peccatum Quæstio 162.
est, quia regulam rationis transgreditur, tendendo in ea quæ sunt super se et suæ mensuræ improportionata consistunt. Est enim superbia, secundum Au-

gustinum, perversæ celsitudinis appetitus; et perverse imitatur Deum, quoniam odit æqualitatem cum sociis sub Deo, sed imponere eis vult dominationem suam pro illo.

2. At vero superbia secundum propriam rationem accepta, est speciale peccatum habens materiam propriam, quæ est excellentia propria; sed dicitur commune peccatum per redundantiam, quia mater est omnium vitiorum, et quia legem Dei facit contemni. Non tamen omnis qui Deum offendit, ex Dei contemptu hoc agit; sed interdum ex negligentia vel infirmitate. Sciendum tamen, quod quandoque aliquis facit aliquod peccatum secundum effectum, quod non facit secundum affectum : quemadmodum patrem ignoranter occidens. Conformiter, omnis qui contra Dei præcepta operatur, Deum contemnit secundum effectum, sed non semper secundum affectum.

3. Porro, quia objectum superbiæ est arduum, utpote excellentia; ideo subjectum ejus est vis irascibilis. Sed advertendum, quod irascibilis quandoque proprie sumitur, sicut et ira, et tunc est solum in parte sensitiva; quandoque vero communiter sumitur, ut conveniat appetitui intellectivo, qui est voluntas : et sic non diversificatur a concupiscibili. Quoniam ergo arduum illud circa quod occupatur superbia, non solum reperitur in sensibilibus bonis, sed et sæpius in spiritualibus, in quibus est excellentia major; ideo subjectum superbiæ est irascibilis, non tantum proprie sumpta, sed large accepta : nam dæmonibus inest superbia. Hoc tamen non vidi in Thoma aperte. Et idem videtur de humilitate dicendum, quoniam angelis inest humilitas. Et sicut irascibilis convenit spiritualibus rebus, imo et Deo; sic et ira, non prout passionem importat. — Superbia autem quamvis informem cognitionem non auferat, affectualem tamen directe notitiam impedit. Unde Gregorius dicit : Superbi secreta quædam intelligendo percipiunt, quorum dulcedinem experiri non possunt. Nam quoniam

A in propria excellentia gaudent, veritatis excellentiam prorsus fastidiunt.

4. Insuper, species superbiæ quatuor sunt, secundum Gregorium : prima, quum aliquis bonum quod habet, a se ipso se habere putat; secunda, quum illud suis meritis tribuit; tertia, quum quis jactat se habere quod non habet; quarta, dum quis singulariter appetit videri aliquid habere aliis aspernatis. Bernardus autem distinguit duodecim gradus superbiæ, contra duodecim gradus humilitatis. Primus B enim gradus humilitatis est semper corde et corpore humilitatem ostendere, defixo in terram adspectu : cui contrariatur curiositas, qua homo ubique inordinate et curiose circumspicit. Secundus gradus humilitatis est pauca et rationabilia verba loqui non clamorose : cui levitas mentis opponitur, per quam homo se in verbis habet superbe. Tertius gradus humilitatis est non esse promptum ad risum : cui opponitur inepta lætitia. Quartus, taciturnitas usque ad interrogationem : cui con- C trariatur jactantia. Quintus, tenere quod communis regula monasterii continet : cui opponitur singularitas, qua quis vult sanctior apparere. Sextus, credere et pronuntiare se omnibus viliorem : contra quem ponitur arrogantia, qua se homo aliis præfert. Septimus, ad omnia se inutilem atque indignum confiteri et credere : cui opponitur præsumptio, per quam se aliquis æstimat sufficientem ad gradum majorem. Octavus est peccatorum confessio : contra quam ponitur eorumdem defen- D sio. Nonus, in duris et asperis patientiam amplecti : cui contrariatur simulata confessio, qua quis non vult subire pœnam pro culpis, quas simulatorie confitetur. Decimus est obedientia : cui contrariatur rebellio. Undecimus, ne homo delectetur propriam facere voluntatem : cui libertas opponitur. Ultimus gradus humilitatis est timor Dei : cui opponitur consuetudo peccandi, quæ Dei contemptum includit.

5. Præterea, sicut humilitas proprie respicit subjectionem animæ ad Deum, ita

superbia concernit extollentiam quamdam, A supra quam homini a Deo præfixum est per legem divinam. Unde patet, quod superbia ex proprio genere sit peccatum mortale : quamvis aliqui motus ejus sint veniales propter imperfectionem ipsorum, et quoniam rationem præveniunt, vel ejus consensum non habent.

6. Sciendum quoque, quod superbia non est maximum peccatum propter conversionem ad bonum commutabile, quoniam excellentia quam concernit, non maxime contrariatur divino bono. Sed ratione aver- B sionis, quæ in omni peccato formale est et speciem complens, est superbia gravissimum peccatorum : nam ex propria ratione aversionem quasi essentialiter comprehendit, quia Deo et ejus regno subjici spernit. Cetera quippe peccata, secundum Boetium, fugiunt a Deo, sola superbia se ei opponit, quum actus ejus sit Dei contemptus. Quia igitur illud formale quod omnibus vitiis communiter convenit, superbiæ singulariter attribuitur, ideo ratione aversionis est gravissima secundum C genus. Semper enim id quod est per se, potius est illo quod est per aliud. Quamvis autem superbia difficulter vitetur, eo quod sæpius latenter insurgat, et ex bonis operibus occasionem accipiat; postquam tamen innotescit, de facili evitatur, tum ex consideratione propriæ infirmitatis, tum ex contemplatione divinæ magnitudinis, tum ex cognitione imperfectionis bono-
Is. LXIV, 6. rum quæ agimus, quæ sunt velut pannus immundæ. Frequenter autem propter superbiam, cujus turpitudo intus latet, per- D mittit Deus hominem ruere in peccata carnalia, quorum turpitudo manifesta est, quatenus per hoc ab occulta confusione humiliati consurgant.

7. Insuper, rite superbia ponitur primum peccatum : nam aversio, quæ in omni peccato formale atque præcipuum est, superbiæ primo et per se et ex propria convenit ratione, ut dictum est. Possunt tamen in aliquo quædam peccata præcedere eam, scilicet ex ignorantia vel ex infirmitate. Sed inter magna peccata superbia prima vocatur, quia omnia mala ex ea possunt procedere.

8. Agnoscendum vero, quod Cassianus et Isidorus considerantes superbiam prout est quoddam speciale peccatum, posuerunt eam vitium capitale. Sed Gregorius consideravit eam in quantum habet universalem influentiam super omnia vitia : et idcirco vocat eam omnium vitiorum reginam ac matrem, non autem capitale peccatum ; imo capitalium vitiorum principium, quoniam cor quod ipsa occupat, septem principalibus vitiis implet, sicque omnium multitudinem vitiorum producit.

ARTICULUS CCXX.

1. *An peccatum primi hominis fuerit superbia.* 2. *Quid Adam peccando appetierit.* 3. *De gravitate peccati Adæ.* 4. *An magis peccaverit quam Eva.*

1. AD unum autem peccatum multi possunt motus concurrere : quorum ille est primum peccatum, in quo prima inordinatio reperitur. Hoc ergo erat primum peccatum hominis, in quo erat prima inordinatio appetitus. Hæc vero esse non potuit in appetitu sensitivo, quoniam nulla erat rebellio carnis ad spiritum in protoplastis. Propter quod prima inordinatio appetitus humani non erat per hoc quod appetiit aliquod bonum sensibile, sed quia spirituale bonum supra suam mensuram optavit : quod ad superbiam pertinet. Ideoque primum peccatum hominis erat superbia. Secundario autem, ex superbia oriebatur in ipso inobedientia, quia ex elatione ad illud quod inordinate appetiit, ad divini prævaricationem mandati inductus est. Sed et gula derivabatur ex superbia : nam propter suasionem serpentis, qui dixit, Aperientur oculi vestri, *Gen.* III, 5. et eritis sicut dii, inducta est mulier principaliter ad esum vetiti pomi. Erat etiam in peccato primi hominis curiositas, quia scientiam inordinate optavit ex excessivo

Quæstio 163.

excellentiæ appetitu : quæ superbia sic mulierem excæcavit, quod serpentem verum dicere credidit.

2. Porro, quum omne bonum creatum sit quædam participatio bonitatis divinæ, eo ipso quod homo appetiit inordinate excellentiam spiritualis boni, optavit similitudinem Dei : non æquiparentiæ, quia hæc cadere nequit in apprehensione sapientis ; sed imitationis, qualis creaturis est possibilis. Unde Augustinus dicit : Adam et Eva rapere voluerunt divinitatem, et perdiderunt felicitatem. Sed cognoscendum, quod appetitus proprie est rei nondum adeptæ. Bonum autem spirituale, per quod creatura Deo assimilatur, secundum tria attenditur, utpote : Secundum esse naturæ : et tale bonum homo et angelus habuerunt a suæ creationis principio, nec circa hoc peccaverunt. Secundo autem, attenditur quoad cognitionem : et hanc Dei similitudinem angelus a principio actualiter habuit, homo vero in potentia tantum. Tertio, quantum ad potestatem agendi : et hanc neuter eorum a suæ creationis initio habuit : restabat enim eis aliquid operandum quo ad felicitatem pertingerent. — Primus itaque homo peccavit principaliter appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali : ut scilicet per propriæ naturæ virtutem sibi determinaret quid bonum et quid malum esset ad agendum ; vel etiam quatenus per se ipsum cognosceret quid sibi esset boni aut mali futurum. Secundario autem peccavit, appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem agendi : ut scilicet virtute suæ naturæ operaretur ad beatitudinem obtinendam. Dicit enim Augustinus undecimo super Genesim ad litteram, quod menti mulieris inhæsit amor propriæ potestatis. Sed diabolus peccavit, desiderando similitudinem Dei quantum ad potestatem : voluit enim magis sua potentia frui quam Dei, secundum Augustinum in libro de Vera religione. In hoc ergo uterque Deo quodammodo æquari optavit, quod sibi

A ipsi nimis inhæsit, divinæ regulæ ordine derelicto.

3. Præterea peccatum grave vocatur dupliciter, scilicet ex specie proprii actus, et ex circumstantia loci, vel personæ, aut temporis. Primo igitur modo primorum parentum peccatum non erat gravissimum peccatum. Nam blasphemia et infidelitas magis derogant Deo quam appetitus excellentiæ. Sed secundo fuit gravissimum, propter conditionem personarum peccantium. Prima autem gravitas essentialior est peccato

B quam altera : et ergo licet peccatum eorum fuerit gravissimum secundum quid, non tamen simpliciter.

4. At vero peccatum Adæ gravius exstitit peccato Evæ ex parte conditionis personæ, quoniam erat muliere perfectior : sed quantum ad genus peccati, quod fuit superbia, peccatum amborum fuit æquale. Quantum vero ad speciem hujus superbiæ, gravius peccavit Eva triplici ratione. Primo : nam major fuit elatio mulieris quam viri. Credidit namque ipsa serpen-

C tem verum dicere, scilicet quod Deus esum ligni vetiti ipsis prohibuisset, ne ad ipsius similitudinem pervenirent. Unde de ligno manducans voluit Dei similitudinem adipisci contra voluntatem divinam. Vir autem ita non credidit, nec Dei similitudinem appetiit quasi contra voluntatem divinam ; sed peccavit quia eam per se ipsum consequi voluit. Secundo, quoniam mulier viro peccatum suggessit. Tertio, quia Adam peccavit ex quadam amicabili benevolentia ad mulierem : qua

D etiam fit ut Deus sæpe offendatur, dum homo metuit ne ex amico inimicus fiat. Hoc autem peccatum Adæ viri diminuit.

ARTICULUS CCXXI.

1. *De morte.* 2. *De aliis pœnis consecutis.* 3. *De tentatione primorum parentum.*

1. DONUM autem originalis justitiæ sic primo parenti erat collatum, ut quamdiu ratio ejus atque voluntas Deo Quæstio 164.

subditæ essent, nec sensitivus appetitus A rationi resisteret, nec corpus animæ. Quia ergo homo peccavit, consecuta est rebellio virium inferiorum contra rationem, et defectus corruptionum ex parte corporis, quod animæ perfecte non subditur. Hæc autem consecuta sunt in pœnam originalis culpæ.

2. Denique adjunctæ sunt multæ pœnæ particulares. Nam privati sunt loco qui
Gen. III, 23. competebat statui integritatis, videlicet paradiso terrestri. Ea quoque quæ naturæ originalis justitiæ beneficio destitutæ con- B veniunt, attributa sunt viro et feminæ. Pertinet enim ad feminam generatio prolis : et quantum ad hoc est dupliciter punita,
Ibid. 16. videlicet per tædium quod sustinet prolem portando, et per dolorem quem sentit, quem non sensisset in partu, si non peccasset. Pertinet quoque ad feminam communicatio operum ad domesticam conversationem spectantium : et quoad hoc punita
Ibidem. est per subjectionem qua subjecta est viro : non quod ante peccatum vir non fuerit caput mulieris gubernatorque ejus ; C sed quoniam mulier necesse habet viro subesse etiam nolens. Ad virum autem spectat procurare necessaria vitæ. Circa
Ibid. 17, 18. quod tripliciter est punitus : primo, per terræ sterilitatem ; secundo, per laboris annexionem ; tertio, per infructuosorum germinum productionem. — Sed et in anima puniti sunt triplici pœna. Primo, per confusionem ex rebellione carnis ad spi-
Ibid. 7. ritum. Nam aperti sunt oculi eorum : non quod ante clausi erant; sed post peccatum aperti sunt ad aliquid intuendum et co- D gitandum, quod antea nunquam adverterant, scilicet ad invicem concupiscendum : quod ante non fuerat. Secundo, quantum ad increpationem propriæ culpæ. Dicitur
Ibid. 22. enim : Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Tertio, per commemorationem
Ibid. 19. futuræ mortis, dum dicitur : Pulvis es, et in pulverem reverteris. Quod autem in
Ibid. 16. Genesi ad feminam dicitur, Multiplicabo conceptus tuos, non debet intelligi quod multiplicatio filiorum sit data in pœnam ; sed propter multiplicationem doloris id dictum est.

3. Porro divina providentia, cujus est *Quæstio* 165.
(secundum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus) naturas rerum salvare, non autem corrumpere, disponit cun- *Sap.* VIII, 1.
cta suaviter. Talis vero est natura humana, ut possit ab aliis impediri et juvari. Ideoque decuit, ut sicut homo in statu innocentiæ per angelos bonos juvabatur, sic a dæmone permitteretur tentari, quamvis Deus sciret eum vincendum. Scivit namque quod per liberum arbitrium potuit vincere, et hoc facillime, quia nihil movebat eum intrinsecus ad peccatum. Et sic impugnatio ejus non fuit pœnalis. — Insuper, quoniam ex intellectuali et corporali principio homo constat, ideo tentator duplex incitamentum proposuit, puta similitudinem Dei per adeptionem scientiæ, et per hoc quod usus est sensibilibus rebus maximam cum homine affinitatem habentibus. Nam tentavit virum per feminam, mulieremque per prohibitum cibum. Non enim potuit dæmon hominem primo tentare per suggestionem intrinsecam : nam illa ostendit diabolum plus habere potestatis in homine quam exterior res, quia phantasiam transmutat. Et secundum Augustinum, non est opinandum quod dæmon serpentem pro suo libito ad tentandum hominem præelegit, sed quia hoc animal ei permissum fuit, quamvis alia fuissent magis apparentia.

ARTICULUS CCXXII.

1. *De studiositate.* 2. *De curiositate.* 3. *An locum habeat circa cognitionem sensitivam.*

1. MATERIA denique circa quam est *Quæstio* 166.
studiositas, est ipsa cognitio ; secundario autem, id quod per cognitionem fit sive dirigitur. Est enim studiositas vehemens applicatio mentis ad aliquid, maxime cognoscendum. Annectitur autem studiositas temperantiæ sicut virtus secundaria ; estque pars subjectiva mode-

art. ccxvii, 4. stiæ, sicut ostensum est. Sicut enim temperantia refrenat naturalem inclinationem in delectationes gustus et tactus, sic studiositas moderatur naturalem appetitum, propter quem omnes naturaliter scire desiderant. Est quoque studiositas virtus moralis : nam per eam homo sortitur rectum appetitum applicandi vim cognoscitivam, sic vel sic, ad hoc aut certe ad aliud.

Quæstio 167. 2. Et sicut studiositas est circa appetitum et studium cognitionis adipiscendæ, illud ordinando ; sic opposito modo est circa eamdem materiam vitium curiositatis. Licet enim cognitio sit semper secundum se bona, tamen appetitus et studium ejus quandoque est malum : ut si quis studeat causa gloriæ vanæ, aut pompæ, vel dum per studium minus utile retrahitur ab exercitio debito, vel inquirendo veritatem a quibus non licet, vel referendo ad finem malum, aut altiora scrutando.

3. Insuper, cognitio sensitiva ordinatur ad duo, videlicet ad corporis sustentationem, et ad intellectualem notitiam. Potest igitur circa cognitionem sensitivam curiositas esse, si referatur ad aliquid a Deo impediens, per cujus considerationem anima impeditur a contemplatione utilium : quemadmodum consideratio feminæ concupiscentiam gignit, quæ contemplationem exstinguit.

ARTICULUS CCXXIII.

1. *An circa motus exteriores sit virtus.* 2. *An in ludis sit virtus.* 3. *De vitio et superfluitate ludi.* 4. *De vitio circa defectum ludi.*

Quæstio 168. I. QUONIAM vero exteriores motus per rationem ordinari et dirigi possunt, ideo circa eos est virtus moralis. Ordinantur autem dupliciter, scilicet : Secundum convenientiam personæ : et circa hoc ponit Andronicus virtutem quam vocat ornatum, quæ servat decentiam in motu et habitudine. Secundo, secundum conveni- A entiam ad exteriores personas, loca, atque negotia. Unde Augustinus dicit in Regula : In omnibus motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

2. At vero, sicut corpus fatigatur, et ex hoc repausatione quietis eget quæ est in somno ; sic anima fatigatur, dum super sensibilia elevatur per cognitionem speculativam aut practicam. Unde non valet talibus continuo stare intenta, sed indiget intermissione atque quiete. Quies vero B animæ est delectatio, sicut et quies corporis somnus. Itaque necesse est quandoque delectationem aliquam sensibilem et animalem admittere propter refocillationem animæ fessæ. Nam et Joannes evangelista lusisse describitur. Talis autem delectatio hoc modo intenta et admissa, dicitur jocosa seu ludicra : et ergo circa illam est virtus per quam moderatur. Tria enim cavenda sunt circa eam. Quorum primum et maximum est, ne quæratur in verbis vel factis nocivis aut turpibus : C nam tale genus jocandi nominat Tullius primo de Officiis, illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum. Secundum, ne gravitas animæ penitus resolvatur. Tertium, ut conveniat personæ, loco, et tempori, et cum circumstantiis debitis. Hanc ergo virtutem quæ ordinat ludum, Aristoteles eutrapeliam appellat.

3. Si ergo ista non serventur, sed aliquis immoderate ludis incumbat; tunc est vitium : imo mortale peccatum, si tanto affectu quis ludo intendit, quod per eum D contra præcepta aliquid agit vel dilectioni divinæ præponit. Histriones quoque, qui ludum hominibus exhibent, si prædicta tria cavent, non peccant, nec eorum officium est secundum se illicitum ; et qui eis præstant mercedem non peccant, nisi inordinate se habeant.

4. Porro defectus in ludo vitiosus est. Est enim contra rationem, quod se homo tam onerosum exhibet quod nihil delectabile agit, imo et aliorum delectationes impedit. Propter quod Seneca dicit : Sic te

geras sapienter, ut nemo te habeat tanquam asperum, nec spernat ut vilem. Tales namque, secundum Aristotelem, duri et agrestes dicuntur. Hic tamen defectus est minus culpabilis quam prædictus excessus.

ARTICULUS CCXXIV.

1. *De virtute quæ est circa exteriorem apparatum.* 2. *An mulieres peccent in ornatu superfluo.* 3. *De præceptis temperantiæ et partium ejus.*

Quæstio 169. 1. PORRO circa usum exteriorem rerum contingit peccare dupliciter. Uno modo, per comparationem ad consuetudinem horum quibus homo convivit : ut quum quis novam pompam vel modum adinvenit in vestimentis. Alio modo, ex nimio affectu hominis qui libidinose rebus afficitur, sive præter consuetudinem sint, sive non. Quod tripliciter accidit : primo, quum aliquis ex vestium apparatu gloriam quærit, secundum quod vestes ad ornatum respiciunt ; secundo, dum ex vestium mollitie quærit delicias ; tertio, quia nimiam sollicitudinem adhibet cultui vestium, licet finis non sit perversus. Similiter circa defectum in vestium dispositione est inordinatio duplex. Prima ex negligentia oritur, quum homo vestimenta indecenter comportat ; secunda, si vestium abjectionem ad inanem gloriam refert. Vilia autem vestimenta portare, eis præcipue competit qui alios exemplo et verbo ad pœnitentiam movent.

2. Denique, circa ornatum mulierum tria prædicta consideranda cavendaque sunt, et etiam quod habitus mulierum ornatus, viros ad concupiscentiam incitat. Mulier vero nupta se decenter potest ornare, quatenus viro complaceat, ne ea contempta in adulterium ruat. Ceteræ autem feminæ, quæ viros non habent, si se ideo ornent ut virorum libidinem provocent, mortaliter peccant ; sed si cultus vestium sit ex quadam vanitate vel levi- A tate, non est semper peccatum mortale. Et idem judicium est de viris.

3. Præterea inter præcepta Decalogi prohibetur adulterium, tam illud quod mente concipitur, quam quod opere exercetur : quia maxime contrariatur dilectioni fraternæ, quoniam rem alienam sibi usurpat. Adulterium vero est intemperantiæ species. Sed quoniam præcepta Decalogi sunt quædam communia divinæ legis principia ; ideo inter ea dari non potuit præceptum affirmativum commune B de temperantia, quoniam usus ejus variatur secundum diversa tempora, ut Augustinus testatur. De virtutibus autem temperantiæ annexis, ponuntur quædam præcepta prohibitiva effectuum vitiorum quæ virtutibus illis opposita sunt. Quæstio 170.

ARTICULUS CCXXV.

De his quæ specialiter pertinent ad aliquos homines : 1. *An prophetia ad cognitionem pertineat.* 2. *An sit habitus.* 3. *An sit* C *tantum futurorum contingentium.* 4. *An omnia noscat.* 5. *An discernat ea quæ divinitus scit, ab aliis.* 6. *An possit ei subesse falsum.*

1. TRIPLEX est autem hominum differentia, quantum ad ea quæ ad actus et habitus animæ rationalis pertinent. Una, secundum diversas gratias gratis datas : divisiones enim gratiarum sunt, secundum Apostolum, quia alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, etc. Alia est D secundum diversam vitam, videlicet contemplativam atque activam. Tertia, secundum diversitatem officiorum et statuum : dedit enim Deus, teste Apostolo, quosdam quidem Prophetas, quosdam autem Apostolos, etc. — Prophetia autem proprie et principaliter in cognitione consistit. Dicuntur namque Prophetæ a πρό, quod est procul, et φανός, quod est apparitio, quoniam ea quæ procul sunt a notitia hominum, Deo revelante cognoscunt. Unde qui nunc dicitur Propheta, olim vocabatur Vi- Quæstio 171. 1 *Cor.* XII, 4, 8. *Ephes.* IV, 11. 1 *Reg.* IX, 9.

dens (primo Regum). Et gentiles prophetas nominabant vates, a vi mentis. Sed quia prophetia ordinatur ad ædificationem Ecclesiæ utilitatemque hominum, ideo secundario pertinet ad locutionem. Nam secundum Isidorum, dicuntur Prophetæ quasi præfatores. Et quoniam quæ divinitus revelantur, humanam rationem transcendunt, nec probari ab homine possunt; propterea tertio ad prophetiam spectat operatio miraculorum, velut confirmatio visionis propheticæ. Et sic in libro Ecclesiastici legitur Eliseus etiam mortuus prophetasse, ratione miraculi prophetias ejus corroborantis. (*Eccli.* XLVIII, 14.) Requiritur quoque ad prophetiam, ut elevetur intentio mentis ad percipienda divina : quod fit per instinctum Spiritus Sancti : et sic ad prophetiam pertinet inspiratio. Secundo exigitur divinorum perceptio per revelationem divinam.

2. Denique ad prophetiam concurrit supernaturale lumen, quod Deus menti infundit. Sed lumen aliquod inesse potest alicui dupliciter, scilicet : Per modum formæ permanentis, quemadmodum est lumen in sole : et sic habitus est in anima. Secundo, per modum passionis seu impressionis transeuntis : et ita est lumen in aere, qui nova semper illuminatione eget; sicque lumen prophetale inest Prophetis, et non primo modo : non enim possunt pro suo beneplacito prophetare, quemadmodum de Eliseo patet; (IV *Reg.* IV, 27.) sed nova semper illustratione egent. Itaque prophetia non est proprie habitus, sed dispositio quædam. — Advertendum autem, quod omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid quod est supra naturam humanam : Vel, quantum ad substantiam actus, ut miracula facere, etc. Et ad talia non datur donum habituale : nam habitus, secundum Averroem, est quo quis operatur quum vult. Vel, quantum ad modum actus, sicut Deum diligere, et ea quæ in creaturis apparent cognoscere. Et ad talia Deus habituale donum infundit.

3. Porro, quia prophetica visio est per A lumen divinum, quo cognosci omnia possunt, tam divina quam humana, spiritualia et corporalia, naturalia atque moralia; ideo revelatio prophetica ad omnia illa se extendit. Sed ex quo prophetia est proprie horum quæ a cognitione hominum procul sunt, ideo aliqua tanto magis proprie ad prophetiam attinent, quo longius a notitia humana consistunt. Horum autem est triplex gradus. Primus, prout ea quæ unus actualiter percipit sensu vel intellectu, alius longe distans Deo pandente B cognoscit. Et sic Eliseus vidit quid Giezi egit. (IV *Reg.* V, 26.) Et sic cogitatio unius alteri innotescit. Secundus autem gradus est horum quæ omnem naturalem agnitionem transcendunt, non ex parte suæ cognoscibilitatis, sed humanæ defectibilitatis, ut est mysterium superbenedictissimæ Trinitatis. Tertius vero est gradus eorum quæ ab omnium hominum cognitione procul sunt ex se ipsis, quemadmodum futura contingentia, quorum non est veritas determinata : et hæc propriissime ad prophetiam C pertinent. Unde prophetia proprie dicitur revelatio futurorum eventuum contingentium. Et quando de præteritis vel præsentibus quidpiam nuntiat, nominis sui rationem perdit, secundum Gregorium.

4. Non autem cognoscunt Prophetæ omnia; sed quantum Deus eis revelare dignatur.

5. Præterea corda Prophetarum dupliciter a Deo instruuntur, videlicet : Per revelationem expressam : et talia certissime sciunt esse a Deo, et discernunt Pro- D phetæ quid proprio spiritu, et quid Spiritu Sancto prædicunt. Aliquando autem, per quemdam instinctum, quem mentes hominum quandoque etiam nescientes patiuntur : et tunc discernere nequeunt an hoc quod interius vident sit ex Spiritu Sancto vel ex proprio cogitatu, quia non omnia quæ a Deo infunduntur, sub prophetica certitudine cadunt, præsertim quum talis instinctus sit quid imperfectum in genere prophetiæ. Unde Gregorius super Ezechielem asserit, quod sancti Prophetæ

interdum, dum consuluntur, quædam ex A proprio spiritu proferunt, quæ propter magnum usum prophetandi sibi a Deo arbitrantur infusa; et ne ex hoc errandi occasio detur, citius a Spiritu Sancto corripiuntur.

6. At vero, quum prophetia sit quædam divinæ notitiæ participatio, et secundum Hieronymum, divinæ præscientiæ signum, non potest ei subesse falsum; sed vera sunt omnia quæ continet. — Veruntamen Deus prænoscit futura dupliciter, utpote: in se ipsis, prout ei præsentialiter patent; B et secundo, secundum ordinem ad suas causas. Quandoque autem revelat Prophetis futurum aliquod, quantum ad primum modum: et tunc semper impletur. Aliquando vero, quantum ad secundum: et sic non semper impletur, quia Deus ordinem causarum impedire potest. Et sic prophetia Isaiæ de morte Ezechiæ, Jonæ quoque de subversione Ninive, non fuit impleta. Nihilo minus prophetia semper est vera: intelligenda est enim secundum comparationem quam habet ad causas re- C rum proprias, vel in ordine ad Deum. Unde hæc conditionalis est vera: Si aliquid est prophetatum, erit. Intelligitur enim futurum de necessitate non respectu nostri, circa quos contingenter se habet, sed ut consideratur in suo præsenti, prout subjicitur divinæ præscientiæ.

Is. XXXVIII, *Jonæ* III, 4.

ARTICULUS CCXXVI.

1. *Utrum prophetia sit naturalis.* 2. *An fiat mediantibus angelis.* 3. *An requiratur ad eam dispositio naturalis.* 4. *An bonitas morum.* 5. *An sit aliqua prophetia a dæmonibus.* 6. *Utrum prophetæ dæmonum aliquando dicant verum.* D

QUÆSTIO 172.

1. FUTURA autem cognoscere in se ipsis, Deo est proprium. Possunt tamen quædam futura præsciri humano ingenio, secundum quod considerantur in suis causis, ex quibus, vel semper, vel ut sæpius causantur; sed respectu horum non dicitur prophetia, quoniam visio prophetalis est horum quæ omnem naturalem transcendunt notitiam. Unde prophetia non est naturalis; sed sicut Petrus ait: Spiritu Sancto inspirati sancti Dei homines locuti sunt.

II *Petr.* I, 21.

2. Et quoniam quæ a Deo sunt, ordinate fiunt; ideo illuminationes divinæ atque propheticæ manifestantur hominibus ministerio angelorum, qui medii inter nos Deumque consistunt: et hoc Dionysius asserit. Nam gratiæ gratis datæ, quamvis attribuantur Spiritui Sancto tanquam primo principio, tamen operatione secundarum causarum mediante donari possunt. Sed in voluntatem directe non agit nisi Deus: et ergo amicos efficere Dei per infusionem caritatis, est solum immediate a Deo.

Rom. XIII, 1.

3. Denique Deus in sua actione nihil præsupponit; sed simul potest producere et formam et dispositionem ad eam, imo et subjectum amborum, tam in rebus naturalibus quam in spiritualibus effectibus. Ideoque ad infusionem visionis propheticæ non necessario exigitur dispositio aliqua prævia; sed potest Deus illam simul conferre cum revelatione divina, et impedimenta ad prophetiam, ut est insania, vel ad actum ejus, ut sunt vehementes passiones, simul auferre.

4. At vero bonitas morum attendi potest secundum duo, videlicet: secundum interiorem ejus radicem, quæ est gratia gratum faciens; et quantum ad interiores animæ passiones exterioresque actus. Prophetia autem esse potest sine caritate, quia intellectum concernit, cujus actus præcedit actum voluntatis, quam perficit caritas. Item prophetia ordinatur ad ædificationem Ecclesiæ; caritas vero, ut uniat animam Deo. Hæc autem duo separari possunt. Unde prophetia haberi potest sine bonitate morum, quantum ad primam ejus radicem, quæ est gratia gratum faciens. Sed malitia morum impedit eam quoad secundum, puta per relationem ad inordinationem passionum et pravitatem

vitæ. Nam ad prophetiam exigitur maxima elevatio mentis ad spiritualium contemplationem.

5. Amplius, quoniam intellectus dæmonum naturali ordine superior est intellectu humano, ideo quædam futura sua subtilitate prænoscit, quæ hominibus revelare potest. Propter quod aliqui dicuntur prophetæ mali, non autem prophetæ simpliciter : nam tales sunt dæmoniaci vel arrepticii, aut falsi prophetæ, secundum Augustinum.

6. Insuper, sicut se habet bonum in rebus, ita et verum in cognitione. Sicut ergo nihil esse potest in rebus totaliter malum, sic nec est cognitio aliqua quæ non habeat aliquid veritatis. Sicut enim seducitur appetitus propter apparentiam boni, sic fallitur intellectus propter apparentiam veri. Et igitur dæmoniorum prophetæ quædam vera annuntiant, quatenus per hoc melius fallere possint. Interdum quoque prophetæ diaboli quædam loquuntur ex instinctu Spiritus Sancti, ut Balaam. Deus enim utitur malis ad profectum bonorum. Sed et Sibyllæ multa vera prædixerunt de Christo.

ARTICULUS CCXXVII.

1. *An Prophetæ videant Dei essentiam.* 2. *An cognitio de Christo prophetalis fiat per influentiam specierum, vel luminis tantum.* 3. *An sit semper cum alienatione a sensibilibus.* 4. *An prophetia sit semper cum cognitione eorum quæ prophetantur.*

Quæstio 173.

1. DEI autem essentiam Prophetæ non vident, quum divina essentia sit beatitudinis objectum. Prophetæ autem non sunt perfecte beati. Prophetia quoque evacuabitur, sed visio divinæ essentiæ in patria manet. (I Cor. xiii, 8.)

2. Denique circa cognitionem mentis, ad quam pertinet prophetia, duo considerantur, videlicet acceptio sive repræsentatio rerum, et judicium de eisdem. Quorum primum fit per species quasdam, quæ na- A turali ordine objiciuntur primo sensui, secundo imaginationi, tertio intellectui possibili. Species vero in imaginatione sunt non solum secundum quod accipiuntur a sensibilibus, sed etiam transmutantur diversimode : vel propter transmutationem corporalem, quemadmodum in dormientibus atque amentibus ; vel secundum rationis imperium ordinantis phantasmata ad aliquid cognoscendum : et secundum hoc resultant in intellectu possibili diversæ species intelligibiles. Judi- B cium autem rationis fit per intellectuale lumen. — Per prophetiam vero aliquid homini datur pertinens ad utrumque. Datur enim specierum influxio ad repræsentandum, et intellectualis lucis infusio ad judicandum. Judicium quoque est principalius et completivum in prophetia, quia sine ipso non dicitur revelatio perfecte prophetica. Unde Pharao et Nabuchodonosor non erant prophetæ, licet eis aliquid divinitus repræsentabatur ; sed Joseph et Daniel qui illud judicabant. Qui autem C in utroque præcellit, maxime vocatur propheta, secundum Augustinum. — Repræsentantur autem cordibus Prophetarum interdum quædam formæ exterius mediante sensu, quemadmodum Daniel vidit scripturam parietis, quam Deus Balthasar ante ostendit : quandoque autem per formas imaginarias, vel a Deo impressas, vel a sensu receptas, sed divinitus ad aliud ordinatas (sicut Jeremias vidit ollam succensam) (Jer. i, 13.) ; vel imprimendo species intelligibiles menti, ut in Salomone, qui sapientiam D a Deo percepit. Lumen vero intellectuale aliquando datur ad intelligendum quæ ab aliis dicta sunt, ut Joseph : ad quod spectat interpretatio sermonum. Itaque visio prophetalis quandoque fit per solam influentiam luminis, quandoque autem per species de novo impressas aut aliter ordinatas.

3. Elucescit ergo, quod prophetica visio fit secundum quatuor, scilicet secundum impressionem sensibilium formarum, secundum influxum intelligibilis lucis, se-

cundum infusionem intelligibilium specierum : secundum quæ tria non oportet fieri alienationem a sensibilibus in Prophetis, ut patet in Moyse qui vidit rubum ardentem; et judicium intellectus in nobis perficitur per conversionem ad rerum phantasmata. Quarto ergo fit cognitio Prophetarum per formas imaginarias : et sic necesse est alienationem seu abstractionem a sensibilibus fieri, ne talis apparitio referatur ad ea quæ exterius sunt. Hæc vero abstractio duplex est : perfecta, ut quum homo nihil a sensibilibus percipit; et imperfecta, ut dum quis aliquid a sensibilibus percipit, nec tamen illud a ceteris quæ imaginarie repræsentantur, discernere potest. Quod autem ait Apostolus, Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt, intelligendum est quantum ad denuntiationem propheticam : quia ex proprio sensu loquuntur quæ ipsis ostensa sunt, non mente turbata, ut arrepticii, sicut Priscilla et Montanus mentiti sunt; sed in revelatione prophetica subjiciuntur Prophetæ spiritui prophetiæ, id est dono prophetico.

Exod. III, 2.

1 *Cor.* XIV, 32.

4. Insuper, sicut præhabitum est, Prophetæ non semper cognoscunt quid a Deo receperint, sed quando est perfecta ratio prophetiæ, tunc cognoscunt quæ divinitus infunduntur.

ARTICULUS CCXXVIII.

1. *De divisione prophetiæ.* 2. *An sit aliqua altior quam imaginaria.* 3. *De diversitate graduum ejus.* 4. *An Moyses fuerit eximius Prophetarum.* 5. *An aliquis comprehensor possit esse propheta.* 6. *Utrum prophetia creverit secundum temporis processum.*

QUÆSTIO 174.

1. SPECIES insuper prophetiæ traduntur. Nam alia est prophetia comminationis, quæ non semper impletur, quia objectum ipsius est aliquid divinitus cognitum secundum ordinem ad suam proximam causam, quæ utique impediri po-

A test. Alia est prophetia prædestinationis, quæ est de rebus prout cognoscuntur a Deo in se ipsis, et ut fiendæ sunt per ipsum. Si vero sit de rebus a Deo agnitis, tamen per liberum arbitrium hominis faciendis, sic est prophetia præscientiæ, quæ esse potest bonorum atque malorum.

2. Præterea prophetia quæ fit secundum solam intellectualem inspirationem, omnibus est præstantior : est enim purior et evidentior, et futuræ visioni in patria vicinior. Item visio imaginaria ordinatur ad

B intellectualem tanquam ad principaliorem atque finalem. Quia tamen in ratione prophetiæ quædam obscuritas comprehenditur, ideo illi magis nominantur prophetæ qui imaginarias visiones habuerunt. Hagiographi autem, sicut David, Job, Salomon, etc., altiores illuminationes habebant, licet minus proprie dicantur prophetæ. Verumtamen illustratio omnis in præsenti vita est cum aliquali velamine phantasmatum : quia secundum Dionysium, impossibile est aliter nobis lucere divinum

C radium, nisi varietate sacrorum velaminum tectum. Sed interdum sufficiunt phantasmata quæ communi modo a sensibilibus abstrahuntur; nec exigitur alia visio imaginaria divinitus procurata : et tunc dicitur visio prophetica fieri sine visione imaginaria.

3. Denique ad prophetiam magis spectat cognitio quam operatio. Et ergo infimus gradus prophetiæ est, quum quis ex interiori instinctu movetur ad aliquid faciendum, sicut de Samsone scribitur : Irruit *Judic.* XV, 14.

D in eum Spiritus Domini, et soluta sunt vincula ejus, etc. Secundus gradus est, quum quis ex interiori lumine illuminatur ad cognoscendum aliqua, quæ naturalem rationem non excedunt. Et hi duo gradus non attingunt ad veram prophetiæ rationem : non enim pertingunt ad supernaturalem veritatem. — Prophetia vero quæ fit per imaginariam visionem, primo diversificatur quia aliqua fit in somno, aliqua in vigilia : et hæc, scilicet in vigilia, est major et altior, quoniam major

ostenditur virtus luminis, quæ animam A circa sensibilia occupatam rapit ad spiritualium contemplationem, quam quæ animam ab illis abstractam in dormiente illustrat. Secundo, diversificatur ex parte signorum imaginabilium. Verba namque primum locum sortiuntur inter signa. Ideoque prophetia illa est altior, dum Propheta audit sibi colloquentem in vigilia vel in somno, quam quum videt res aliquid significantes. Tertio diversificatur : quandoque enim aliquis videt aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem. B Hic enim gradus est altior, quia per eum magis appropinquatur ad causam revelantem. Quarto diversificatur gradus prophetalis : nam quo major est qui videtur, eo prophetia est altior. Aliquando enim apparet in specie hominis, aliquando in forma angeli, interdum in imagine Dei. — Prædictis vero gradibus eminet tertium genus prophetandi, quod consistit in sola intellectuali illustratione, quod propter suam excellentiam excedit rationem prophetiæ. Et idcirco gradus prophetiæ proprie C sumptæ, attenditur secundum diversitatem imaginariæ visionis.

4. Porro, quamvis quidam Propheta in aliquo fuit major Moyse, tamen simpliciter Moyses erat omnibus Prophetis sublimior in perfectione prophetali. Nam juxta prædicta, in visione prophetica pensatur cognitio tam intellectualis quam imaginaria, et denuntiatio atque confirmatio per miracula. Moyses autem fuit sublimior quantum ad intellectualem visionem : quia secundum Augustinum, vidit divinam es- D sentiam, sicut et Paulus. Unde dicitur de
Num. xii, 8. Moyse : Palam, et non per ænigmata vidit Deum. Item ex parte visionis imaginariæ
Exod. xxxiii, 9, 11. excellit : nam quasi ad nutum audivit et vidit angelum in specie Dei sibi loquentem, etiam vigilando. Sed et ex parte denuntiationis præcedit : quoniam toti populo Judæorum loquebatur ; et iterum, maxima fecit miracula. Verumtamen in hoc David Moysen superat, quia incarnationis Christi mysteria plenius novit atque expressit : et quoad hoc dicitur Prophetarum eximius.

5. Sciendum quoque, quod Beati in patria dici non possunt prophetæ : non enim cognoscunt veritatem supernaturalem et procul exsistentem, vel in effectibus suis resplendentem, sed sicut præsentem, quemadmodum ait Scriptura : Habitabunt recti *Ps.* cxxxix, 14.
cum vultu tuo. Nec revelatio futurorum angelis facta dici debet prophetica : non enim revelatur eis ut procul exsistentibus, sed sicut Deo perfecte unitis.

6. Amplius, revelatio prophetica secundum temporis processum crevit. Major enim fuit sub lege quam ante legem, et tempore gratiæ maxima facta est. Unde Moysi dixit Deus : Nomen meum Adonai *Exod.* vi, 3.
non indicavi eis (puta prioribus Patriarchis). Quod nomen significatur per hoc quod dicitur, Ego sum qui sum : in quo di- *Ibid.* iii, 14.
vinæ naturæ simplicitas revelata est Moysi ; et propter hujus nominis venerationem Judæi significant prædictum nomen per hoc nomen, Adonai. Et sciendum, quod tempore Abrahæ cœperunt homines a cultu et fide unius Dei recedere. Item non invenitur aliquis Propheta librum conscripsisse ante Isaiam. Hoc dicit Thomas.

ARTICULUS CCXXIX.

1. *An anima hominis rapiatur ad divina.* 2. *Ad quam potentiam pertineat raptus.* 3. *An Paulus in raptu viderit divinam essentiam.* 4. *An fuerit alienatus a sensibus.* 5. *Utrum anima ejus pro tunc fuerit a corpore separata.* 6. *Quid circa hoc sciverit et ignoraverit.*

1. RAPTUS denique violentiam quamdam importat, quæ dupliciter consideratur, scilicet : ex parte finis qui est contrarius naturali inclinationi, quemadmodum motus lapidis sursum ; secundo ex parte modi, ut si lapis projiciatur deorsum citius quam sua natura habet. Itaque anima quando elevatur ad spiritualia per alienationem a sensibilibus, rapitur et vio- Quæstio 175.

lentiam patitur, non ex parte termini, sed modi : nam naturalis ejus processus est, ex sensibilibus ad spiritualia progredi ; sed divinis stare intentam, non est contra animæ rationalis naturalem inclinationem.

2. Proprie autem pertinet raptus iste ad intellectum. Nam motus voluntatis est quædam inclinatio in appetibile bonum ; raptus vero est præter propriam inclinationem. Et ergo ex parte objecti, seu termini, raptus intellectum concernit. Sed raptus quantum ad suam causam, procedere potest ex appetitiva potentia, quia ex vehementi affectu ad aliquid potest quis ab omnibus aliis alienari : raptus vero causat delectationem in affectu. — Sciendum vero, quod raptus aliquid addit ad ecstasim. Dicitur enim ecstasis simplex excessus a se ipso, et pertinet ad voluntatem, quia est actus amoris. Nam secundum Dionysium, divinus amor ecstasim facit ; et secundum eumdem, Deus extra se ipsum fit, propter superabundantiam amativæ bonitatis, universis providendo. Raptus autem superaddit violentiam quamdam.

3. Præterea anima Pauli in raptu vidit divinam essentiam, secundum Augustinum libro de Videndo Deum, et duodecimo super Genesim ad litteram. Quod etiam verba Pauli ostendunt, dum asserit se ineffabilia verba audisse. Quidam tamen (II *Cor.* XII, 4.) oppositum hujus dixerunt ; sed irrationabiliter. Rapitur autem mens humana ad contemplanda divina tripliciter, scilicet : Per formas imaginarias, sicut Petrus vidit (*Act.* X, 11.) vas quoddam, etc. Secundo, per effectus intelligibiles, ut in David, qui dixit : Ego dixi in excessu meo. (*Ps.* CXV, 11, sec. Hebr.) Tertio, per ipsius divinæ essentiæ contuitionem, sicut in Paulo et Moyse : qui pro tunc erant beati, non habitualiter, sed secundum actum transeuntem ; eratque in ipsis pro tunc lumen gloriæ, sine quo Dei essentia conspici nequit ; nec fuit in ipsis pro tunc actus fidei vel spei, sed habitus. Decuit enim, ut sicut primus legislator Judæorum vidit Deum per essentiam in vita A præsenti, sic et Paulus gentium doctor Deum ad tempus conspiceret. — Demum tertium cœlum, ad quod se raptum testatur Apostolus, (II *Cor.* XII, 2.) uno modo accipitur cœlum corporeum, puta empyreum : ad quod ideo se asserit raptum, quia ipsum est locus Beatorum, et vitam quam in ipso sortiuntur Beati Deus ei ostendit. Secundo, potest exponi tertium cœlum quædam visio supermundana et intellectualis. Et quoniam talem Dei contemplationem vehemens delectatio sequitur, ideo se addit B raptum in paradisum, id est locum voluptatis divinæ cœlestem.

4. At vero intellectus humanus in omni suo actu naturaliter se convertit ad phantasmata ; et quando a phantasmatibus prorsus abstrahitur, tunc a sensibus alienatur. Eum autem qui Dei essentiam videt, oportet omnino a phantasmatibus abstrahi, quia per nullum phantasma, imo per nullam formam creatam, potest divina cerni essentia. Itaque Paulus in illo raptu erat omnino alienatus a sensibus. Prædi- C cta vero Dei visione cessante, remanserunt in anima Pauli quædam similitudines intelligibiles rerum, per quas memor exstitit eorum quæ vidit.

5. Insuper, non fuit necesse animam Pauli a corpore separari propter raptum. Status enim hominis non mutatur propter raptum, sed actualis conditio. Et etiam, quamvis anima actualiter elevetur supernaturali modo in Deum, tamen perseverat naturalis habitudo ejus ad corpus : quæ in hoc consistit, quod est conversiva ad D phantasmata, ratione cujus est naturalis forma corporis.

6. Præterea, quod ait Apostolus se nescire utrum in corpore raptus sit vel extra corpus, (*Ibid.* 2, 3.) dupliciter exponi potest. Primo, quod Apostolus ignoraverit an corpus ejus fuit simul raptum cum anima in tertium cœlum, vel non : sicut de Ezechiele dicitur, quod adductus est in visionibus Dei in Jerusalem. (*Ezech.* VIII, 3.) Et hunc fuisse intellectum cujusdam Judæi refert Hieronymus in Prologo super Danielem ; sed hunc sen-

sum Augustinus reprobat. Ideoque dicendum, quod Apostolus scivit se raptum, ignorans tamen an anima sua erat separata a corpore, an non. Et hoc Augustinus post longam inquisitionem, duodecimo super Genesim ad litteram, tandem concludit : Sed (ut ait Augustinus) dubitante de istis Apostolo, quis nostrum certus esse potest? Unde qui super hoc loquuntur, conjecturaliter potius quam certitudinaliter loquuntur. A

ARTICULUS CCXXX.

1. *Utrum per gratiam linguarum detur homini omnium linguarum scientia.* 2. *De comparatione hujus doni ad prophetiam.* 3. *Utrum etiam in sermone consistat gratia gratis data.* 4. *Quibus hæc gratia competat.*

Quæstio 176.

1. DISCIPULIS autem primis Christi data est omnium linguarum scientia, quatenus fidem ejus per totum mundum diffunderent. Et tantum habebant singuli de omnium linguarum notitia, quantum ad aliorum salutem et informationem necessarium fuit; quamvis in propriis linguis potentiores exstiterunt quantum ad elegantiam et ornatum sermonis : quemadmodum Hieronymus dicit de Paulo in Prologo super Epistolas, quod epistolam ad Hebræos in proprio idiomate elegantius scripsit, etc.

2. Denique prophetiæ donum dignius est dono linguarum : consistit enim in interiori illuminatione mentis, donum vero linguarum refertur ad diversas voces proferendas, quæ sunt signa alicujus intelligibilis veritatis; item, quia prophetiæ donum ordinatur ad notitiam rerum, quæ præstantior est notitia vocum. Tertio, donum prophetiæ dono linguarum est utilius : et hoc Apostolus probat. Interpretatio autem sermonum ad donum prophetiæ reducitur, et est potior dono linguarum, juxta illud Apostoli : Major est qui prophetat quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur.

I *Cor.* XIV, 1 *et seq.* — *Ibid.* 5.

Quæstio 177.

3. Præterea gratiæ gratis datæ dantur ad utilitatem aliorum. Quum ergo cognitio Dei quam homo a Deo accepit, aliis communicari non queat nisi mediante sermone; ideo datur gratia quædam, quæ dicitur gratia sermonum : per quam aliquis loquitur, non solum ut possit intelligi, quod spectat ad donum linguarum; sed etiam ut efficaciter loquatur, et hoc, tripliciter, scilicet : instruendo intellectum; et inflammando quoque affectum aliorum, inducendo eos quatenus verbum Dei li-
B benter advertant, quod fit dum homo sic loquitur quod alios delectat; et tertio, ad hoc quod auditores ament quæ dicuntur et velint ea implere, quod facit qui sic loquitur quod alios flectit. Quæ omnia Spiritus Sanctus operatur interius, et utitur lingua hominis tanquam instrumento forinsecus.

4. Hæc autem gratia sermonum non competit mulieribus : quibus Apostolus docere prohibuit. Primo, quoniam mulier est subdita viro; docere autem convenit
C superiori. Secundo, ne ex mulierum sermone, audientis libido concitetur : quoniam mulieris colloquium quasi ignis exardescit. Tertio, quoniam mulier ut in pluribus, est in sapientia imperfectior atque in ratione debilior viro. Istud autem intelligendum est de usu sermonis ad totam Ecclesiam : nam mulier docere potest private unum vel paucos, familiariter colloquendo.

I *Cor.* XIV, 34; I *Tim.* II, 12. — *Eccli.* IX, 11.

D

ARTICULUS CCXXXI.

1. *De gratia miraculorum.* 2. *Quibus conveniat.*

Quæstio 178.

1. GRATIA insuper faciendi miracula, necessaria erat Ecclesiæ ad confirmandam fidem de his quæ per donum linguarum atque sermonum docentur. Naturale quippe est homini intelligibilem veritatem agnoscere per effectus sensibiles. Unde sicut per naturales effectus pervenitur, ductu rationis, ad quamdam Dei

naturalem notitiam; sic per supernaturales Dei effectus, qui dicuntur miracula, pervenit homo ad supernaturales fidei veritates : ad quod non datur gratia habitualis, sicut nec ad prophetiam. Miracula autem, secundum Gregorium, quandoque facit homo quasi ex potestate (sicut Petrus occidit Ananiam et Saphiram, et Josue præcepit soli non moveri contra Gabaon); aliquando autem ex postulatione, ut quum oratio præmittitur. Tempore autem Antichristi non fient vera miracula secundum perfectam rationem miraculi : fient enim virtute naturalium causarum.

Act. v, 1 *et seq.* *Josue* x, 12.

2. Ex quibus elicitur, quod non solum boni facere possunt miracula vera, quum illa non fiant nisi virtute divina : quæ miracula efficit ad veritatis confirmationem, et sanctitatis aliquorum demonstrationem ; sed etiam mali, per quos Deus veritatem quam prædicant, confirmat : et idcirco per eos fiunt miracula ad fidei confirmationem, non ad sanctitatis ostensionem, nisi forte aliquorum ad quorum invocationem miracula faciunt. Nunquam autem fieri possunt vera miracula a malis ad defensionem suæ perfidiæ, sive malitiæ.

ARTICULUS CCXXXII.

1. *De divisione vitæ in vitam activam et contemplativam.* 2. *Ad quam potentiam animæ pertineat vita contemplativa.* 3. *Utrum virtutes morales requirantur ad eam.* 4. *An consistat solum in uno actu.* 5. *An quælibet consideratio veritatis spectet ad eam.* 6. *An possit ad visionem divinæ essentiæ elevari.* 7. *De motibus contemplationis secundum Dionysium.* 8. *De ejus delectatione.* 9. *De duratione ipsius.*

Quæstio 179.

1. PORRO viventia appellantur, quæ ex se ipsis moventur et agunt : et ideo propria actio viventis potissime manifestat qualitatem et speciem vitæ ipsius. Proprium autem est homini per rationem intelligere. Intellectus vero est duplex, videlicet : contemplativus, cujus finis est ipsa cognitio veritatis ; et practicus, qui ordinatur ad opus. Et ideo vita bipartitur : in activam, quæ competit his qui exterioribus operationibus sunt intenti ; et contemplativam, quæ eos concernit qui contuendæ veritati præsertim insudant. — Hæc autem divisio vitæ intelligitur de vita humana, et sumitur secundum differentiam intellectus. Studia vero quæ ordinantur ad contemplationem veritatis, pertinent ad contemplativam vitam ; et quæ referuntur secundum rationem ad necessitatem vitæ præsentis, ad vitam spectant activam. Augustinus tamen nono decimo de Civitate Dei, ponit tria genera vitæ, videlicet otiosum, id est contemplativum, actuosum, et ex utroque compositum ; sed hoc tertium ad alia duo reducitur, et maxime ad id quod in se ipso magis abundat.

2. Vita insuper contemplativa est eorum qui principaliter intendunt speculationi Quæstio 180.
veritatis. Intentio autem est actus voluntatis, quia est de fine, qui est voluntatis objectum. Vita ergo contemplativa quantum ad essentiam actionis pertinet ad intellectum ; sed quantum ad id quod movet ad exercendum hujusmodi actum, pertinet ad voluntatem, quæ omnes inferiores animæ vires atque intellectum ad proprios actus movet.

3. Et quoniam contemplatio impeditur per vehementiam passionum, ideo virtutes morales, quarum est passiones sedare, pertinent ad vitam contemplativam dispositive, non autem essentialiter, quia finis earum non est veritatem agnoscere, sed bene activum efficere. Unde secundum Philosophum decimo Ethicorum, pertinent ad felicitatem activam.

4. At vero vita contemplativa humana (unde nunc sermo est) habet unum actum finalem atque præcipuum, a quo nomen et unitatem sortitur, qui est veritatis contemplatio. Sed quoniam homo ad simplicem veritatis contuitum, qui nomine contemplationis designatur, perducitur per actus inferiores, videlicet per acceptio-

nem principiorum et deductionem ex eis; ideo et alii actus intellectus ad contemplationem concurrunt et secundario pertinent.

5. Pariformiter, ad contemplativam vitam primo atque præcipue pertinet divinæ veritatis agnitio, secundario quoque consideratio creaturarum, per quarum notitiam ad Dei contemplationem erigimur. Unde Augustinus in libro de Vera religione dicit : In creaturarum consideratione, non vana et peritura curiositas est exercenda, sed gradus ad immortalia dirigendus. — Ponit autem Richardus de S. Victore sex species contemplationis : quarum prima est secundum solam imaginationem, dum res corporales attendimus ; secunda est in imaginatione secundum rationem, prout scilicet sensibilium ordinem et dispositionem consideramus ; tertia est in ratione secundum imaginationem, puta dum ex sensibilium inspectione ad invisibilia sublevamur; quarta est in ratione secundum rationem, ut dum animus intendit invisibilibus, quæ imaginatio non cognoscit ; quinta est supra rationem, ut quum ex revelatione divina panduntur quæ naturaliter sciri non valent ; sexta est supra rationem et præter eam, utpote dum ea per revelationem agnoscimus quæ rationi repugnare videntur, ut mysterium supergloriosissimæ Trinitatis. Per hæc autem sex, designantur quidam gradus quibus ex creaturarum contemplatione ad divinam contemplationem pertingimus. — Secundum Bernardum vero, sunt quatuor species contemplationis. Prima est admiratio majestatis ; secunda, consideratio judiciorum Dei, et hæc ad divinæ justitiæ considerationem nos promovet ; tertia est beneficiorum ; quarta, promissorum, quæ ad divinæ misericordiæ et bonitatis notitiam introducunt.

6. Denique dupliciter dicitur aliquis esse in hac vita : primo, actualiter, ut quum sensibus corporis phantasiaque utitur ; secundo, potentialiter, ut quum ab istis per raptum alienatur. Nemo ergo potest A in vita præsenti tantum per contemplationem proficere ut Dei essentiam videat, loquendo secundum primum modum essendi in vita hac ; sed secundo modo potest, ut de Paulo prædictum est, cujus contemplatio media fuit inter visionem patriæ et vitæ præsentis.

7. Porro Dionysius, capitulo quarto de Divinis nominibus, comparat operationem intellectualem quæ habet uniformitatem et simplex est, motui circulari, secundum quem mobile circumfertur uniformiter B circa centrum ; actionem vero intellectualem de uno in aliud procedentem, sicut est discursus rationis, comparat motui recto ; actum autem intellectus habentem aliquid uniformitatis cum processu ad alia, comparat motui locali obliquo. Motum quoque circularem attribuit Dionysius angelis, in quantum uniformiter sine principio et fine Deum conspiciunt ; rectum, in quantum inferiores illuminant; obliquum, in quantum ex divina contemplatione ad inferiorum provisionem se extendunt.

C 8. Præterea contemplatio est delectabilis dupliciter, scilicet : ex parte operationis, quia unicuique est connaturalis actio delectabilis et appetibilis ; et item ex parte objecti, ut quum quis rem amatam videt, vel mentaliter vel corporaliter. Et quo aliquis perfectiorem habet sapientiæ habitum aut scientiæ, eo est sibi delectatio major, quia difficultas agendi est minor, et res agnita notior. Unde Gregorius ait : Quum quis eum quem diligit viderit, in ejus amore amplius ignescit. Et hoc D est maxime verum de contemplatione divinorum, de quibus ait Philosophus primo de Partibus animalium : Circa divinas illas et honorabiles exsistentes substantias, minores nobis sunt theoriæ ; quæ tamen propter honorabilitatem intelligendi, delectabilius aliquid habent. Et Gregorius asserit : Vita contemplativa dulcedo valde amabilis est, quæ super se ipsam animam rapit, cœlestia aperit, spiritualia oculis cordis ostendit.

9. Præterea aliquid dicitur diuturnum

dupliciter, videlicet ex sua natura, et quantum ad nos. Vita igitur contemplativa ex sua natura diuturna est, quum sit circa immortalia atque divina, et quia non habet contrarium. Nam delectationi quæ est in considerando, nihil est contrarium, secundum Philosophum. Sed et ex parte nostri esse potest aliquo modo diuturna : quia convenit nobis secundum immortalem partem nostræ substantiæ, quæ est anima; et quoniam in contemplatione corporaliter non laboramus. Tamen quia stare diu non possumus in alto, propter nostri intellectus imperfectionem ; ideo in contemplatione cito interruptionem patimur. Unde Gregorius dicit : In suavitate contemplationis intimæ non diu mens figitur, quia ad se ipsam immensitate luminis reverberata revocatur.

A materia circa quam versatur conceptus interior. Dum ergo homo veritatem concipit ut per eam exteriorem actum disponat, spectat doctrina ad vitam activam; sed ad contemplativam attinet, dum homo intelligibilem veritatem intus concipit, in ipsa delectando et quiescendo.

4. Itaque, quoniam vita activa in exteriori actu consistit, qui si ordinetur ad contemplationis quietem, jam ad vitam pertinet contemplativam ; ideo vita activa non manet in patria : nam et exteri-
B ores actus, si qui ibi erunt, ad contemplationem referentur. Ibi enim vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. Illic Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur : hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus.

ARTICULUS CCXXXIII.

1. *Utrum virtutes morales ad vitam activam pertineant.* 2. *An prudentia.* 3. *An doctrina.* 4. *De duratione ipsius.*

Quæstio 181.

1. MORALES autem virtutes ad vitam activam pertinent. Perficiunt enim hominem in agendis, passiones rectificando et operationes, in quibus vita activa consistit, tam in his quæ sunt ad se ipsum, quam in his quæ homo alii exhibet : in quibus justitia potissime locum habet, quia ejus est reddere cuique quod suum est.

2. Sed et prudentia, quum sit recta ratio agibilium, hoc habet officium, quod ejus cognitio ordinatur ad actiones virtutum moralium, et dirigit eas. Nam fines virtutum moralium sunt principia quædam prudentiæ. Ideoque prudentia ad virtutes morales, et ad felicitatem activam, ad quam virtutes morales ordinantur, pertinet.

3. Porro objectum doctrinæ est duplex : Unum videlicet, ex parte locutionis, et est ipse auditor. Et sic docere pertinet ad vitam activam. Aliud ejus objectum est

ARTICULUS CCXXXIV.

1. *Utra vita sit dignior, contemplativa vel activa.* 2. *Utra majoris meriti.* 3. *An activa*
C *contemplativam impediat.* 4. *De ordine utriusque.*

Quæstio 182.

1. LICET denique vita activa quoad aliquid esse possit vita contemplativa præstantior, tamen simpliciter vita contemplativa est dignior. Quod Aristoteles decimo Ethicorum octo rationibus probat: Primo, quoniam vita contemplativa convenit homini secundum optimum suum, scilicet intellectum, et est circa dignissima entia, puta intelligibilia; vita autem activa
D occupatur circa exteriora. Secundo, quoniam vita contemplativa potest esse magis continua, saltem secundum aliquem gradum. Tertio, quia est delectabilior. Quarto, quia in vita contemplativa est sibi homo magis sufficiens, paucioribus egens. Quinto, quia vita contemplativa diligitur propter se; activa vero ordinatur ad aliud. Sexto, quia vita contemplativa in quadam vacatione atque quiete consistit. Septimo, quoniam ipsa est secundum divina; activa vero est secundum humana. Octavo,

quia vita contemplativa competit homini secundum id quod sibi est proprium, videlicet rationem; in actibus autem vitæ activæ communicant inferiores animæ vires quæ sunt nobis et brutis communes. Nonam rationem Christus adjungit : quoniam vita contemplativa non auferetur quemadmodum activa, sed hic inchoatur et in patria consummatur. In casu tamen, utpote propter necessitatem vitæ præsentis, quandoque magis eligenda est vita activa. Nam et secundum Philosophum, melius est indigentibus ditari quam philosophari. Utraque autem vita ad prælatos pertinet, et maxime contemplativa. Dicit enim Gregorius in Pastorali : Sit rector actione præcipuus, in contemplatione præ cunctis suspensus.

2. Porro vita contemplativa ex suo genere est magis meritoria quam activa, quum sit directius circa Deum intenta, et ad ejus dilectionem extenta : caritas autem est radix promerendi. Sed vita activa directe est circa dilectionem proximi,
Luc. x, 40. tamen propter Deum : nam occupatur circa frequens ministerium. Et istud Gregorius asserit super Ezechielem. Potest nihilo minus aliquis in operationibus vitæ activæ plus mereri quam alius in vitæ actibus contemplativæ : scilicet quando propter abundantiam divini amoris, quatenus Dei voluntas impleatur ad gloriam suam, sustinet a contemplationis dulcedi-
Rom. IX, 3; *Philipp.* I, 24, 25. ne ad tempus separari, ut Paulus. In præmio quoque accidentali præcedere potest vita activa, in quantum laboriosior est.

3. Porro vita activa, in quantum interiores animæ passiones componit et ordinat, contemplativam juvat, sed ratione exterioris occupationis eam sæpius impedit.

4. Item, vita contemplativa est prior activa, secundum perfectionem et ex sua natura, quum ad rationem pertineat, quæ vitam activam dirigit, et melioribus quoque insistit. Sed vita activa est prior secundum viam generationis, seu quoad nos : nam ipsa disponit hominem ad vitam contemplativam. Non enim est prius quod spirituale, sed quod carnale. *I Cor.* XV, 46.

ARTICULUS CCXXXV.

1. *Quid faciat in hominibus statum.* 2. *Utrum diversi status ac diversa officia esse in hominibus debeant.* 3. *De differentia officiorum.* 4. *De differentia statuum.*

1. STATUS præterea proprie importat quamdam positionis differentiam, QUÆSTIO 183.
secundum quam aliquid disponitur juxta modum suæ naturæ cum quadam immobilitate : sicut quum homo stat erectus. Ea ergo quæ cito variantur atque extrinseca sunt, non constituunt in homine statum, ut sunt divitiæ, paupertas, prælatio, esse plebeium, etc.; sed quæ respiciunt obligationem personæ hominis, scilicet prout est aliquis sui vel alieni juris : et hoc, non ex levi causa, aut de facili mutabili, sed ex aliquo permanente principio. Et quoniam hoc pertinet ad libertatem et servitutem; ideo status proprie spectat ad libertatem vel servitutem, sive in spiritualibus sive in corporalibus, et in sua ratione importat conditionem alicujus istorum.

2. Sunt demum in Ecclesia diversi status atque officia propter tria. Primo, ad perfectionem Ecclesiæ, quatenus gratia capitis, scilicet Christi, participetur a membris diversimode et per partes, in quo ordo decens consistit : nam plenitudo gratiæ Christi participari non valet, nisi hoc modo. Et ideo ait Apostolus : Ipse dedit *Ephes.* IV, 11.
quosdam quidem Apostolos, etc. Secundo, propter necessitatem actionis, quia oportet diversos ad diversa deputari officia, quatenus omnia ordinate fiant. Tertio, istud attinet ad majorem decorem Ecclesiæ : in cujus figura legitur regina Saba *III Reg.* X, 5.
non habuisse spiritum, videns ordinem ministrorum Salomonis.

3. Denique, secundum hæc tria ad quæ ordinatur diversitas membrorum Ecclesiæ, accipitur triplex fidelium distinctio.

Una videlicet, per respectum ad perfectionem : et ita accipitur differentia statuum, prout quibusdam quidam perfectiores sunt. Alia, per respectum ad actionem : et hæc est officiorum distinctio, per quam diversi diversis actibus deputantur. Tertia, per respectum ad ordinem pulchritudinis ecclesiasticæ : et sic sumitur diversitas graduum, utpote quum in eodem statu sive officio est alius perfectior alio. Sic ergo officia distinguuntur per actus, id est formalem actuum diversitatem, qui ordinantur et referuntur ad alium. Dicit enim Isidorus : Officium est ut quisque illa agat quæ nulli noceant et omnibus prosint.

4. Porro libertas in spiritualibus est duplex sicut et servitus : una enim est servitus peccati, alia autem justitiæ ; una quoque est libertas a peccato, quæ est vera libertas, quia peccatum est contra id quod est secundum naturam ; alia est libertas a justitia, quæ non est vera libertas, sed misera servitus. Servire autem peccato vel justitiæ ex habitu bono vel malo, causatur per humanum studium. In omni vero studio hominis est principium, medium, et terminus. Ideo status spiritualis servitutis ac libertatis secundum tria distinguitur, scilicet : secundum principium, ad quod spectat status incipientium ; et medium, quod concernit status proficientium ; et finem, ad quem attinet status perfectorum. Et secundum ista ponitur etiam triplex gradus caritatis, sicut ante prædictum est.

ARTICULUS CCXXXVI.

1. *Utrum perfectio attendatur secundum caritatem.* 2. *An possit homo in præsenti esse perfectus.* 3. *In quo magis consistat perfectio.* 4. *An omnis perfectus sit in statu perfectionis.*

Quæstio 184. 1. CARITAS vero quum sit animæ vita, et in patria perseverans, omniumque finis virtutum, merito dicitur
A id secundum quod perfectio ipsa attenditur.

2. Perfectio denique caritatis est triplex. Una, quum Deus tantum amatur quantum amabilis est : et sic nullius puræ creaturæ dilectio est perfecta. Secunda, quum quis semper actualiter tendit in Deum secundum totum posse suum : et hæc est perfectio caritatis in patria. Tertia est per quam impedimenta actus dilectionis abjiciuntur, quæ sunt cupiditas et peccata. Et ista in præsenti vita haberi po-
B test dupliciter : Uno modo, excludendo omne quod caritati contrariatur, videlicet omne peccatum mortale. Talis autem perfectio ad salutem necessaria est. Secundo modo, illa excludendo quæ actum caritatis impediunt fervoremque minuunt. Et hæc est perfectio eorum qui consilia tenent.

3. Insuper, sicut dictum est, perfectio vitæ humanæ essentialiter consistit in dilectione Dei et proximi : de qua dantur duo præcepta, in quibus tota lex pendet *Matth.* XXII, 40.
C et Prophetæ, et per consequens omnis perfectio. Caritas enim Dei sine mensura præcipitur : et ergo nihil ejus sub consilio derelinquitur. Secundario autem et instrumentaliter consistit perfectio in consiliis. Nam sicut cetera præcepta ordinantur ad caritatem, removendo ea quæ caritati contrariantur ; sic consilia ordinantur ad eam, excludendo illa quæ actum caritatis impediunt.

4. Amplius, ad hoc quod homo adipiscatur statum servitutis vel libertatis, primo
D exigitur quædam obligatio ad serviendum, vel absolutio a servitute per quam liber efficitur. Secundo, requiritur ut hæc cum quadam solennitate fiant, quemadmodum alia quæ perpetuam firmitatem in Ecclesia sortiuntur. Unde in statu perfectionis dicitur aliquis esse, non quia perfectionem dilectionis adeptus est, sed quoniam ad illam se solenniter obligavit. Est autem possibile ut aliqui non solvant quod vovent, alii vero quæ non promiserunt adimpleant : ideoque aliqui sunt in statu

perfectionis, qui perfectionem non habent; aliqui quoque eamdem sortiti sunt, qui tamen in statu perfectionis nequaquam consistunt.

ARTICULUS CCXXXVII.

1. *An prælati et religiosi sint in statu perfectionis.* 2. *An omnes prælati sint in illo.* 3. *Quorum status sit perfectior, episcoporum vel religiosorum.* 4. *De comparatione quoque religiosorum ad plebanos et archidiaconos.*

1. RELIGIOSI præterea in statu perfectionis sunt, quoniam cum professione et benedictione solenni se adstringunt a sæcularibus rebus et licitis abstinere, ut possint Deo liberius puriusque vacare. Episcopi quoque, assumendo pastorale officium, obligant se ad ea quæ perfectionis exsistunt, ut scilicet animam suam ponant pro sibi commissis. Dicit enim
1 *Tim.* VI, 12. Apostolus ad Timotheum : Confessus es bonam confessionem coram multis testibus (in tua ordinatione, secundum Glossam). Adhibetur quoque solennitas consecrationis cum professione, sicut quinto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ Dionysius pulchre deducit. Et ergo Dionysius episcopis et monachis attribuit singulariter esse in statu perfectionis.

2. Denique non omnes prælati sunt in statu perfectionis, videlicet presbyteri atque diaconi curam animarum habentes. In his enim pensatur Ordo, qui refertur ad ecclesiasticum actum, et cura. Ex parte autem Ordinis, non obligantur ad perfectionem, nisi quantum ad occidentalem Ecclesiam, in qua sacros Ordines suscipientes, continentiam, quæ est pars perfectionis, promittunt. Similiter, ex parte curæ non ponuntur in statu perfectionis : possunt enim curam propria auctoritate relinquere, religionem intrando, ut dicitur in Decretis, vel simplicem præbendam
A accipiendo de licentia episcopi. Dicit quoque Hieronymus, quod olim non fuit distinctio inter presbyteros et episcopos : quod intelligendum est secundum convenientiam nominis, et non rei.

3. Insuper, status episcoporum altior est statu religiosorum. Nam secundum Dionysium, in genere perfectionis episcopi se habent ut perfectores, religiosi vero ut perfecti : agens autem patiente præstantius est. Licet enim episcopi non semper omnia pro Christo relinquant secundum
B actum, tamen secundum præparationem animi debent ad hoc maxime esse parati, si honor Dei et salus, sive necessitas commissæ plebis hoc exigat. Nec obstat quod vita eorum est partim activa et circa proximos occupata : debent enim in contemplatione esse præcipui, secundum Gregorium, quatenus post contemplationem redeuntes, impleant illud quod scriptum est : Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ Ps. CXLIV, 7.
eructabunt.

4. At vero in presbyteris curatis et ar-
C chidiaconis tria considerantur, scilicet : status, quia sunt sæculares ; Ordo, quia sunt sacerdotes sive diaconi ; et officium, quoniam curam habent animarum. Secundum statum igitur, religiosi excellunt eos; sed secundum alia, quandoque exceduntur, videlicet qui sacerdotes non sunt. Simpliciter tamen status religiosorum est dignior, quia perpetuo obligant se ad Dei obsequium perfectionisque studium. Illi autem non obligant se ad perpetuam curam animarum sicut episcopi ; habent
D etiam curam animarum sub episcopo minus principalem ac particularem : et ergo secundum jura religionem ingredi possunt. Difficilius quoque est bene conversari in religione propter arctitudinem Regulæ, quam in sæculari cura, licet quoad exteriora pericula sit econverso. Plus autem peccat sacerdos sæcularis aliquid agens sanctitati contrarium, quam religiosus non sacerdos : nam ratione Ordinis ad dignissima deputatur Christi mysteria.

ARTICULUS CCXXXVIII.

1. *Utrum liceat episcopatum appetere.* 2. *An finaliter recusare.* 3. *An oporteat ad episcopatum eligere meliorem.* 4. *An liceat episcopo religionem intrare.*

Quæstio 185. 1. DENIQUE in episcopatu tria pensantur, videlicet : Actio episcopalis qua aliorum saluti intendit : et hoc est principale et finale in episcopatus ratione. Quamvis autem aliis velle prodesse sit secundum se bonum et appetibile, tamen præsumptuosum illud videtur appetere cum tali annexione alti gradus, ut est episcopatus, nisi instante manifesta necessitate, propter quam dicit Apostolus : Qui episcopatum desiderat, opus bonum desiderat. (*Tim.* III, 1.) Hoc enim (secundum Gregorium) dixit, quando episcopi primi trahebantur ad martyrium, et nihil poterat in episcopatu amari nisi opus bonum. Isaias etiam mitti voluit, quia (secundum Gregorium) se scivit per calculum altaris ante purgatum. (*Is.* VI, 8. *Ibid.* 6, 7.) Secundo, consideratur in episcopatu celsitudo gradus : quam appetere præsumptuosum exsistit. Tertio, consideratur honor, et reverentia, temporaliumque rerum sufficientia in episcopatu. Hæc vero optare, ad cupiditatem ambitionemque pertinet. Unde Chrysostomus dicit : Primatum honoris concupiscere, vanitas est : primatus enim se fugientem desiderat ; desiderantem se horret. Et Augustinus dicit in epistola ad Valerium : Cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius episcopi vel presbyteri aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator jubet. Quis ergo est (ut dicit Chrysostomus) qui primatum desiderat, nisi qui judicium Dei non timet ?

2. At vero, quamvis unusquisque, quantum in se est, episcopatum debeat recusare ; non tamen hoc debet, quando superioris auctoritas præcipit. Hoc enim caritati proximorum quam aliis tenemur impendere, et humilitati quam superiori debemus, derogaret : nisi habeat inevitabile impedimentum, quod etiam allegare oportet.

3. Item, qui Ecclesiæ de episcopo providere habet, non tenetur eligere simpliciter meliorem, id est in caritate perfectiorem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui possit eam instruere atque defendere, ac pacifice gubernare. Ex parte vero ejus qui eligitur, non oportet quod se aliis meliorem reputet aut dignum se putet ; sed sufficit si nihil in se invenit per quod ei fiat illicitum prælationis officium sumere.

4. Porro perfectio episcopalis status in hoc consistit, quod homo ex divina dilectione se obligat proximorum saluti insistere. Et ideo quamdiu potest illis proficere, non debet curam pastoralem relinquere, neque propter quietem contemplationis divinæ. Si autem aliis nequit proficere, vel causa proprii defectus, vel ex parte aliorum ; tunc non licet claustrum ingredi sine dispensatione domini Papæ, qui solus potest in perpetuo voto dispensare, ut *extrav. De renuntiatione* dicit Innocentius III. Prædictis vero impedimentis cessantibus, potest denuo ad episcopatum assumi : quod non licet quando propter propriam culpam a præsulatu deponitur, et in claustro ad agendam pœnitentiam collocatur.

ARTICULUS CCXXXIX.

1. *An liceat episcopo propter persecutionem gregem relinquere.* 2. *An possit habere aliquid proprium.* 3. *An peccet mortaliter bona ecclesiastica pauperibus non erogando.* 4. *An religiosi facti episcopi teneantur servare observantias regulares.*

1. IN obligatione autem pensandus est finis obligationis. Quoniam ergo obligat se episcopus ad actum pastoralis officii propter proximorum salutem, non debet gregem dimittere propter tempora-

le commodum vel personale periculum, A quando ejus præsentia est subditis necessaria. Si autem per alium eis sufficienter providere queat, tunc potest corporaliter gregem suum deserere : [vel propter personæ periculum,] maxime si ipse solus specialiter quæratur ab adversariis ; vel propter commodum Ecclesiæ : quemadmodum in epistola ad Honoratum ait Augustinus.

2. Insuper, quia paupertas ad supererogationem pertinet, non tenentur episcopi proprio carere : non enim obligant se ad B hoc ; et sancti episcopi, scilicet Athanasius, Ambrosius, Augustinus, etc., propria habuerunt. Nam perfectio essentialiter consistit in caritate, non in paupertate. Sed potest cum summa opulentia esse summa perfectio, ut patet in Abraham.

3. Præterea bona Ecclesiæ ordinantur non tantum in pauperum usus, sed etiam in cultum divinum et necessitatem ministrorum. Si itaque de his quæ merito in usum pauperum cedunt, aliquid sibi retineat quod notabile sit, aut de his quæ C aliis debita sunt, injuste agit, mortaliter peccat, et ad restitutionem tenetur. De his vero quæ tanquam propria possidet, et de parte ecclesiasticorum bonorum sibi debita, potest disponere sicut et alii de propriis bonis.

4. Sciendum autem, quod religiosi in episcopos ordinati, tenentur ad illas observantias regulares quæ conditioni et exsecutioni episcopalis status non repugnant, ut sunt continentia, paupertas, habitus professionis, et alia quædam. Quæ D autem repugnant prædictis, ut sunt solitudo, silentium, longæ vigiliæ, ad illa non obligantur. In his vero ad quæ tenentur, dispensatione uti possunt sicut in claustris.

ARTICULUS CCXL.

1. *An status religiosorum sit perfectus.* 2. *An religiosi teneantur ad omnia consilia.* 3. *Utrum voluntaria paupertas requiratur ad religionem.* 4. *An continentia.* 5. *An obedientia.*

1. EST autem religio virtus per quam aliquid Deo offertur. Ideoque qui totam vitam suam Dei obsequio mancipant, antonomastice religiosi vocantur. De quibus ait Gregorius : Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant; sed sensum, linguam, vitam atque substantiam quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. Propter quod religiosi in statu perfectionis consistunt. Quæstio 186.

2. At vero religiosus quilibet non tenetur ad universa consilia, sed ad illa quæ suæ professioni ac regulæ congruunt.

3. Pertinet autem paupertas ad omnes religiosos. Nam temporalium rerum affectio, occupatio et implicatio illam puram et amorosam unionem mentis ad quam tendit religio, impedit : quia secundum Augustinum, minus Deum diligit qui aliquid cum eo amat, quod non propter Deum diligit : nam nutrimentum caritatis est diminutio cupiditatis, et perfectio ejus est nulla cupiditas.

4. Item, usus copulæ carnalis retrahit animam a pura elevatione ac unione in Deo, tum propter delectationis vehementiam, tum propter sollicitudines providendi uxori ac filiis. Unde continentia ad religionem concurrit.

5. Et quoniam finis religionis est mentem Deo cum sinceritate unire, ideo obedientia quoque exigitur. Oportet enim aggredientes spirituale certamen et continuantes illud, dirigi a superiore velut a quodam magistro, et ad ejus moveri arbitrium in agendis. Omnes autem monachi et etiam eremitæ, tenentur obedire suo episcopo.

ARTICULUS CCXLI.

1. *Utrum oporteat hæc tria sub voto cadere.* 2. *De sufficientia horum votorum.* 3. *De comparatione eorum ad invicem.* 4. *An religiosus semper mortaliter peccet regulæ suæ*

statutum transgrediens. 5. An ceteris paribus, plus peccet in eodem genere culpæ religiosus quam sæcularis.

1. QUONIAM autem status religiosorum perfectus exsistit, ideo necesse est ut religiosus obedientiam, paupertatem et continentiam repromittat : quoniam obligatio ad ea est necessaria ad statum perfectionis, sicut præhabitum est.

2. Per has autem virtutes offert homo Deo quidquid in rebus, in corpore et in anima habet; et maxima perfectionis impedimenta tolluntur, videlicet possessio rerum, concupiscentia feminarum, et propria voluntas, cujus abnegatio est acceptissima Deo, quia homo libertatem naturaliter maxime amat.

3. Horum quoque votorum potissimum est obedientiæ votum : primo, quia per eam melius bonum, puta propria voluntas, Deo immolatur; secundo, quia votum istud continet sub se alia vota, nam continentem et pauperem esse, sub obedientia cadit; tertio, quoniam actus obedientiæ sunt magis spirituales et fini religionis propinquiores.

4. Porro obligatio horum trium cum mortali peccato deseritur; aliorum vero transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum. Votum enim principaliter respicit tria prædicta : quia religiosi non vovent omnia servare quæ continentur in Regula, sed regularem conversationem, quæ essentialiter in tribus prædictis consistit.

5. Agnoscendum quoque, quod religiosus gravius peccare potest quam sæcularis eadem specie peccati, tripliciter : primo, si agat aliquid contra votum, scilicet fornicando aut furando; secundo, si agat ex contemptu; tertio, propter scandalum, quoniam plures vitam ejus considerant. Si autem religiosus aliquid mali committit quod non est contra votum, non ex contemptu, sed ex ignorantia vel infirmitate, nec cum scandalo aliorum, sed quasi in occulto, minus peccat quam sæcularis in eodem genere peccati : quia si peccatum ejus est veniale, absorbetur a multis bonis quæ facit; et si est mortale, citius ab eo resurgit. Nam intentio ejus citius revocatur ad pristina, secundum Origenem. Juvatur etiam a sociis, quemadmodum scriptum est : Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Justi vero non cito ex contemptu peccant; quum autem ex ignorantia vel infirmitate peccant, cito reparantur. Sed si in contemptu cadant, pessimi et incorrigibiles fiunt.

Eccle. IV, 10.

ARTICULUS CCXLII.

1. An liceat religiosis docere, prædicare, et similia facere. 2. An sæcularibus rebus sese intromittere debeant. 3. An teneantur manibus operari. 4. An possint de eleemosynis vivere. 5. An mendicare ipsis liceat. 6. An viliora vestimenta portare.

QUÆSTIO 187.

1. DICITUR denique aliquid alicui esse illicitum dupliciter. Primo, quia habet aliquid in se repugnans ei, quod dicitur non licere : sicut non licet irregulares sacros Ordines sumere. Et sic non est religiosis illicitum prædicare atque docere : quia ex voto vel præcepto non adstringuntur abstinere ab his; nec ratione religionis fiunt indigni, sed magis idonei propter vitæ sanctitatem. Secundo, dicitur aliquid alicui illicitum, quia caret illo unde illud posset : sicut diacono non licet celebrare. Et sic religiosis non licet prædicare, quia status religionis non confert ipsis potestatem hoc faciendi. Possunt tamen facere ista si Ordinem aut ordinariam jurisdictionem recipiant, vel si eis committantur quæ jurisdictionis sunt.

2. Insuper, quum religionis status ad perfectionem ordinetur, quæ primo in Dei dilectione et secundario in proximorum affectu consistit; ideo religiosi præcipue Deo vacare debent. Si autem necessitas proximis immineat, possunt se de eorum negotiis intromittere : cum debito tamen moderamine, et cum superioris licentia,

ex caritate et non ex cupiditate ministrando, et sæculares homines dirigendo.

3. Porro labor corporalis ad quatuor valet : ad victum quærendum, ad otium evitandum, ad concupiscentiam refrenandam, et ad eleemosynas faciendas. Si ergo religiosi aliunde victum vestitumque habere prævaleant, non tenentur manualiter operari, sicut nec divites sæculares. Otium quoque vitari potest per studium et meditationem Scripturarum ac laudes divinas. Sed et caro maceratur sufficienter per jejunia atque vigilias. Labor etiam non cadit sub præcepto secundum quod ad eleemosynas ordinatur, nisi forte in aliquo casu. Patet ergo quod per nullum prædictorum quatuor ad quæ labor corporalis refertur, teneantur religiosi manibus operari. Nec enim tenentur manualiter operari, nisi propter speciale statutum Regulæ quam profitentur. Neque Apostolus præcepit corporalem laborem, nisi quibusdam propter speciales causas quæ in omnibus locum non habent.

4. At vero quod alicui liberaliter datur, de eo vivere licite potest. Et ergo religiosi quibus aliorum munificentia providit, de illorum eleemosynis vivere licite possunt. Sed quia ideo eis eleemosynæ dantur quatenus benefactoribus spiritualia bona rependant, ideo illicite eleemosynas edunt, si ab actibus religiosis desistant : defraudarent enim intentionem datorum. Quadrupliciter demum vivere possunt religiosi de eleemosynis quasi sibi debitis : primo, si prædicent; secundo, si sint ministri altaris; tertio, si insistant studio Scripturæ propter utilitatem communem totius Ecclesiæ; quarto, si bona sua quæ habebant claustro dederunt.

5. Amplius, circa mendicitatem duo perpenduntur. Unum, ex parte actus mendicantium : in quo actu propter suam abjectionem et vilitatem potest consistere magna humilitas. Et ergo contra superbiæ morbum quidam sancti leguntur mendicasse, ut S. Alexius. Sed circa hoc est discretio necessaria, ne homo notam vel

A vitium cupiditatis, aut simile quidpiam indecens incidat. Secundo, consideratur mendicitas ex parte ejus quod mendicando acquiritur. Et sic potest homo ad mendicandum induci ex triplici causa, scilicet : Ex cupiditate ditandi, vel otiose vivendi : quod pessimum est. Secundo, ex necessitate, quia aliunde non habet unde vivat : et hoc licet. Tertio, ex utilitate, videlicet quando occupatur circa quædam utilia ad quæ eleemosynis eget, sicut scholares mendicant quatenus studio sapientiæ B vacent : et hoc modo tam sæcularibus quam religiosis mendicare est licitum.

6. Præterea, habitus vilis atque incultus, si ex negligentia vel avaritia procedat, ad vitium pertinet; similiter, si propter ostentationem portetur. Si vero propter sui ipsius humiliationem vel aliorum ædificationem portetur, est laudabile.

ARTICULUS CCXLIII.

C *1. An sit tantum una religio, vel plures. 2. An possit institui aliqua religio ad opera vitæ activæ. 3. An ad bella gerenda. 4. An ad prædicandum, 5. vel ad studium scientiæ.*

1. PORRO status religionis est quoddam exercitium, quo homo ad perfectionem caritatis exercetur. Quæstio 188.
Diversa autem sunt opera caritatis quibus aliquis vacare potest; diversi quoque modi exercitiorum. Et sic religiones dupliciter distinguuntur. Primo, secundum ea ad quæ ordinantur (et hæc est formalis distinctio, quia a fine accipitur) : ut quum una ordinatur ad D suscipiendos peregrinos, alia ad fidei defensionem. Secundo, distinguuntur secundum diversitatem exercitiorum, quæ in Regulis assignantur, et quibus diversi diversimode ad gratiam Dei se aptant.

2. Insuper, quoniam caritatis perfectio etiam ad proximos se extendit, subveniendo eorum necessitatibus; ideo apte instituta est quædam religio ad vitam spectans activam, videlicet ad hospitalitatem.

3. Convenienter quoque est instituta quædam religio militaris, et propter fidei

ac divini cultus, atque rei publicæ, ac A pauperum defensionem, non autem propter aliquid mundanum. Hi tamen bellum non gerunt propria auctoritate, sed principum sive Ecclesiæ.

4. Denique incomparabiliter rationabilius fuit ad prædicandum religionem institui : quoniam zelus animarum est sacrificium acceptissimum Deo; et majus est populum Dei spiritualibus armis contra hæreticos et dæmonum tentationes defendere, quam corporalibus armis Christifideles tueri. Prædictos autem actus docendi, vel confessiones audiendi, prædicti religiosi non debent exsequi indifferenter, sed secundum auctoritatem et commissionem ac moderationem superioris, vel episcopi, vel proprii prælati.

5. Præterea inter opera vitæ activæ illa potissima sunt, quæ ordinantur directe ad animarum salutem, ut prædicare, etc. Studium autem litterarum convenit religioni tripliciter. Primo, quoad vitam contemplativam dupliciter, scilicet : directe, in quantum intellectum illuminat ; secundo indirecte, removendo contemplationis pericula, puta errores qui sæpe in contemplatione divinorum illis accidunt qui Scripturas ignorant, quemadmodum in Collationibus Patrum de abbate Serapion dicitur. Secundo, necessarium est studium litterarum religiosis institutis ad prædicandum vel docendum. Tertio, valet studium litterarum religionique congruit quoad id quod omni religioni commune est. Valet enim ad vitandam carnis lasciviam. Et ergo Hieronymus dicit ad Rusticum : Ama studia Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Aufert quoque cupiditatem divitiarum ; et valet ad obedientiæ documentum. Quod vero ait Scriptura, Quoniam non cognovi litteraturam, etc., dictum est de littera veteris legis, de qua Apostolus, Littera, inquit, occidit : et sic non cognoscere, est non approbare litteralem circumcisionem, ceterasque observantias carnales. Patet igitur quod convenienter possit institui religio ad studium litterarum.

Ps. LXX, 15, 16.

II Cor. III, 6.

ARTICULUS CCXLIV.

1. *An religio ad contemplativam vitam ordinata sit potior.* 2. *An habere aliquid in communi diminuat de perfectione religionis.* 3. *An religio solitariorum sit præferenda religioni in societate viventium.*

1. EXCELLENTIA quoque unius religionis super aliam ex fine potissime sumitur ; secundario autem sumitur ex parte exercitiorum quæ referuntur ad B finem. Illa ergo religio potior est, quæ ordinatur ad digniorem finem. Opus autem vitæ activæ est duplex. Unum, ex plenitudine contemplationis descendens, quemadmodum prædicare, docere : et hoc præfertur simplici contemplationi, quoniam majus est illuminare, quam solum lucere. Aliud est vitæ opus activæ quod omnino in exteriori actu consistit, ut hospitio recipere : hoc autem contemplationi postponitur. Itaque illa religio summa est, quæ ordinatur ad prædicandum atque docen- C dum, quæ etiam episcopali perfectioni est propinquior; quæ vero ad contemplationem ordinatur, secundum obtinet locum ; sed quæ circa exteriores actiones intendit, tertium locum sortitur.

2. Insuper, magnarum divitiarum possessio, etiam in communi, perfectioni religionis multum derogat, et varias occupationes atque curas inducit; sed moderatæ divitiæ perfectionem religionis non tollunt neque impediunt, in communi loquendo. Tamen religioni quæ ordinatur ad mili- D tandum, magnæ divitiæ congruunt in communi ; illi vero quæ ad contemplationem refertur, mediocres; sed illi quæ ordinatur ad opera vitæ activæ ex contemplatione exorta, minimæ divitiæ competunt. Quorum ratio est, quia tanto plus impedit temporalium rerum sollicitudo religionem, quanto ad eam major sollicitudo spiritualium rerum exigitur.

3. Amplius, sicut paupertas non est ipsa perfectio, sed perfectionis instrumentum; sic et solitudo non est perfectio. So-

litudo autem non est instrumentum aptum actioni, sed contemplationi : et ergo non competit religionibus ad opera vitæ activæ ordinatis, nisi forte ad tempus. Considerandum autem, quod solitarius debet esse sibi ipsi sufficiens : quod pertinet ad perfectionem. Perfectum quoque est cui nihil deest. Ideo solitudo convenit contemplanti perfectionem adepto : quod dupliciter accidit, scilicet : Ex solo munere Dei, ut in Joanne Baptista, qui puer
Luc. I, 80, 15. ingressus est eremum, quia ex utero matris erat Spiritu Sancto repletus. Secundo, contingit per exercitium virtuosi actus, in quo homo juvatur per aliorum societatem dupliciter, scilicet : quoad instructionem intellectus, ne homo seducat se ipsum ; et quoad affectum, in quantum aliorum exemplo vitia reprimuntur. Unde vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis ; sed solitudo competit jam perfectis. Sicut ergo id quod perfectum est præfertur ei quod ad perfectionem movetur ; sic vita solitaria, si debito modo assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem sine tali præcedenti exercitio assumatur, periculosissima est, nisi divina gratia suppleat quod alii per exercitium acquirunt, ut in Antonio, Benedicto. Nec
Ecclc. IV, 9. obstat prædictis quod scriptum est, Melius est duos esse simul : nam hoc dicitur propter mutuum auxilium, quo perfecti non indigent.

ARTICULUS CCXLV.

1. *Utrum nondum exercitati in præceptis Dei debeant religionem ingredi.* 2. *An liceat aliquem voto obligari ad religionis ingressum.* 3. *Et an sic obligati eam teneantur intrare.* 4. *An voventes religionem intrare teneantur in ea perpetuo remanere.* 5. *An pueri sint recipiendi.*

QUÆSTIO 189. 1. FREQUENTER prætactum jam reor, quemadmodum religio sit quoddam exercitium ad adipiscendam caritatem perfectam, in quantum per observan- A tias regulares caritatis impedimenta, id est terreni affectus et occasiones peccandi, tolluntur. Quum ergo ad perfectionem conari et tendere competat non tantum justis, sed etiam imperfectis; ideo illi qui nondum in observantia divinorum mandatorum exercitati sunt, religionem ingredi possunt, quatenus peccandi occasiones devitent et ad virtutes magis proficiant.

2. Denique conveniens et meritorium est, ut homo se ad religionis introitum voto adstringat : tum quia vovere est ac- B tus virtutis, quæ appellatur religio ; tum quia per votum firmatur voluntas ut in perpetuum Deo adhæreat.

3. Quoniam vero secundum præinducta, votum est promissio Deo facta de his quæ ad Deum pertinent, quale est religionem intrare : ideo qui vovet religionem intrare, etiam solo simplici voto, tenetur eam intrare, et Altissimo vota sua reddere ; et *Ps.* XLIX, 14. eo modo quo intendit se per votum obligare, sic tenetur exsolvere. Si enim absolute promisit, tenetur implere quo ci- C tius poterit ; si vero ad certum tempus aut sub determinata conditione vovit, tenetur tempore adveniente, vel impedimento seu conditione cessante, intrare.

4. Quod si absolute vovet claustrum introire, tenetur in ipso in æternum perseverare, si ejus intentio ad hoc ferebatur.

5. Præterea, si puer ante annos pubertatis, id est quatuordecim, votum simplex emittat de religione intranda, potest a patre revocari, quia adhuc in parentum potestate et cura exsistit. Si vero ante an- D nos pubertatis sit doli capax et usum rationis perfectum habens, secundum conscientiam tenetur implere, quantum in se est ; et tamen a patre potest revocari. Non autem obligatur quoad Deum ante plenum usum rationis. Aliud demum est votum solenne : et talis voti professio nequaquam rata est neque effectum sortitur ante tempus pubertatis, etiam quamvis in puero ante prædictum tempus usus rationis anticipetur. Ecclesia namque respicit quod in pluribus accidit. Quamvis

autem pueri ante annos pubertatis profiteri non valeant, possunt tamen de parentum consensu in religione recipi, quatenus nutriantur in claustro : quod multum conveniens est, juxta illud : Bonum est viro quum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.

Thren. III, 27.

Advertendum quoque, quod votum religionis majus est voto peregrinationis Terræ sanctæ : præsertim quum votum Terræ sanctæ in ipsum commutari possit, ut Alexander III asserit. Per ipsum enim consequitur homo omnium veniam peccatorum : quemadmodum in Vitis Patrum habetur, quod eadem sit gratia in religionis ingressu atque Baptismo. Totam enim vitam suam dedicat et mancipat homo Dei obsequio religionem ingrediens.

ARTICULUS CCXLVI.

1. *An propter parentum obsequium retrahi debeat homo a religionis ingressu.* 2. *An presbyteri curati, vel archidiaconi, possint ingredi claustrum.* 3. *An possit aliquis de una religione transire ad aliam.* 4. *An aliquis debeat alium ad religionis ingressum inducere.* 5. *Utrum requiratur magna deliberatio cum cognatis atque amicis ad religionis ingressum.*

1. PORRO, si parentes in necessitate constituti sunt, sic quod aliunde commode sustentari non possunt, nisi a filiis ; tunc non licet filiis, relicta cura parentum, ingredi religionem : quemadmodum non licet parentibus religionem intrare, non proviso quomodo filii educentur. Si autem parentes filiorum subsidio non multum indigent, tunc possunt invitis parentibus ingredi claustrum : quoniam post annos pubertatis, quivis ingenuus, est propriæ libertatis ac juris in his quæ sunt sui status.

2. Præterea, quoniam presbyteri curati, et archidiaconi, non obligantur ad curam animarum perpetua obligatione; propterea religionem ingredi possunt, in qua perpetuo voto divinis se mancipent, curam sibi commissam episcopo renuntiantes. Istud autem præsuli non licet, sicut ostensum est.

3. Insuper, non debet aliquis de una religione se transferre ad aliam, propter vitandum scandalum, et quia facilius proficere potest in religione quam semel acceperit, ceteris paribus. Tamen propter magnam utilitatem vel necessitatem istud laudabiliter fit triplici ratione : Primo, zelo perfectioris alterius religionis. Secundo, si in prima religiosi remissius agere inchoent : tunc enim intrare potest aliam, quamvis minorem, in qua laudabiliter vivitur. Unde in Collationibus Patrum abbas Joannes dicit se a vita eremitica ad socialem redisse, quia vita illa cœpit remitti tempore illo. Tertio, propter infirmitatem seu debilitatem. In primo autem casu, debet aliquis licentiam petere propter humilitatem : quæ ei negari non potest, si constet aliam religionem esse perfectiorem ; si vero de hoc dubitatur, est superioris requirendum judicium. Similiter in secundo casu agendum est. Sed in tertio, dispensatio est necessaria.

4. At vero maxime meritorium est alium ad religionis ingressum inducere. Sed si hoc per violentiam, vel simoniam, aut cum mendacio fiat, illicitum erit.

5. Consilia autem cum amicis et deliberatio adhibenda sunt in dubiis rebus. Sed religionis ingressus est de se bonus et evidenter ac certe approbatus : et ergo non est quoad hoc cum amicis consulendum vel deliberandum. Sed circa religionem tria possunt attendi. Primo, ipse ingressus : et de hoc non est dubitandum quin de se bonus consistat. Secundo, ingressus per comparationem ad vires hominis. Et sic rursus non est dubitandum nec consulendum (non enim suis viribus sed divinæ misericordiæ opi debet homo inniti) : nisi forte habeatur speciale impedimentum, vel corporalis debilitatis, vel

debiti. Tunc enim requiritur deliberatio A atque consilium cum his de quibus speratur quod prodesse velint et non impedire. Tertio, considerari potest modus religionem intrandi, vel species, id est, quam religionem utilius intret : et de talibus potest haberi consilium cum his qui non impediunt. Omnino autem deliborare non congruit an Deo serviendum sit ; sed de qualitate et modo discretio est habenda : quatenus ad omnium remuneratorem bonorum mereatur homo perduci, qui est omnis intellectualis creaturæ creator et judex, Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI TERTII

SUMMÆ
FIDEI ORTHODOXÆ
LIBER QUARTUS



Propriété | Abbé J.-L.-M. Thiriot.

SAINTE FACE DE N.-S. JÉSUS-CHRIST

(St Suaire de Turin)

PRÆFATIUNCULA

B*EATUS homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* Prov. III, 13. *Vir* enim *eruditus suavis est animæ suæ.* Eccli. XXXVII, 22. *Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.* Prov. X, 21.

Sed quæ est vera atque salubris sapientia, nisi cognoscere Christum Dei virtutem I *Cor.* I, 24.
et Dei sapientiam? Unde Apostolus : Non judicavi me, inquit, aliquid scire inter vos, *Ibid.* II, 2.
nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Verum, quia in Christo sunt duæ naturæ, illa ejus cognitio qua secundum divinam naturam cognoscitur, præsertim sapientia nominatur : quanquam et humanæ naturæ ejus cognitio sapientia dici possit. Tota enim theologia, quæ maxime sapientia appellatur, circa divinitatem Trinitatis humanitatemque Christi præcipue occupatur. Itaque, postquam primum librum Summæ hujus, qui de unitate Dei et trinitate Personarum, creationeque mundi et angelis, ac primis parentibus, tractat; secundum quoque, qui de vitiis atque virtutibus in communi determinat; et item tertium, qui de virtutibus, vitiis, donis et fructibus ac aliis multis in speciali considerat, percurrendo complevi : nunc simili modo quartum collegi. De hujus totius operis Summæ imperfectione indulgendum est mihi, eo quod festinantissime et intra novem menses circiter istud compleverim.

SUMMÆ
FIDEI ORTHODOXÆ
LIBER QUARTUS

DE CHRISTI INCARNATIONE, VITA, PASSIONE, MORTE, RESURRECTIONE, DE MATRIS EJUS MARIÆ SANCTIFICATIONE, DESPONSATIONE, ANNUNTIATIONE, DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS AC EORUM RITIBUS, DE PRÆMIO BONORUM ET RETRIBUTIONE MALORUM.

ARTICULUS I.

1. *Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.* 2. *An fuerit necessarium ad redimendum genus humanum.* 3. *An Deus carnem assumpturus fuisset, non exsistente peccato.*

DIV.THOM. SUMMÆ THEOL. IIIª PARS, quæstio I.

1. CONVENIENS autem alicui dicitur, quod ei secundum proprietatem ac rationem suæ naturæ est competens : ut discernere, rationi. Deus vero est naturaliter bonus, et ipsa bonitatis essentia, secundum Dionysium primo capitulo de Divinis nominibus. Ratio autem atque proprietas boni est esse sui diffusivum et communicativum. Quum ergo sit Deus summe bonus, conveniens fuit ut se suæ creaturæ summe communicaret : quod maxime factum est per hoc quod eam ad propriam personalitatem assumpsit, uniendo sibi naturam humanam in unitate personæ. Conveniens ergo fuit Deum incarnari. In incarnatione enim Dei manifestatur bonitas ejus, eo quod proprii plasmatis infirmitatem non sprevit; sapientia, quia difficillimi decentissimam solutionem invenit; potentia, quod tam distantia in unitate personali conjunxit; justitia, quia non alium fecit superare tyrannum, nec A vi eripuit hominem, sed sicut homo victus est, sic homo vicit : secundum Damascenum libro tertio.

2. Denique necessarium dupliciter dicitur. Primo, sine quo aliquid fieri nequit : ut homo sine anima. Et sic Deum incarnari non fuit necessarium : potuit namque Deus aliis modis redimere hominem. Secundo, necessarium dicitur, sine quo res convenienter et apte esse non potest. Et sic necessarium fuit Deum incarnari. Per hoc enim potissime roboratur fides, quod B ipsemet Deus loquitur et testatur. Per hoc quoque maxime erigitur spes et accenditur caritas, quod Deum pro nobis incarnatum ex nimia sua dilectione cognoscimus. Per incarnationem etiam et conversationem Verbi incarnati præsertim præbetur nobis vitæ et sanctitatis exemplum. Sed et per ejus incarnationem efficimur filii Dei, imo divinæ consortes naturæ. Deni- II Petr. I, 4. que, quoniam tota natura erat peccato corrupta, non potuit aliquis purus homo, imo nec multi simul pro tota natura satisfa- C cere : quum et natura sit in infinitum communicabilis, et peccatum infinitæ gravitatis sit, eo quod contra Deum immensæ dignitatis committitur.

3. Præterea aliqui asserunt, quod quam-

vis homo non peccasset, Deus tamen ex nimia sua caritate incarnatus fuisset. Sed quoniam incarnatio Dei ex sola sua bonitate et voluntate facta est, ratione investigari non potest; sed per hoc solum cognoscitur, quod in sacra Scriptura nobis Deo revelante aperitur. Quum ergo in sacra Scriptura ratio incarnationis ubique ex primi parentis peccato assignetur, probabilius est quod alii dicunt, videlicet, quod Deus non fuerit carnem assumpturus, nisi homo peccasset. Unde in libro de Verbis Domini ait Augustinus : Si homo non peccasset, Filius hominis (id est Christus) non venisset. Et alibi : Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos ac vulnera, et nulla erit medicinæ causa.

ARTICULUS II.

1. *An Deus principalius incarnatus sit ad tollendum peccatum originale, vel actuale.* 2. *Cur non sit incarnatus a principio mundi, nec in termino ejus.*

1. VENIT præterea Filius Dei non solum ad tollendum peccatum originale, sed etiam actuale, imo, ut omnia peccata auferret : quia exhibuit quod ad omnium peccatorum deletionem sufficiens est. Sed quia propter peccata mundi tollenda advenit, idcirco quanto peccatum est gravius, tanto principalius propter ipsum venit Christus : porro unum peccatum est gravius alio dupliciter, scilicet intensive, et extensive. Quum ergo peccatum actuale sit magis voluntarium quam originale, est intensive gravius eo. Sed originale, quia traducitur ad posteros, omnesque inficit, extensive est majus actuali peccato : et quantum ad hoc principaliter propter ipsum venit Christus, qui totum genus humanum liberare volebat. Nam bonum commune divinius est bono singularis personæ, ad quam pertinet peccatum actuale. Sed quia etiam actualia peccata tollere venit (omnia enim peccata dimittuntur

A virtute meriti Christi), Chrysostomus secundo de Compunctione cordis testatur : Hic est affectus servi fidelis, ut beneficia Domini sui, quæ communiter omnibus data sunt, quasi sibi soli præstita reputet. Quasi enim de se solo loquens Paulus ita scribit : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. *Galat.* II, 20.

2. Denique noluit Deus a principio mundi, peccato commisso, mox incarnari. Homo enim per superbiam cecidit : erat ergo ad humilitatem reducendus. Et ideo Deus B reliquit hominem primo legi naturæ, ut experiretur sibi illam nequaquam sufficere. Postea dedit ei legem scriptam, quæ nec ipsa suffecit, quoniam gratiam non contulit. Quum itaque homo in utraque lege defecit, opportune venit Christus. Et iterum, quia quo major judex advenit, eo præconum longior series præcedere debuit. Connaturale quoque est homini ut non subito, sed paulatim, ab imperfecto ad perfectionem perveniat. Et ergo Christus statim post peccati lapsum non venit. C — Similiter noluit Deus incarnationem suam usque ad finem mundi differre, ne Dei cognitio et reverentia, morumque probitas penitus in hominibus deficerent atque perirent.

ARTICULUS III.

1. *Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura.* 2. *An sit facta in persona.* 3. *An etiam in supposito vel hypostasi.* 4. *An persona Christi sit composita.*

D

1. NATURA vero, ut modo de ea fit sermo, accipitur pro essentia. Sic enim definit eam Boetius in libro de Duabus naturis Christi : Natura est unamquamque rem informans specifica differentia. Sic autem sumendo naturam, dici non potest quod unio Verbi cum homine sit facta in natura, id est, quod ex natura divina atque humana sit facta una natura. Triplicter enim fit unum ex duobus vel pluribus. Primo, sic quod illa duo integra Quæstio 2.

et perfecta intransmutataque permanent. Talis autem unio non est nisi eorum quorum forma est compositio, figura, vel ordo : sicut ex multis lapidibus fit acervus, ex lignis vero et saxis fit domus. Talis autem non est unio Verbi cum natura assumpta. Nam compositio, figura et ordo sunt solum accidentales formæ. Unio autem Dei et hominis est per se, et ejus quod est vere unum. Secundo, fit aliquid unum ex pluribus transmutatis : quemadmodum ex elementis fit mixtum. Talis vero non est unio Verbi cum homine, quia natura divina invariabilis et intransmutabilis est. Item, mixtum non est ejusdem naturæ cum aliquo miscibilium : non enim caro est terra, aqua, vel ignis. Si ergo unio ista esset per commixtionem naturarum, non esset Christus ejusdem naturæ cum Patre vel Matre : et sic non esset Deus nec homo. Tertio, fit ex pluribus unum, sic quod illa non transmutantur a sua natura, sed remanent imperfecta : sicut ex forma atque materia constat compositum, et corpus ex membris. Talis vero esse non valet unio Dei cum homine, quia in Christo utraque natura est secundum se perfecta, nec divina natura esse potest pars alicujus compositi. Rursus, in tali unione ipsum totum est alterius naturæ a qualibet parte, seu quolibet ex quibus resultat. Et sic Christus nec esset naturæ divinæ neque humanæ, sed tertiæ ex utraque provenientis. — Prædictarum ergo unionum assertores in Christo, velut hæretici sunt spernendi. Unde in determinatione Chalcedonensis concilii dicitur : Confitemur in novissimis diebus Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem.

2. Porro in quibusdam persona nihil reale superaddit naturæ, puta in Deo : et in talibus distinctio naturæ a persona est solum secundum rationem. Dicitur enim persona, in quantum est per se subsistens ; natura autem, in quantum est A essentia, quæ est ratio subsistendi. Quum ergo unio Verbi cum homine non sit facta in natura, oportet ut sit facta in persona : sic quod utriusque naturæ sit una personalis subsistentia, et ex Verbo ac homine constet unus Christus in unitate personæ. — Advertendum quoque, quod secundum Damascenum, Verbum assumpsit naturam humanam, non in universali (sic enim unicuique homini competeret esse Dei Verbum, ut Christo), sed in atomo, id est individuo. Non tamen quodlibet in- B dividuum in genere substantiæ vel intellectualis naturæ habet rationem personæ, sed solum illud quod per se exsistit, non autem quod in alio perfectiori exsistit : quemadmodum manus Pauli quamvis sit quoddam individuum, non est tamen persona, quia non exsistit in se, sed in alio perfectiori, videlicet suo toto. Quamvis ergo natura humana in Christo sit individuum quoddam, quia tamen non per se separatim exsistit, sed in alio perfectiori, utpote in persona Verbi, non habet C personalitatem propriam, nec est per se persona. Et ergo unio facta est in persona.

3. At vero, sicut conceditur unio utriusque naturæ in Christo facta in persona, ita conceditur facta in supposito atque hypostasi. Hypostasis namque est quid magis commune quam persona; sed persona non addit super hypostasim, nisi quod solum dicitur in his quæ sunt intellectualis naturæ. In eodem vero non differunt realiter magis commune et minus commune. Unde D oppositum asserentes in concilio Constantinopolitano sunt damnati.

4. Insuper, persona seu hypostasis Christi consideratur dupliciter, scilicet : Secundum id quod in se est : et sic est omnino simplex, quemadmodum essentia Verbi. Secundo, secundum rationem personæ ad quam pertinet in aliqua natura subsistere : sicque persona Christi in duabus naturis subsistit. Et quamvis sit ibi unum subsistens, est tamen alia et alia ratio subsistendi. Unde persona dicitur hoc

modo composita, in quantum unum subsistit duobus. Propter quod Damascenus tertio libro ait : In Domino Jesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.

ARTICULUS IV.

1. *An in Christo sit aliqua unio animæ et corporis.* 2. *An natura humana sit Verbo accidentaliter unita.* 3. *An unio ista sit quid creatum.* 4. *An sit idem quod assumptio.*

1. DE ratione denique hominis est constare ex anima rationali et corpore sibi unitis ad constituendum unam naturam in specie perfectam. Anima enim est corporis forma. Forma vero non ponit materiam in specie nisi ad invicem copulentur. Falsa est ergo positio quæ ait in Christo non esse sibi counita corpus et animam, sed separatim utrumque divinitati unitum. Sic enim Christus non esset univoce homo cum aliis hominibus, nec haberet corpus animatum. Quamvis autem in Christo sint sibi conjuncta corpus et anima, non tamen ex unione illa resultat esse personale seu persona naturæ humanæ : quia simul utrumque in ipsa mutua unione assumptum est ad subsistentiam Verbi, nec propriæ personalitati relictum.

2. Porro quidam hæretici in Christo confundunt naturas, dicentes unam naturam ex divinitate et humanitate effectam, ut Eutyches et Dioscorus : quod improbatum est. Alii, ut Nestorius atque Theodorus Mopsuestenus, in Christo separaverunt personas, dicentes Verbum homini unitum secundum inhabitationem velut in templo, et secundum voluntatis conformitatem specialemque gratiam. Sed sic unio Verbi cum humana natura in Christo erit solummodo accidentalis, sicque Deus non esset veraciter homo factus : quod asserere, est totam catholicam fidem obruere. Quod vero ad Philippenses secundo ait *Philipp.* II, 7. Apostolus, Habitu inventus est ut homo,

A non est intelligendum quantum ad accidentalem unionem, sed secundum quamdam assimilationem. Sicut enim homo per habitum, id est vestimentum, videtur ; sic Christus per assumptam naturam apparuit. Et sicut vestimentum mutatur et figuratur secundum figuram induti sine variatione induentis; sic sine mutatione Filii Dei natura humana assumpta est et divinitati aptata. Quum ergo natura humana sit Verbo in personali unitate conjuncta, non est accidentaliter ipsi unita.

B 3. Præterea unio de qua nunc tractatur, est quædam relatio inter naturam divinam et humanam, prout conveniunt in una persona Filii Dei. Omnis autem relatio inter creaturam et Deum, ex parte creaturæ realis est, et ei realiter inest, per cujus mutationem innascitur ; sed in Deo, qui incommutabilis atque independens est, non est nisi secundum rationem. Unio ergo prædicta non est in Deo realiter, sed secundum rationem ; sed in natura humana realiter est. Patet igitur, quod sit
C aliquid creatum.

4. Porro omnis relatio quæ ex tempore incipit, per quamdam mutationem innascitur. Mutatio autem in actione et passione consistit. Prima itaque et principalis distinctio inter assumptionem et unionem est quod unio est ipsa relatio. Assumptio autem est actio per quam aliquid vocatur assumens ; vel passio qua dicitur assumptum. Secunda distinctio ex prima procedens, est quod assumptio dicitur ut *in fieri;* unio vero, sicut *in facto*
D *esse.* Idcirco uniens dicitur unitum : nam Deus univit sibi naturam humanam, et ipse unitus est ei. Sed assumens non dicitur assumptum : Deus enim humanitatem assumpsit, sed non est ab humanitate assumptus. Tertia quoque distinctio ponitur, quia relatio, maxime æquiparantiæ, non magis concernit unum extremum quam aliud ; actio autem et passio diversimode se habent ad agens et patiens, terminosque diversos. Assumptio ergo determinat terminum a quo et ad quem. Dicitur

enim assumptio, quasi ab alio ad se sumptio. Unio vero nihil horum includit : propter quod indifferenter dicitur natura divina uniens et unita; non autem nominari potest assumpta, sed solum assumens.

ARTICULUS V.

1. *Utrum unio Verbi cum homine sit maxima unionum.* 2. *An sit facta per gratiam.* 3. *An merita eam præcesserint.* 4. *An gratia fuerit Christo homini naturalis.*

1. Unio insuper incarnationis dupliciter accipi potest. Primo, ex parte eorum quæ conjunguntur : et sic non habet maximam unitatem, quia utraque natura manet distincta. Secundo, ex parte ejus in quo uniuntur : et sic præeminentiam habet inter omnes uniones, quoniam unitas personæ divinæ in qua uniuntur, est maxima. Unde primo de Trinitate asserit Augustinus : Homo potius est in Filio quam Filius in Patre.

2. Amplius, gratia dupliciter dicitur. Uno modo, ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, seu gratum atque acceptum aliquem habens. Et sic unio incarnationis est facta per gratiam : sicut et unio Sanctorum Deo per dilectionem. Secundo, dicitur gratia donum Dei gratuitum. Sicque unio ista non est facta per aliquam gratiam habitualem : quamvis hoc ipsum quod est naturam humanam Deo esse unitam, gratia appellari possit, eo quod sine præcedentibus meritis sit ei collatum. Creatura namque dupliciter Deo unitur, videlicet : per operationem, prout Sancti Deum cognoscunt ac diligunt : et hoc fit per gratiam habitualem. Secundo, unitur Deo in esse personali : quod soli Christo donatum est, in quo natura humana suppositatur in esse divino. Quod autem natura habet esse in suo supposito, non fit aliquo habitu mediante.

3. At vero, quia in eodem instanti conjuncta est Verbo humanitas Christi, quo in utero Virginis facta est, sic quod nun-A quam fuit sine unione cum Verbo : nulla operatio nullumque meritum hominis Christi, unionem incarnationis præcessit. Sed nec aliorum hominum merita eam ex condigno meruerunt. Nam incarnatio Christi est totius humanæ naturæ reformativa : et ergo nullus particularis purusque homo eam potuit promereri. Item, gratia non cadit sub merito, quum sit merendi principium. Incarnatio autem est principium gratiæ, juxta illud Joannis primo : Gratia et veritas per Jesum Christum facta *Joann.*I,17.
B est. Non ergo cadit sub merito. Rursus, meritum ordinatur ad beatitudinem, quæ est Dei fruitio et præmium meriti. Unio autem incarnationis est in esse personali, quæ excedit omne meritum et unionem in actu fruitionis consistentem : non ergo sub merito cadere potest. Verumtamen Patres antiqui ex congruo meruerunt per sancta desideria et alia bona Verbi incarnationem. Sic quoque beata Virgo dicitur meruisse concipere et portare Dominum Christum : non utique ex condigno, sed
C secundum congruentiam quamdam, propter excellentiam gratiæ, et sanctitatis ac puritatis suæ.

4. Porro natura dicitur uno modo nativitas rei; secundo, dicitur natura essentia entis. Sumendo igitur naturale a natura primo modo accepta, sic naturale alicui dicitur quod ab ipsa nativitate habet : quemadmodum ait Apostolus ad Ephesios secundo, Eramus natura filii iræ; et Sa- *Ephes.*II,3.
pientiæ duodecimo, Nequam est natio eo- *Sap.*XII,10.
rum et naturalis malitia ipsorum. Et sic
D gratia Christi tam unionis quam habitualis dicitur Christo naturalis, quoniam ab instanti conceptionis fuit natura humana gratia plena ac Verbo unita. Sumendo autem naturale a natura pro essentia sumpta, illud dicitur naturale quod ex naturalibus inest principiis : ut naturale est gravi deorsum moveri. Sic vero nec gratia unionis nec habitualis est Christo naturalis ex parte naturæ humanæ, sed divinæ, quæ sola est conditrix gratiæ et ejus origo. Sic igitur patet, quomodo accipi-

endum sit verbum Augustini in Enchiridio : In susceptione naturæ humanæ fit gratia quodammodo illi homini naturalis, qua nullum possit peccatum admittere.

ARTICULUS VI.

1. *An assumere competat divinæ personæ.* 2. *An conveniat divinæ naturæ.* 3. *An natura possit assumere, personalitate abstracta.* 4. *An una persona possit assumere sine alia.*

Quæstio 3. 1. ASSUMPTIO denique duo importat, videlicet principium actus, et terminum ejus. Quum ergo agere sit suppositorum, et unio Verbi cum homine facta sit non in natura sed in persona, sicut ostensum est ; sequitur, quod assumere competat proprie divinæ personæ.

2. Et quia natura est agendi principium, ideo divinæ naturæ convenit assumere, considerando assumptionem prout dicit principium actus : nam virtute divinæ naturæ ista assumptio facta est. Quantum vero ad terminum assumptionis, non convenit divinæ naturæ assumere : quia assumptio non terminatur nec facta est in natura secundum se ipsam, sed ratione personæ, quæ in natura subsistit. Propriissime ergo assumptio convenit personæ; secundario autem naturæ : et sic etiam divina natura dicitur incarnata, quoniam carnis naturam assumpsit. Unde Damascenus : Dicimus, inquit, divinam naturam incarnatam esse, secundum beatos Athanasium et Cyrillum.

3. Porro, quum Deus sit summe simplex, non potest intellectus creatus aliquid removere a Deo, quin totum removeat, quantum est ex parte rei intellectæ. Sed quoniam non possumus Deum cognoscere sicuti est in se ipso, sed secundum quod in creaturis relucet ejus perfectio per modum divisum atque multiplicem; ideo per intellectum personalitate abstracta, possumus intelligere naturam assumentem. Tres enim sunt relationes personales, vi-

A delicet paternitas, filiatio, processio : quibus abstractis remanet omnipotentia, per quam secundum Augustinum, incarnatio facta est. In divinis enim sunt idem quod est et quo est. Et ergo quidquid in Deo in abstracto consideratur aliis seclusis, est aliquid subsistens, et per consequens persona, quum sit in intellectuali natura. Sicut ergo nunc, positis proprietatibus personalibus, ponimus tres personas; ita eisdem proprietatibus per intellectum seclusis, manet in consideratione nostra natura di-
B vina ut subsistens et ut persona. Remanet enim post talem abstractionem una personalitas Dei, eo modo quo Judæi intelligunt. Sicque ratione hujus subsistentiæ personalis natura divina posset assumere.

4. Insuper, unaquæque divina operatio ad extra est tribus personis communis. Sicut enim trium personarum est una essentia, sic opera Trinitatis sunt indivisa. Una ergo persona divina non potest assumere sine alia, secundum quod assumptio dicit actum assumentis. Actus enim
C ille ex divina virtute procedit, quæ tribus personis est communis. Sed prout assumptio dicit terminum hujus actus, sic una persona potest assumere sine alia, imo sic solus Filius assumpsit : quoniam personalitates sunt distinctæ.

ARTICULUS VII.

1. *An alia persona divina quam Filius possit assumere.* 2. *An plures personæ possint assumere unam naturam numero, vel*
D *una persona duas naturas.* 3. *Cur magis conveniat Filio incarnari.*

1. NOMEN igitur assumptionis duo includit, videlicet principium actus et terminum ejus. Dicitur enim assumere aliquid ad se sumere. Quum ergo trium personarum sit una potestas, et unaquæque propriam personalitatem habeat, sitque eadem ratio personalitatis in tribus, quamvis proprietates personales distinctæ sint : sequitur quod eadem ratione qua Filius

potuit assumere, Pater quoque et Spiritus Sanctus assumere possit. Nam quod Pater dicitur innascibilis, intelligendum est de nativitate æterna : qui si incarnaretur et filius fieret, non esset in eo personarum confusio. Temporalis enim filiatio non constituit divinam personam, sed est aliquid consequens temporalem nativitatem.

2. Quoniam itaque in Christo non fit nova persona ex unione carnis et animæ, sed fit una natura assumpta in divinam personam per omnipotentiam divinæ virtutis, quæ in tribus una est; idcirco plures, imo tres personæ possunt assumere unam naturam. Nam secundum Augustinum in epistola ad Volusianum, In mysterio Incarnationis tota ratio facti est potentia facientis. Impossibile tamen est ut unam personam vel unum suppositum assumerent, secundum Anselmum libro de Conceptu virginali. — Hac autem positione stante, verum esset dicere quod tres personæ essent unus homo propter unitatem naturæ assumptæ : quemadmodum verum est quod tres sunt unus Deus ratione unitatis essentiæ. Nam dictio, Unus, importaret unitatem naturæ, non personæ. Tunc enim natura humana esset assumpta in unitate non unius personæ, sed in unitate singularum personarum : sic quod sicut divina natura habet naturalem unitatem cum singulis personis, ita natura assumpta haberet unitatem cum singulis trium per assumptionem.

Amplius, quum virtus divina sit illimitata, et divina persona incomprehensibilis et incomprehensa, non possumus dicere quod Filius sic unam naturam assumpsit, quod aliam non posset assumere : nec ex parte actus assumptionis, propter suæ potentiæ immensitatem; nec ex parte termini assumptionis, quia personalitas divina comprehendi vel coarctari non valet a natura creata. Una ergo divina persona posset plures naturas assumere. Non tamen una persona esset plura supposita seu multæ personæ : quoniam dictum est quod natura creata a Deo assumpta non affert novam vel propriam personalitatem. Imo si una persona duas naturas humanas assumeret, non esset duo homines, sed unus homo, propter unitatem suppositi habentis duas naturas humanas : quemadmodum homo duobus vestimentis indutus non dicitur duo vestiti, sed unus vestitus. Nunquam enim apud nos nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi ob pluralitatem suppositorum.

3. Præterea, quoniam Filius Dei est exemplar et ars atque conceptus mentis paternæ, ad cujus imitationem omnia facta sunt in esse naturali ac mobili; sic decuit per eumdem omnia reformari per personalem unionem, sicut omnia per ipsum creata consistunt. Item, Verbum seu Filius Dei quum sit sapientia et veritas Patris, habet specialem convenientiam cum humana natura, quæ rationalis est, et cujus perfectio in veritatis cognitione consistit, et in participatione sapientiæ Dei. Decuit ergo potissime Filium Dei hominem assumere atque redimere. Rursus, finis incarnationis est impletio prædestinationis, videlicet, ut homines ad adoptivam Dei filiationem perducantur : ad quam maxime decet eos reduci per Filium verum et naturalem. Homo etiam peccavit, scientiam inordinate desiderans : convenientissime ergo ad veram scientiam reducitur per eum, de quo Ecclesiastici primo habetur : Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. *Eccli.* I, 5.

ARTICULUS VIII.

1. *An humana natura fuerit magis a Filio Dei assumptibilis quam aliqua alia natura.* 2. *An Verbum assumpserit personam.* 3. *An Deus assumpserit hominem.*

1. DICITUR autem aliquid assumptibile, quasi aptitudinem habens ut assumatur ab alio. Natura vero creata non est a Deo assumptibilis per aptitudinem passivam naturalem, quia assumptio talis omnem naturalem dignitatem ac modum QUÆSTIO 4.

transcendit. Natura ergo assumptibilis est (A) a Deo secundum congruentiam quamdam, quæ in natura humana secundum duo pensatur, scilicet : secundum dignitatem, quoniam homo est intellectualis naturæ, potens immediate per operationem Deum attingere, cognoscendo atque amando; et secundum necessitatem, nam propter originale peccatum indiguit homo liberatore. Quum ergo irrationabilibus desit congruentia dignitatis, angelis autem congruentia necessitatis : sequitur quod sola natura humana sit assumptibilis. Quamvis secun- (B) dum absolutam Dei potentiam, aliæ naturæ assumi possint a Deo; irrationales tamen creaturæ, quoniam congruentiam non habent ut Deum agendo contingant, multo minus congruentiam habent ut ad esse personale divinum assumantur.

2. Præterea id quod assumitur, necesse est præintelligi assumptioni. Assumptio autem naturæ humanæ a Verbo terminatur ad esse personale Verbi, nec præsupponit aliquam personalitatem. Imo si personalitas aliqua præesset, oporteret eam (C) corrumpi, quum non sint in Christo duæ personæ. Assumpsit ergo Deus naturam humanam, et non personam. Sed Damasceno testante, Deus assumpsit naturam humanam in individuo, quod non est aliud ab increato supposito seu Verbi persona.

3. Insuper, hoc nomen, Homo, designat naturam humanam prout nata est esse in supposito, seu eum qui habet naturam humanam. Quum ergo id quod assumitur non sit terminus assumptionis, sed eam secundum intellectum præcedat : constat (D) quod talis locutio, Deus assumpsit hominem, et sibi consimilis, non sit propria nec extendenda, sed pie exponenda, quum a sacris Doctoribus posita invenitur. Unde Felix Papa et martyr, ait (quod etiam in Ephesina synodo introducitur) : Credimus in Dominum nostrum Jesum Christum de Virgine Maria natum, quia ipse est sempiternus Dei Filius, et non homo a Deo assumptus ut alter sit præter illum. Et ergo Filius Dei quamvis sit homo, non tamen est homo quem assumpsit, sed cujus naturam assumpsit.

ARTICULUS IX.

1. *Utrum fuisset conveniens quod Deus assumpsisset naturam humanam separatam,* 2. *vel in omnibus suis individuis exsistentem,* 3. *vel in aliquo non procreato ex primo parente.*

1. QUAMVIS præterea natura humana esset realiter a singularibus separata, sicut Platonici asserunt, non tamen fuisset conveniens eam a Verbo assumi : nam ista assumptio terminatur ad esse personale Verbi. Sed contra rationem talis naturæ communis est, sic in persona quacumque individuari. Item, natura talis separata non haberet nisi operationes naturales atque communes, secundum quas homo nec demeretur neque meretur. Christus autem venit ut pro nobis suo merito satisfaceret Deo. Rursus, natura talis separata non est sensibilis nec materialis, sed tantum intelligibilis, secundum Platonem. Christus autem venit ut inter homines conversaretur, juxta illud Baruch quarto : Post hæc super terram visus est, *Baruch* III,
et cum hominibus conversatus est. Qui- 38.
dam tamen affirmant, quod Plato non posuit hominem separatum, nisi in intellectu divino.

2. Porro, non congruebat ut Filius Dei naturam humanam in omnibus exsistentem assumeret : sic enim tolleretur pluralitas suppositorum speciei humanæ, quum natura non multiplicetur nisi prout in diversis suppositis invenitur. Secundum hanc quoque positionem, omnes homines essent in dignitate æquales, et sic Christus non
esset primogenitus in multis fratribus. *Rom.* VIII,
3. Amplius, sicut asserit Augustinus, 29.
tertio decimo de Trinitate, potuit Deus assumere hominem aliunde quam ex Adam; sed melius judicavit ut de genere victo victorem susciperet. Et hoc, propter tria : primo, ad declarandum justitiam, quate-

nus ille satisfaceret qui peccaverat; secundo, propter dignificationem naturæ humanæ, quatenus ille vinceret qui fuerat victus; tertio, quia per hoc Dei potentia manifestatur præclarius, quod ex natura corrupta atque infirma assumpsit id quod in tantam virtutem ac dignitatem est promotum.

ARTICULUS X.

1. *An Filius Dei assumpserit verum corpus.* 2. *An corpus terrenum.* 3. *An animam et intellectum assumpserit.*

Quæstio 5. 1. DENIQUE, quum jam ostensum sit quod Verbum veram naturam humanam assumpsit, consequens est quod verum corpus assumpserit, quoniam corpus est de ratione hominis. Item, si non assumpsit verum corpus, ergo nec vere passus et mortuus est, nec veraciter genus humanum redemisset. Rursus, quum Christus sit veritas, non decuit in operibus ejus esse phantasticum quidquam vel fictum.

2. Ex eisdem quoque rationibus patet, quod corpus terrenum, id est carnem et sanguinem, et non corpus cœleste, ut asserit Valentinus, assumpsit. De ratione enim atque essentia hominis est corpus, non quidem cœleste, sed terrenum, videlicet caro et ossa. Corpus quoque cœleste non est mortale atque passibile. Dicitur tamen de cœlo Christus venisse : vel ratione naturæ divinæ, quæ novo modo in mundo esse cœpit, quamvis cœlum non reliquit; vel ratione carnis, quoniam de Spiritu Sancto formata est. Unde in synodo Ephesina legitur verbum S. Theophili dicentis, quod sicut quandoque eminens artifex in vili materia artis atque prudentiæ suæ potestatem demonstrat; sic omnium optimus artifex Dei Verbum non aliquam pretiosam materiam corporis cœlestis apprehendens, ad nos venit, sed in luto magnitudinem suæ artis ostendit. (*Joann.* III, 13; I *Cor.* XV, 47.)

3. Porro animam Christus assumpsit, A quum ipse dixerit : Potestatem habeo ponendi animam meam ; et, Tristis est anima mea usque ad mortem. (*Joann.* X, 18. *Matth.* XXVI, 38.) Anima enim magis indiguit redemptore quam corpus, quoniam magis infecta erat peccato. Sed et anima est de ratione naturæ humanæ, quam Christus tam vere assumpsit, quam vere eam redemit. Non ergo defuit Christo anima, ut Arius et post eum Apollinaris mentitus est. Quod vero scriptum est, Verbum caro factum est, per carnem intelligitur homo, quemadmodum Isaiæ qua- (*Joann.* I, 14.) B dragesimo dicitur : Videbit omnis caro salutare Dei nostri. (*Is.* XL, 5; LII, 10.) Maluit autem Evangelista exprimere carnem quam animam, ad insinuandum magnitudinem humiliationis et dilectionis Verbi Dei ad nos, vel quia caro minus assumptibilis videbatur. — Insuper, ut ait Augustinus libro de Hæresibus, Apollinaristæ dixerunt Christo defuisse animam rationalem seu mentem, et loco mentis ipsum Verbum carni fuisse unitum. Hoc autem prorsus absurdum est. Christus enim legitur miratus : quod sine (*Matth.* VIII, 10.) C ratione non fuit. Et si rationalem non habuit animam, ergo nec verus homo fuit, nec vere hominem liberavit : quod enim assumpsit hoc redemit, secundum Damascenum. Animam ergo et intellectum seu animam intellectualem assumpsit.

ARTICULUS XI.

1. *Utrum Verbum assumpserit carnem mediante anima.* 2. *An animam mediante spiritu seu mente.* 3. *An anima fuerit ante* D *corpus assumpta.* 4. *An tota natura sit assumpta mediantibus partibus.* 5. *An per gratiam facta sit unio naturæ humanæ cum Verbo.*

1. MEDIUM autem dicitur per respectum seu ordinem ad principium et finem. Est autem duplex ordo, videlicet : temporis, et sic Filius Dei non assumpsit corpus mediante anima, sed utrumque seu totam naturam simul. Alius est ordo naturæ, qui duplex est, scilicet Quæstio 6.

ordo dignitatis et causalitatis. Dicuntur A enim angeli medium inter Deum et nos, quoniam digniores sunt nobis. Quum ergo sit anima dignior corpore, et quodammodo eidem causa ut assumptibile sit a Deo (nam corpus sine anima non haberet congruentiam assumendi a Deo); idcirco Filius Dei dici potest assumpsisse corpus mediante anima, quantum ad ordinem dignitatis, et etiam aliqualiter secundum ordinem causalitatis. Unde in epistola ad Volusianum ait Augustinus : Ipsa magnitudo divinæ virtutis animam sibi ratio- B nalem, et per eamdem corpus humanum totumque hominem in melius mutando coaptavit.

2. Porro, quoniam intellectus, qui spiritus et mens vocatur, ita se habeat ad ceteras animæ vires ac partes quemadmodum anima ad corpus (nam ostensum est animam non esse assumptibilem, nisi eam quæ per operationem Deum attingere potest, utpote rationalem); idcirco eo modo Filius Dei assumpsit animam mediante mente seu spiritu, sicut assumpsit car- C nem per animam. Et hoc in libro de Agone christiano Augustinus testatur.

3. Insuper, Origenes posuit omnes animas, et etiam animam Christi, simul ante mundum corporalem creatas. Sed hoc stare non potest de anima Christi. Vel enim statim in sua creatione unita est Verbo, et postea in Virginis utero incarnata : et sic non esset ejusdem naturæ cum animabus nostris, quæ simul creantur et infunduntur. Vel aliquando per se subsistens fuisset : et sic in unione cum Verbo propriam D personalitatem amisisset, et per consequens corrupta fuisset. Dicendum est ergo cum Leone Papa et Damasceno, quod uno instanti Deus assumpsit carnem et ani-

Joann. I, 16. mam. — Advertendum autem, quod de plenitudine Christi omnes accipiunt (sicut Joannis primo habetur) per fidem quam habent in ipsum, quemadmodum ad Ro-

Rom. III, 22. manos tertio dicitur : Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in ipsum. Sicut vero nos credimus in eum ut incarnatum, sic antiqui crediderunt in eum ut nasciturum. Haben- *II Cor.* IV, 13.

tes enim eumdem spiritum fidei credimus, ut dicitur secunda ad Corinthios quarto. Fides autem in Christum, virtutem justificandi habet ex proposito gratiæ Dei, juxta illud ad Romanos quarto : Ei qui non ope- *Rom.* IV, 5.

ratur, credenti autem in eum qui justificat impium, fides reputatur ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Quum ergo propositum istud æternum sit, poterant homines per fidem Christi justificari, anima Verbo nondum unita. — At vero, quoniam caro non est caro humana nisi per rationalem animam ; nec ipsa caro congruentiam habet ut assumatur a Filio Dei, ut dictum est, nisi per ordinem ad animam : ideo caro Christi non est prius unita Verbo quam animæ; sed ut Damascenus dicit tertio libro, simul Dei Verbi caro, simul animata anima rationali et intellectuali.

4. At vero, sicut ex præinductis innotescere potest, illud secundum ordinem dignitatis a Verbo per prius assumptum est, quod dignius perfectiusque exsistit. Quum ergo tota natura humana qualibet sua parte præstantior sit, constat quod Filius Dei per prius assumpsit totam naturam, et partes mediante toto. Unde tertio libro ait Damascenus : In Domino nostro Jesu Christo non partes partium intuemur, sed quæ proxime componuntur, videlicet humanitatem et divinitatem. Ipsa tamen assumptio a partibus humanitatis incepisse videtur : et ita secundum quid Deus assumpsit totam naturam mediantibus partibus. Et ergo in libro de Agone christiano Augustinus dicit : Invisibilis et incommutabilis veritas per spiritum animam, per animam corpus, et sic totum hominem assumpsit.

5. Porro in Christo ponitur gratia unionis, quæ est ipsum esse personale Verbi naturæ humanæ communicatum. Per hanc autem gratiam non est facta unio naturæ humanæ cum Verbo; sed ipsa est terminus hujus unionis. Ponitur quoque in Chri-

sto gratia habitualis ad specialem sancti- A tatem hominis Christi respiciens. Per hanc autem non est incarnationis unio facta; sed ipsa est hujus unionis effectus. Si vero voluntas Dei aliquid gratis donans vel faciens gratia appelletur; sic unio hæc per gratiam facta est, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

ARTICULUS XII.

1. *Utrum in Christo fuerit gratia habitualis.* 2. *An etiam virtutes.* 3. *An fides.* 4. *An spes.* 5. *An dona.* 6. *An donum timoris.*

(Quæstio 7.) 1. Fuit vero in Christo et est gratia habitualis. Nam ejus humanitas fonti gratiarum, scilicet Deo, propinquissime est unita : et ergo influentiam gratiarum plenissime recepit. Item, operationes per gratiam perficiuntur. Omnis autem actio Christi perfectissima fuit. Habuit ergo gratiam habitualem. Rursus, quum Christus (*Ephes.* v, 23.) sit caput Ecclesiæ mediatorque hominum, C (*I Tim.* II, 5.) inest ei gratia superabundans, per quam membris suis influere possit, quatenus de (*Joann.* I, 16.) plenitudine ejus omnes recipiant. Unde Isaiæ undecimo de Christo conscriptum (*Is.* XI, 2.) est : Requiescet super eum spiritus Domini. Fruitio ergo creata animæ Christi et omnis actus ejus meritorius a gratia habituali processit.

2. Præterea, sicut gratia est in essentia animæ, eam perficiens; ita virtutes sunt in potentiis animæ, et eas perficiunt. Sicut ergo potentiæ ab essentia animæ flu- D unt; sic virtutes a gratia derivantur ac pullulant. Ideoque sicut gratia habitualis Christo excellentissime convenit; sic omnes virtutes in eo consistunt : tamen singulari altiorique modo, quemadmodum virtus heroica, secundum Plotinum, est in hominibus animi purgati.

3. At vero objectum fidei est veritas divina non visa. Christus autem a suæ conceptionis exordio comprehensor fuit, Deum per speciem videns. Non ergo habuit fidem, quamvis virtutes morales habuerit. Fides enim imperfectionem includit circa suum objectum, scilicet cognitionis defectum, non autem virtutes morales.

4. Quemadmodum vero fidei objectum est veritas divina non cognita; sic spei objectum est bonum divinum nondum adeptum, sed exspectatum. Christus autem a principio Dei fruitionem adeptus est. Non ergo habuit spem quæ est virtus theologica, habens Deum pro objecto. Habuit tamen spem quorumdam aliorum quæ B nondum erat sortitus, videlicet immortalitatis ac gloriæ corporis. Et ergo in Psalmo ex persona Christi cantatur : In te, (*Ps.* XXX, 2.) Domine, speravi.

5. Insuper, dona sunt quædam perfectiones virium animæ, quibus redduntur bene mobiles a Spiritu Sancto. Anima autem Christi ubique et semper perfectissime movebatur a Spiritu Sancto. Et ergo dona Christo conveniunt : nam dona perficiunt ipsas virtutes. Unde super illud Isaiæ, Apprehendent septem mulieres vi- (*Is.* IV, 1.) rum unum, dicit Glossa : Id est, septem dona Spiritus Sancti Christum.

6. Considerandum vero, quod timor duo concernit, scilicet malum terribile, et eum qui per suam potestatem tale malum infligere potest, sicut timetur rex, in quantum occidere potest. Christus ergo habuit timorem, non prout timor respicit malum terribile, utpote malum pœnæ vel culpæ, quorum nullum sibi inesse potest aut potuit; sed in quantum timor concernit eminentiam majestatis divinæ. Sic Christus timorem habuit, quia reverentialem habuit affectum ad potestatem et perfectionem divinam. Virtus enim et donum præsertim respiciunt bonum. De ratione igitur doni timoris non est illud malum quod respicit timor, sed bonum excellentiæ alicujus.

ARTICULUS XIII.

1. *Utrum in Christo sint gratiæ gratis datæ.* 2. *An prophetia.* 3. *An plenitudo gratiæ.* 4. *An talis plenitudo sit propria Christo.*

5. *An gratia Christi sit infinita.* 6. *An posset augeri.* 7. *Quomodo se habeat ad unionem.*

1. GRATIÆ autem gratis datæ præcipue ordinantur ad spiritualis doctrinæ ac fidei propalationem, ut donum linguarum, etc. Quum ergo Christus sit fidei ac spiritualis doctrinæ summus magister primusque doctor, habuit ea quibus fidem suam atque doctrinam manifestare valebat, id est gratias gratis datas : aliter inutilis fuisset ejus doctrina.

2. Denique propheta quasi procul videns vocatur, scilicet, ea cognoscens et loquens quæ longe sunt a sensibus hominum. Potest autem aliquis dici propheta, quia ea cognoscit ac nuntiat quæ illis procul sunt cum quibus ipse versatur, quamvis aliis non sint procul : ut si quis in episcopatu Leodiensi consistens, illic annuntiet suis quæ geruntur in Asia, quæ tamen Asianis præsentia sunt. Deus ergo atque Beati in patria, quamvis talia noscant et aliis nuntient, non tamen Prophetæ dicuntur, quoniam conversationem nobiscum non habent. Christus vero, quia viator fuit quantum ad corporis passibilitatem et cum hominibus vixit, propheta fuit, in quantum hujusmodi cognovit et annuntiavit. Quamvis ejus cognitio perfecta et clara exstiterat, maxime quoad intellectum ; tamen in parte imaginativa quasdam similitudines habuit, in quibus speculari potuit divina, in quantum viator. Quod autem in Christo fuerit prophetia, patet, quia de eo Deuteronomii octa-
Deut. xviii, 15. vodecimo Moyses scripsit : Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris tanquam me. Et Joannis quarto dicitur :
Joann. iv, 44; *Matth.* xiii, 57. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua.

3. Porro perfectio sive totalitas dupliciter dicitur, scilicet intensive, et virtualiter. Intensive, ut si aliquid sit tanta albedine album, qua major esse non potest. Virtualiter, ut si aliquis habeat aliquid secundum omnes suos effectus et gradus : ut si quis habeat omnia opera
A vitæ, perfecte et plene vivens vocatur. Utroque autem modo fuit in Christo gratiæ plenitudo. Tanta enim in eo gratia fuit, qua major esse non potest, nec recipi a creatura. Habuit quoque gratiam ad omnes gratiarum effectus, tanquam caput Ecclesiæ et universale principium gratiæ in omnibus hominibus.

4. Plenitudo autem gratiæ dupliciter dicitur, scilicet : ex parte gratiæ, per modum nunc dictum, ut quum est tam intensa ac virtuosa ut major atque potentior
B esse non possit : et hæc plenitudo est propria Christo. Secundo, dicitur plenitudo gratiæ ex parte habentis : ut dum homo tantam gratiam habet sicut a Deo sibi præordinatum est atque præfixum, et ea quæ sibi conveniunt faciliter operatur, sicut ad Ephesios quarto dicit Apostolus : Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Hæc *Ephes.* iv, 7. igitur plenitudo non est propria Christo, sed aliis datur per Christum : quæ etiam maxima fuit in Virgine Matre.

C 5. At vero gratia unionis Christi, quum sit ipsum esse personale Verbi cui gratis unita est natura humana, est simpliciter infinita, sicut persona Verbi. Gratia vero habitualis in Christo consideratur dupliciter. Primo, in quantum est quoddam ens : et sic, quum sit res creata et in anima Christi tanquam in subjecto, est finita. Alio modo, secundum propriam rationem : et sic dicitur infinita, quia habet quidquid ad perfectionem et excellentiam gratiæ pertinet, sicut ostensum est.

D 6. Considerandum quoque, quod gratia Christi augeri non potest : nec ex parte subjecti, quod est anima Christi, cujus tota capacitas repleta est gratia, et quæ gratiam in summo gradu qui potest competere gratiæ, habet ; nec ex parte gratiæ : divina enim sapientia unicuique formæ certam mensuram præfixit, quemadmodum Sapientiæ undecimo dicitur : Omnia *Sap.* xi, 2 in numero, pondere, et mensura constituisti. Mensura vero præfigitur formæ secundum comparationem ad finem : sicut

non potest esse major gravitas quam terræ, quia esse non potest locus inferior loco terræ. Finis autem gratiæ est unio rationalis creaturæ cum Deo. Quum ergo anima Christi ad personalem Dei unionem, quæ summa est, sit assumpta, sequitur quod gratia Christi ad hanc unionem ordinata sit in summo gradu qui gratiæ potest competere. Gratia ergo Christi nullo modo valet augeri, præsertim quum fuerit verus ac plenus comprehensor a suæ conceptionis initio. Quod vero
Luc. II. 52. Lucæ secundo scribitur : Jesus proficiebat ætate et sapientia et gratia, non est intelligendum quantum ad ipsos habitus gratiæ ac sapientiæ, sed quantum ad effectus seu operationes habituum, quia secundum processum ætatis sapientiora virtuosioraque opera fecit.

7. Præterea, sicut nunc sæpe prætactum est, gratia Christi habitualis est effectus gratiæ unionis et sequitur eam. Primo : nam Filius dicitur missus, in quantum naturam humanam assumpsit ; Spiritus Sanctus vero dicitur mitti, in quantum mentem per gratiam et caritatem inhabitat. Quemadmodum autem Filius prior est Spiritu Sancto prioritate originis; sic missio Filii prior est quoad Christum missione Spiritus Sancti, non tempore, sed ordine naturæ. Item, sicut splendor ex lucis præsentia causatur, et lucem consequitur; sic gratia Christi habitualis ex divinitatis præsentia facta est, et eam consequitur. Rursus : nam gratia ordinatur ad actum; agere vero est suppositorum. Ergo in Christo prior est unio personalis, quam habitualis. Unde Isaiæ quadragesimo se-
Is. XLII, 1. cundo de Christo dicitur : Ecce servus meus, suscipiam eum ; et postea subdi-
Ibidem; Matth. XII, 18. tur, Ponam super eum spiritum meum : quod ad habitualem gratiam pertinere certum est.

ARTICULUS XIV.

1. *An Christus sit caput Ecclesiæ.* 2. *An sit caput hominum secundum corpus, vel animam.* 3. *An sit caput omnium hominum.* 4. *An etiam angelorum.*

1. EO insuper modo quo tota Ecclesia dicitur mysticum corpus, ad similitudinem corporis naturalis; sic Christus dicitur caput Ecclesiæ mystice, propter similitudinem capitis naturalis. Tria namque in capite sunt quæ Christo spiritualiter competunt, scilicet : ordo, quoniam caput est prima pars hominis; perfectio, quia in capite omnes sensus vigent; virtus, quoniam motus ac gubernatio omnium membrorum dependet a vi sensitiva atque motiva, quæ dominatur in capite. Hæc tria Christo spiritualiter competunt : nam gratia ejus propter unionem cum Deo est prior et altior; est quoque perfectior, quia simpliciter plena est; et virtuosior, quia aliis cunctis influere incessabiliter potest. Spiritus Sanctus autem, qui invisibiliter Ecclesiam Dei vivificat, cordi comparatur, quia cor occultam influentiam habet in corpus. Christus vero capiti, quod manifeste eminet corpori, comparatur propter causas prædictas, et quia visibiliter mundo innotuit. Quæstio 8.

2. Porro Christus est caput Ecclesiæ, tam ex parte animæ suæ suique corporis, quam ex parte animarum et corporum hominum. Per prius tamen secundum animam quam secundum corpus dicitur caput. Sicut enim anima Christi sortitur virtutem influendi hominibus ex unione ad Deum ; sic corpus Christi prout unitum est Verbo mediante anima, secundum modum præhabitum potest influere. Tota vero Christi humanitas instrumentaliter influit; Verbum autem seu Deus influit auctoritative. Pariformiter, animæ hominum primo recipiunt influentiam gratiæ Christi ; corpora autem secundario, per hoc quod deserviunt animæ in obsequio Dei, et item per hoc quod vita gloriæ ab anima derivatur ad corpus, juxta illud Apostoli ad Romanos octavo : Qui susci- *Rom.* VIII, 11.
tavit Jesum a mortuis, vivificabit mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spi-

ritum ejus in vobis. Sic ergo Christus est A caput Ecclesiæ, in quantum spiritualem sensum et gratiæ motum hominibus influit, et ea conservat.

3. Denique membra corporis naturalis omnia simul sunt; membra vero corporis mystici non sunt omnia simul, neque in esse naturæ, nec secundum esse gratiæ. Constituitur enim corpus mysticum, cujus Christus caput est, ex omnibus hominibus ab origine mundi usque ad consummationem ipsius. Christus ergo est omnium hominum caput: non tamen æqualiter, sed B secundum gradus diversos. Primo enim et principaliter, est caput Beatorum, qui sibi uniuntur per gloriam fruitionis; secundo, eorum qui sibi uniuntur per caritatem viæ; tertio, horum qui sibi uniuntur per fidem dumtaxat; quarto, eorum qui sibi uniuntur in potentia reducenda ad actum; quinto, eorum qui sibi uniuntur in potentia nunquam in actum reducenda. Quum autem reprobi ex hoc sæculo migrant, desinunt esse membra Christi, quoniam non manent in potentia ut Christo C adhæreant. Hæc vero potentia fundatur in duobus: principaliter namque fundatur in virtute Christi, quæ ad omnium salutem est sufficiens; secundo, in libertate arbitrii, quod gratiæ Dei obicem ponit frequenter.

4. Amplius, sicut unus est finis atque felicitas angelorum et hominum, sic una ex utrisque consistit Ecclesia triumphans, et unum mysticum corpus. Multitudo enim electorum, secundum actus seu officia differens, corpus mysticum appellatur. Quum D ergo Christus ut homo propter propinquitatem ad Deum influentiam habeat, non solum in homines, sed etiam in angelos, quos ipse illuminat: constat quod Christus sit caput non solum omnium hominum, sed omnium quoque angelorum. Et ideo ad Colossenses secundo loquens de Christo Apostolus: Qui est, inquit, caput omnis Principatus et Potestatis. Et ad Ephesios primo: Constituit eum Deus super omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Est autem Christus caput angelorum ratione animæ; hominum vero secundum corpus et animam, tam ejus quam hominum aliorum, ut dictum est.

Coloss. II, 10.

Ephes. I, 20, 21.

ARTICULUS XV.

1. *An gratia qua Christus est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali.* 2. *An Christo sit proprium esse caput Ecclesiæ.* 3. *An diabolus sit caput omnium malorum.* 4. *An etiam Antichristus.*

1. AGNOSCENDUM præterea, quod unumquodque agit secundum quod est ens actu. Ens enim in potentia, ut tale, non agit: nam agere præsupponit esse. Per id ergo quo aliquid est actu, per id operatur. Ignis namque per eumdem calorem est in se calidus et alia calefaciens. Quum ergo gratia Christi habitualis fuerit summa atque completa, per eamdem gratiam qua Christus in se gratus est Deo et gratiam habens, aliis gratiam influit, et eos Deo acceptos gratiososque efficit, sicut Joannis primo habetur: De plenitudine ejus omnes accepimus. Sequitur ergo, quod una et eadem sit gratia habitualis in Christo, et illa per quam est caput Ecclesiæ, influens membris suis ex suæ gratiæ plenitudine spiritualem sensum motumque vivificum. Itaque gratia personalis seu habitualis et gratia capitis in Christo sunt una gratia, sola ratione distincta.

Joann. I, 16.

2. Denique caput influit membris duplici influxu, videlicet: intrinseco, per hoc quod vis motiva et sensitiva interior ex eo descendit; et extrinseco, in quantum per exteriores sensus, qui in capite radicantur, homo in agendis foris dirigitur. Christus igitur solus est spirituale caput Ecclesiæ, tanquam universale caput intrinsece influens, scilicet gratiam et spiritualia dona tribuens. Prælati vero Ecclesiæ dici possunt capita Ecclesiæ particularia et extrinsece influentia, prædicando, do-

cendo, corrigendo. Gratiam enim conferre A non possunt, sed ad eam corda subditorum disponere moliuntur. Christus quoque est caput Ecclesiæ secundum omnem locum, omneque tempus, et propria auctoritate : alii vero, tanquam vicarii Christi et secundum certum locum, ut inferiores prælati ; vel secundum omnem locum, non tamen secundum omne tempus, ut Papa, qui est caput omnium tempore sui pontificatus.

3. Insuper, diabolus caput malorum vocatur, in quantum eos ad suum finem, B videlicet aversionem a Deo, conatur inducere, interius suggerendo, quamvis directe non influat menti. Et ergo dicitur
Job XLI, 25. rex super omnes filios superbiæ. Aversio autem a Deo rationem finis sortitur, prout speciem libertatis habet, juxta illud Jere-
Jer. II, 20. miæ secundo : A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti : Non serviam. Servitus quippe libertati opponitur.

4. Præterea in capite naturali, ut dictum est, tria sunt, scilicet : ordo, quum sit principium corporis ; virtus, nam in- C fluit corpori ; et perfectio, nam sensus in eo potissime vigent. Antichristus igitur non est caput omnium malorum, quoad duo prima. Non enim est principium vel primum inter homines, nec omnibus influit ; sed illis dumtaxat imprimet quos seducet. Antichristus ergo est caput malorum ratione tertii, utpote propter perfectionem malitiæ, quæ in ipso erit : nam plenus erit omni malignitate ac fraude diaboli. Unde ipse atque diabolus non sunt duo capita, sed unum : quoniam Anti- D christus caput vocatur, pro eo quod malitia dæmonis in ipso plenissime erit. Et
I Cor. XI, 3. sicut Deus, secundum Apostolum, caput est Christi ; sic dæmon caput erit Antichristi filii sui.

ARTICULUS XVI.

1. *Utrum Christus habuerit scientiam præter divinam.* 2. *An habuerit scientiam Beatorum.* 3. *An habuerit scientiam inditam.* 4. *An etiam acquisitam.*

1. FILIUS igitur Dei, quoniam rationalem animam vere assumpsit, scientiam creatam præter divinam et increatam scientiam habuit. Anima namque sine scientiæ habitu imperfecta ac nuda est : quod animæ Christi non convenit, quæ omnium animarum redemptrix exsistit. Item, res est propter suam operationem : nam per operationem conjungitur fini. Si ergo Christus non haberet cognitionem rationali animæ convenientem, frustra haberet animam. Habuit ergo creatam scientiam Christus. Tamen omnia cognovit per divinam scientiam operatione increata, quæ est divina essentia. Nam in Deo sunt idem esse et operari atque cognoscere, secundum Philosophum duodecimo Primæ philosophiæ. Quæstio 9.

2. Amplius, quoniam per Christi humanitatem omnes Beati ad Dei beatificam fruitionem perducuntur, quum ipse sit omnium per naturam assumptam salvator : constat quod visio seu scientia Beatorum Christo excellentissime inerat, tanquam causæ atque principio beatitudinis aliorum. Ipse enim semper comprehensor fuit. Unio namque personalis major est unione fruitionis et causa ejus. Ab eodem ergo instanti quo Christi natura humana fuit Verbo unita, ipse Christus ut homo, exstitit verus ac perfectus comprehensor. Hanc autem scientiam Beatorum habuit homo Christus per lumen gloriæ, sicut Beati.

3. At vero, præter increatam scientiam Christi et præter scientiam Beatorum, id est præter cognitionem qua Christus ut homo cognovit Verbum et omnia in Verbo, sicut et Sancti in patria, ponitur in Christo scientia indita seu infusa, qua cognoscit res in propriis naturis per species concreatas et rationali animæ connaturales ac proportionatas. Nulla enim naturalis perfectio defuit animæ Christi. Unde sicut secundum Augustinum, Verbum Dei

a principio indidit mentibus angelorum species rerum intelligibiles, per quas angeli omnia cognitione vespertina cognoscunt, præter cognitionem matutinam, qua res cognoscunt in Verbo; sic Verbum animæ Christi sibi unitæ a principio indidit species intelligibiles naturales.

4. Denique nihil eorum Christo defuit quæ Deus in nostra natura plantavit, secundum Damascenum. Ideo Christus habuit intellectum agentem et ejus operationem, sicut habuit intellectum possibilem ejusque actum. Operatio autem intellectus agentis est a phantasmatibus species intelligibiles abstrahere, et in intellectu possibili eas reponere, ut tertio de Anima dicitur. In Christo igitur erant species intelligibiles intellectui suo possibili ab intellectu agente impressæ : quod est scientiam acquisitam, quam aliqui nominant experimentalem, in ipso esse. In Christo igitur fuit scientia acquisita, quæ habetur per modum humanum naturaleque lumen, non solum ex parte recipientis, sed etiam causæ agentis. Dicit autem S. Thomas tertia parte, quæstione 9, hujus oppositum se alibi scripsisse. Scientia vero infusa inerat Christo per lumen supernaturale. De hac autem experimentali et acquisita Christi scientia dicit ad Hebræos quinto Apostolus : Didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Et sumitur hic discere pro experiri. Christus enim non didicit ab aliis scientiam acquisitam, sed per propriam adinventionem eam adeptus est. *Hebr.* v, 8.

ARTICULUS XVII.

1. *Utrum anima Christi comprehendat divinam essentiam.* 2. *An omnia cognoscat in Verbo.* 3. *An cognoscat infinita.* 4. *An clarius videat Deum qualibet alia creatura.*

Quæstio 10. 1. PATET demum ex præostensis, quod in Christo utraque natura proprias ac naturales proprietates retinuit. Soli autem divino intellectui proprium est, ut A divinam essentiam plene comprehendat : infinitum enim a finito comprehendi non valet. Quum ergo sit anima Christi pura creatura, non potest comprehendere (id est perfecte et omnino sicut cognoscibilis est, cognoscere) divinam essentiam, nec Verbum, cui unita est. Imo a tali comprehensione in infinitum distat et deficit. Quod autem Isidorus ait, Trinitas sibi soli cognita est et homini assumpto, ideo dixit, quoniam Christus ut homo, quodam eminentissimo modo Deum præ omnibus B Sanctis cognoscit.

2. Amplius, unusquisque Beatorum in patria omnia videt in Verbo quæ ad ipsum pertinent. Quum ergo Christo homini cuncta subjecta sint, et ipse constitutus sit omnium judex, oportet concedere quod Christi anima omnia in Verbo cognoscit, quæcumque sunt, fuerunt vel erunt, vel cogitata, vel prolata, vel acta. Aliqua vero sunt quæ nunquam fuerunt, vel erunt, nec sunt : et hæc in duplici differentia sunt. Quædam enim eorum sunt in sola C potentia Dei : et talia omnia non cognoscit anima Christi, quia sic cognosceret divinam virtutem perfecte et comprehensive. Virtus namque cognoscitur per eorum notitiam in quæ potest. Quædam autem sunt in potentia creaturæ : et talia omnia anima Christi in Verbo cognoscit. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ essentiam, et per consequens potentiam, et cuncta quæ in potentia creaturæ consistunt. Quod autem Filius dicit se horam judicii ignorare, idcirco dicit quia non D pandit eam discipulis. Dicitur enim Deus aliquid nescire, quia facit illud nesciri. Origenes vero id quod Filius dicit se horam judicii nescire, exponit de Christo secundum corpus ejus, quod est Ecclesia. Christus enim ut homo, hanc horam scivit utique : nam, ut Chrysostomus arguit, si Christo homini est datum esse omnium judicem, multo magis datum est ei hanc horam cognoscere.

I *Cor.* xv, 26-28; *Hebr.* ii, 8. *Joann.* v, 27; *Act.* x, 42.

Marc. xiii, 32.

3. Denique scientia est verorum : falsum enim non scitur. Ens autem et verum

convertuntur. Et ergo scientia non est nisi entium. Entia autem duplicia sunt. Quædam enim sunt actu : et hæc dicuntur simpliciter entia. Alia sunt entia in potentia : quæ fieri possunt. Anima igitur Christi non cognoscit entia actu infinita, quia nunquam est dare entia actu infinita. Cognoscit tamen entia secundum potentiam infinita. Scit enim omnia quæ secundum potentiam creaturæ fieri possunt : quæ infinita sunt saltem quantum ad cogitationes entium perpetuorum. Et talia scit scientia simplicis intelligentiæ : sicut et Deus infinita simpliciter cognoscit. Quamvis ergo capacitas animæ Christi finita sit, tamen infinita isto modo cognoscit, quia non sunt simpliciter infinita secundum actum atque essentiam.

4. Præterea secundum diversam participationem luminis gloriæ a Deo in Beatos manantis, Deus magis vel minus clare cognoscitur. Quum ergo sit anima Christi divinæ luci vicinius unita, constat quod divinam veritatem et naturam præ aliis limpidius intuetur. Imo, eo modo quo gratia Christi est infinita, id est, tanta qua major esse non potest, secundum intellectum præhabitum ; tali modo visio qua anima Christi Deum videt, tanta tamque præclara est, quod major aut clarior esse non potest : quamvis divinæ potestatis in agendo nullus sit terminus.

ARTICULUS XVIII.

1. *An Christus per scientiam infusam sciverit omnia.* 2. *An potuerit ea uti sine conversione ad phantasmata.* 3. *An hæc scientia fuerit collativa.* 4. *Quomodo habuerit se ad cognitionem angelicam.* 5. *An fuerit habitualis et distincta per habitus.*

Quæstio II. 1. DUPLEX proinde potentia passiva ponitur in omni natura creata, videlicet : naturalis, quæ per naturale agens perduci potest in actum ; et obedientialis, secundum ordinem creaturæ ad Deum, qui A potest creaturæ potentiam ad supernaturalem actum reducere. Hæc ergo duplex potentia fuit in anima Christi, et utraque ad actum perfecte reducta est. Nihil enim in Christo imperfectum a Deo relictum est. Itaque, per scientiam infusam seu inditam, anima Christi primo omnia cognovit ad quorum notitiam perduci potuit virtute intellectus agentis : ut sunt ea quæ ad humanas scientias pertinent. Secundo autem, Christus per istam scientiam omnia novit quæ divina revelatione homi- B nibus innotescunt, sive ad donum sapientiæ, vel prophetiæ, aliudve quodcumque donum Spiritus Sancti pertineant.

2. Denique quod anima rationalis indiget se convertere ad phantasmata dum intelligit, ex obligatione ejus ad corpus procedit : videlicet quia non plene corpori dominatur, sed in agendo ab ipso dependet. Quum ergo Christus fuerit comprehensor, anima ejus perfecte suo corpori dominabatur, nec in aliquo ab ipso dependebat : quemadmodum post resurrecti- C onem animæ Beatorum. Et ergo anima ejus non egebat se ad phantasmata convertere, intelligendo secundum scientiam infusam seu inditam.

3. At vero hæc scientia Christi indita, non fuit discursiva seu collativa, quasi per ratiocinationem inventa, ut quum proceditur ex cognitione alicujus noti ad ignoti notitiam. Erat enim a Deo infusa. Fuit autem discursiva secundum usum, in quantum complacuit habenti. Poterat enim Christus ex uno concludere aliud : sicut D et fecit, dum ex responsione Petri intulit : Ergo liberi sunt filii. Dicit autem Damascenus tertio libro, quod in Christo non fuit consilium, neque electio : et hoc, secundum quod dubitationem includit. *Matth.* XVII, 25.

4. Insuper, scientia Christi infusa major fuit scientia infusa angelorum, quantum est ex parte causæ influentis. Nam et ad plura se extendit et certior est, eo quod lumen intellectuale inditum animæ Christi eminentius exstitit. Ex parte autem subjecti, scilicet animæ Christi, erat ali-

quo modo minor, in quantum discursiva collativaque fuit.

5. Adhuc autem, receptum est in recipiente secundum recipientis naturam. Est autem omni animæ rationali connaturale, ut quandoque actu intelligat, quandoque in potentia. Inter potentiam vero et actum mediat habitus. Christus ergo habuit scientiam habitualem, qua utebatur quando et quomodo voluit : quod non est intelligendum de scientia fruitionis (illa enim semper in actu fuit et est), sed de scientia Christi per species concreatas, quæ fuit secundum modum humanæ naturæ. — Modus autem naturæ animæ rationalis conveniens, est species a Deo influxas in minori simplicitate recipere, quam recipiantur ab angelis. Et ergo diversas naturas specificas cognoscit anima Christi diversis habitibus. Habitus enim et scientia distinguuntur per objecta. Scientia igitur indita Christi fuit distincta diversis habitibus.

ARTICULUS XIX.

1. *An per scientiam experimentalem seu acquisitam Christus omnia cognoverit.* 2. *An in ea profecerit.* 3. *An ab hominibus quidpiam didicerit.* 4. *An ab angelis aliquid receperit.*

Quæstio 12. 1. SICUT ostensum est, Christo inerat scientia acquisita, ne intellectus agens in ipso otiosus maneret. Sicut autem per scientiam inditam Christus omnia novit ad quæ intellectus possibilis in potentia est; sic per scientiam acquisitam anima Christi cuncta cognovit ad quæ se virtus et lumen intellectus agentis extendit : quamvis omnia illa per se non sit experta nec senserit. Scientia namque rerum acquiritur, non solum per experientiam ipsarum, sed etiam aliunde : potest enim intellectus unum oppositum cognoscere per aliud, et causam per effectum, atque econtra, et similia ex similibus.

2. Porro ex præinductis patet, quod anima Christi in scientia fruitionis nullo modo profecit; in scientia autem habituali

A infusa profecit, non secundum essentiam habitus, sed secundum effectum. Scientia vero experimentalis seu acquisita, quam quidam Christo inesse negant, et S. Thomas quandoque negavit, sed in tertia parte, quæstione 9 retractat, eamque Christo inesse concedit : hæc, inquam, scientia in Christo aucta est, non solum secundum effectum, videlicet per usum pleniorem, sed etiam quantum ad habitum, secundum quod per abstractionem specierum intelligibilium a phantasmatibus, novæ species
B recipiebantur in intellectu possibili.

3. Præterea in quolibet genere primum movens est immobile in suo genere. Quum ergo sit Christus doctor atque magister omnium hominum in hunc mundum venientium, non decuit eum ab hominibus aliquid discere : quamvis ex rebus in scientia acquisita profecit. Res enim sunt quædam verba divinæ virtutis, quæ dixit et facta sunt. Verba autem hominum transitoria et volubilia sunt. *Ps.* cxlviii, 5.

4. Insuper, anima Christi ab angelis il-
C luminata non est, nec per eos profecit; sed sicut supernaturaliter fuit Verbo unita, sic supernaturaliter ab eodem impleta est scientia infusa et gratia. Unde septimo Hierarchiæ cœlestis capitulo Dionysius ait, quod supremi angeli ad Jesum quæstionem faciunt et ab eo addiscunt. Quod autem Lucæ vicesimo secundo legitur : Christus in agonia jam factus ab angelo confortatus fuit : non erat per modum instructionis, sed ad demonstrandum veritatem naturæ assumptæ vere passibilis, *Luc.* xxii, 43.
D secundum Bedam.

ARTICULUS XX.

1. *An anima Christi habuerit omnipotentiam.* 2. *An habuerit omnipotentiam quoad immutationem creaturarum.* 3. *An quantum ad proprium corpus.* 4. *An quantum ad exsecutionem voluntatis.*

1. AIT autem Dionysius quinto capitulo de Divinis nominibus, Divinitati proprium esse, fore incircumscriptum. Ani- Quæstio 13.

ma ergo Christi quum sit quædam creatura, finita est, nec omnipotentiam habet : nam omnipotentia aliud non est nisi infinita potentia. Nihil autem creatum est simpliciter infinitum.

2. At vero immutatio triplex est, scilicet : naturalis, miraculosa, et secundum quod creaturæ dicuntur in nihil vertibiles sicut ex nihilo factæ sunt. Anima quoque Christi consideratur dupliciter : primo, secundum potentiam suæ naturæ convenientem, vel ratione propriæ speciei, vel ratione gratiæ sibi concessæ; secundo, prout B est instrumentum divinæ virtutis Verbi increati, cui unita est. Anima igitur Christi, secundum primam considerationem, habuit potestatem ad gubernandum proprium corpus, ad disponendum et gubernandum actus humanos, et ad illuminandum omnes intellectuales creaturas. Hæ enim operationes sequuntur perfectionem virtutis naturalis vel gratuitæ animæ Christi. Sed anima Christi, secundum aliam considerationem, habet potentiam respectu immutationis omnium creaturarum, quarum C immutatio ordinabilis est ad finem Incarnationis, videlicet ad reparationem ruinæ cœlestis humanique generis. Sed sicut solius Deitatis est rerum naturas creare, sic ei proprium est habere potentiam vertendi creata in nihilum. Patet ergo quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

3. Amplius autem, anima Christi prout est Verbo velut proprium et conjunctum instrumentum unita, omnipotentiam habuit quantum ad proprium corpus : ita D quod corporis augmentum, fames, sitis, et omnis alteratio ejus, rationis subdebatur imperio. Unde tertio libro asserit Damascenus : Omnia naturalia in Christo erant voluntaria. Sed considerando animam Christi secundum propriam virtutem : sic non habuit potestatem omnipotentem super proprium corpus, sicut nec super alia entia.

4. Præterea anima Christi dupliciter aliquid voluit, scilicet : vel sicut per se im- A plendum, et sic nihil voluit nisi quod per se potuit : aliter insipiens fuisset. Secundo, aliquid voluit tanquam divina virtute implendum, ut resuscitationem Lazari atque similia. Et quantum ad talia, non habebat omnipotentiam quantum ad propriam virtutem, sed potuit ea per virtutem Verbi, cui instrumentaliter deservivit.

ARTICULUS XXI.

1. *Utrum Christus assumpserit corporis defectus.* 2. *An necessitatem quoque subjacendi defectibus talibus.* 3. *An istos defectus contraxerit.* 4. *Utrum omnes assumpserit.*

1. TRIPLICI autem ratione Christus assumpsit corpus naturalibus infirmitatibus defectibusque subjectum, scilicet fami, siti, morti, etc. Primo, ut talia patiendo pro hominibus satisfaceret : nam illa ex primi parentis peccato secuta sunt, ad cujus deletionem Christus advenit. Secundo, ut veritatem humanitatis assumptæ ostenderet. Tertio, ut nobis patientiæ et imitationis exempla præberet, quemadmodum ad Hebræos duodecimo ait Apostolus : Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Poterat tamen, secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum, anima Christi sua beatitudine ab omni passione ac læsione corpus ejus servare intactum, eo quod gloria animæ in corpus redundat; sed ut Damascenus affirmat, beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni Christi operari ac pati.

(Quæstio 14. — *Hebr.* xii, 3.)

2. Præterea duplex est necessitas, scilicet : coactionis, quæ est ab agente extrinseco et contrariatur voluntati atque naturæ, quorum utrumque est principium intrinsecum. Alia autem necessitas est, quæ naturalis vocatur, consequens naturalia rei principia : sicut necesse est ignem calefacere, et mixtum corrumpi. Hanc vero secundam necessitatem subjacendi morti aliisque defectibus corporis Christus sponte assumpsit. Si autem loquamur de

necessitate coactionis prout corporali naturæ repugnat : sic corpus Christi secundum propriam naturam necessitati passionum istarum subjacuit. Sed prout talis necessitas voluntati repugnat : sic in Christo non fuit, nec quoad voluntatem divinam, nec quantum ad voluntatem humanam absolute acceptam, quæ scilicet rationem deliberativam consequitur; sed solum secundum naturalem motum voluntatis, videlicet prout naturaliter mortem nocumentaque corporis refugit. Et sic patet, quomodo Christus oblatus dicitur quia (*Is.* LIII, 7.) voluit, quamvis hoc contra naturalem motum suæ voluntatis fuerit, secundum Damascenum.

3. Denique prædictos defectus contrahere, aliud non est nisi eos simul cum eorum causa accipere. In verbo namque contrahendi includitur ordo effectus ad suam causam. Hi vero defectus sunt pœnæ originalis culpæ, quæ in Christo non fuit. Nam ipse naturam humanam in ea puritate assumpsit, quam in statu originalis innocentiæ atque justitiæ habuit, secundum Augustinum. Itaque Christus hos defectus non contraxit, sed sponte suscepit.

4. Porro, quoniam Christus venit naturam humanam sanare, idcirco plenitudo gratiæ atque scientiæ ei necessaria fuit, ut homines illuminaret et Deo gratos efficeret. Venit autem sanare naturam humanam originali culpa infectam. Et ergo illos defectus assumpsit qui in omnibus universaliter reperiuntur ut pœnæ originalis culpæ : scilicet famem, mortem, etc. Defectus autem qui perfectioni scientiæ et virtutum repugnant, ut sunt ignorantia, concupiscentia, fomes; et qui in omnibus non sunt, sed ex particulari causa proveniunt, ut lepra, vel febris, Christus nequaquam assumpsit. Unde Damascenus testatur, quod Christus naturales et indetrahibiles defectus assumpsit, id est eos qui omnibus sunt communes et perfectioni gratiæ atque scientiæ non repugnant. Hos autem defectus suscipiendo, curavit eos in aliis, et non solum eos, sed etiam A illos qui superadduntur naturæ infectæ : nam hi ex illis primis defectibus oriuntur.

ARTICULUS XXII.

1. *Utrum in Christo fuerit peccatum.* 2. *An fomes peccati.* 3. *An ignorantia.* 4. *An passibilitas animæ.* 5. *An dolor sensibilis.*

1. CHRISTUS vero peccatum non assumpsit : nam peccatum ad redemptionem cooperari non potuit, nec ad eam utile fuit. Unde et Christus in Adam non fuit secundum rationem seminalem, quoniam non est secundum naturalem virtutem seu ordinem generatus. Erat tamen in Adam secundum corpulentam substantiam, quia veram carnem ex ejus posteritate accepit. Nos vero in Adam exstitimus secundum seminalem rationem corpulentamque substantiam, secundum Augustinum decimo super Genesim ad litteram. (Quæstio 15.)

2. Præterea ad fomitem pertinet inclinatio sensitivi appetitus in id quod est contra rationem. Quum ergo in Christo fuerit omnium virtutum perfectio et gratiæ plenitudo, ut dictum est, sequitur quod fomes in eo locum non habuit. Erat enim pars ejus sensitiva rationi perfecte subjecta, nec aliquid caro vel sensus ejus appetiit nisi secundum ordinem et modum rationis.

3. Insuper, fuit in Christo plenitudo omnis scientiæ : non ergo erat in eo ignorantia. Potest tamen natura humana in Christo considerari dupliciter. Primo, secundum se vel secundum rationem suæ speciei : et sic Damascenus tertio libro ait, quod Deus ignorantem et servilem naturam assumpsit. Secundo, prout unita est Verbo : et sic non competit ei ignorantia.

4. Advertendum autem, quod anima corpori formaliter unita dupliciter patitur, videlicet : passione corporali, per hoc quod est forma corporis : ut quum corpus vulneratur aut læditur. Quum ergo anima Christi fuerit naturaliter forma corporis ejus, constat eam fuisse passibilem per accidens passione corporali. Secundo,

patitur anima passione animali, quæ maxime consistit in ipsis affectionibus appetitus sensitivi : quamvis secundum alias operationes anima pati dicatur. Nam sentire et intelligere quædam passiones interdum vocantur. Affectiones vero appetitus sensitivi in Christo vere fuerunt, sicut et alia ad humanæ naturæ veritatem spectantia. Patet ergo, quod anima Christi passione animali passibilis exstitit. Aliter vero passiones seu affectiones fuerunt in Christo, quam in nobis. Primo, quantum ad objectum : in nobis enim sæpe moventur ad illicita, nunquam autem in Christo. Secundo, quia in nobis sæpe præveniunt rationis judicium ; in Christo autem non oriebantur nisi secundum rationis dispositionem liberumque arbitrium. Tertio, quia in nobis impediunt et alliciunt sibi rationem ; in Christo autem nunquam rationem male inclinare vel impedire valebant. Unde, quum passio in sensualitate sistit, propassio dicitur ; quum autem rationem pervertit, passio perfecta vocatur.

5. Ex his innotescit, quod in Christo fuerat verus dolor. Nam dolor est, quum læditur corpus et læsio ipsa percipitur. Quoniam ergo corpus Christi passibile fuit, et omnes vires naturales ac sensus in ipso veraciter erant : certum est quod verus dolor in ipso exstiterit, sicut testatur
Is. LIII, 4. Propheta : Vere languores nostros ipse tulit. Sunt autem aliqua verba S. Hilarii quæ videntur dolorem a Christo negare : non utique quantum ad veritatem doloris, sed quantum ad necessitatem ipsius, illam præsertim quæ est ex reatu peccati, qui in Christo non fuit.

ARTICULUS XXIII.

1. *An in Christo fuerit tristitia.* 2. *An timor.* 3. *An admiratio.* 4. *An ira.* 5. *An simul fuerit comprehensor atque viator.*

1. DENIQUE dolor sensibilis atque tristitia in hoc conveniunt, quod utriusque subjectum est appetitus sensitivus.
A Sed differunt, quia doloris objectum et motivum est læsio corporalis ; objectum vero et motivum tristitiæ est malum seu nocivum interius apprehensum per rationem vel imaginationem, ut dum homo de perditione divitiarum tristatur. Potuit autem anima Christi tale malum apprehendere intra se, tam proprium malum, videlicet mortem vel pœnam, quam aliorum, ut dum discipulorum vel Judæorum peccatis condoluit. Et ergo tristitia in Christo fuit, quemadmodum de eo scriptum est :
B Tristis est anima mea usque ad mortem. *Matth.*
Hæc autem tristitia animæ Christi immo- XXVI, 38.
derata non fuit, sed intra rationem permansit : et ergo propassio potius quam passio appellatur. Nam de inordinata tristitia loquitur Isaias de Christo, quadragesimo secundo capitulo : Non erit tristis *Is.* XLII, 4.
neque turbulentus ; et Salomon in Proverbiis, Non contristabit justum, quidquid *Prov.* XII,
ei acciderit, scilicet, quia ex nullo sibi 21.
eveniente perturbatur ratio ejus.

2. Denique, sicut tristitia est de malo
C præsenti ; sic timor est de malo futuro, ut quum aliquid apprehenditur ut nocivum et futurum. Malum vero sensibile futurum non inducit timorem, nisi habeatur aliqua spes evadendi. Si enim non sit possibile vitari, vel si certum sit homini ipsum sibi venturum, non proprie timorem, sed tristitiam causat. Christus autem præscivit quidquid sibi futurum fuit. Non ergo timor fuit in eo, quantum ad incertitudinem futuri eventus ; sed quoad hoc, quod appetitus naturaliter fugit corporis
D læsionem : per tristitiam quidem, dum præsens est ; per timorem autem, dum est futura. Unde Marci quartodecimo dicitur : Cœpit Jesus pavere et tædere. Quod *Marc.* XIV,
autem Proverbiorum vicesimo octavo scri- 33.
bitur, Justus quasi leo confidens absque *Prov.*
terrore erit, intelligendum est de terrore XXVIII, 1.
qui est passio perfecta a ratione avertens, et non solum propassio. Et hoc modo Hilarius negat in Christo fuisse timorem.

3. Porro admiratio est de aliquo novo atque insolito. Mirantur enim homines,

dum vident effectum et nesciunt causam. Christo autem nihil erat novum, quantum ad scientiam divinam et increatam, nec quantum ad scientiam beatam, qua omnia vidit in Verbo, nec quoad scientiam infusam seu inditam, qua per species concreatas cuncta cognovit. Relinquitur ergo, quod admiratio non inerat Christo, nisi quoad scientiam acquisitam seu experimentalem : secundum quam per novam abstractionem specierum a phantasmatibus receptionemque formarum per sensus, aliquid de novo cognovit.

4. Amplius, ira quæ est vitium et passio inordinata, in Christo non fuit ; sed ira per zelum, quæ est appetitus vindictæ secundum ordinem rationis. Hæc enim ira rationem non impedit, sed eam concomitatur et adjuvat, secundum Gregorium. Et ergo Joannis secundo dicitur in Christo esse impletum quod in Psalmo legitur : Zelus domus tuæ comedit me. *Joann.* II, 17.

5. Cognoscendum quoque, quod comprehensor aliquis dicitur, eo quod jam Deo fruatur ; et viator, secundum quod beatitudinem obtinere conatur. Beatitudo autem consistit principaliter in anima, secundario autem in corpore. Quoniam ergo Christus secundum mentem Deo semper perfectissime unitus erat per fruitionem visionemque claram : sequitur, quod secundum mentem rationalem fuerat comprehensor. Sed quia corpus ejus nondum sortitum erat dotes corporum Beatorum, idcirco, quantum ad id quod corpori proprium est, viator erat. Unde Jeremiæ quartodecimo de Christo scriptum est : Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? *Jer.* XIV, 8.

ARTICULUS XXIV.

An sequentes propositiones sint veræ : 1. Deus est homo. 2. Homo est Deus. 3. Christus est homo dominicus. 4. An ea quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari de Filio Dei, et econtrario. 5. An etiam quæ A *conveniunt naturæ divinæ, dicantur de natura humana, et econtra, in abstracto.*

1. REPROBATIS autem atque omissis hæreticorum variis modis quibus istam propositionem, Deus est homo, concedunt : dicendum est hanc propositionem proprie et simpliciter concedendam esse ac veram. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet sub natura illa contento, ut homo pro quolibet homine. B Itaque hoc nomen, Deus, supponere potest pro persona Filii Dei. De quolibet autem alicujus naturæ supposito potest vere ac proprie prædicari nomen illam naturam in concreto significans, ut homo de Petro et Paulo. Quoniam ergo persona Filii, pro qua supponit hoc nomen, Deus, est suppositum naturæ humanæ (est enim assumpta ad esse personale Verbi) ; idcirco vere et proprie hoc nomen, Homo, prædicatur de Deo, prout hoc nomen, Deus, supponit pro persona Filii. Unde hæc propositio, C Deus est homo, est in materia naturali. Non enim per accidens prædicatur homo de Deo, sed per se, sicut de sua hypostasi : non utique ratione formæ significatæ hoc nomine, Deus ; sed propter suppositum Verbi, quod humanæ naturæ est hypostasis. Quæstio 16.

2. Denique eadem ratione ista est vera ac propria, Homo est Deus. Homo namque supponere potest pro qualibet naturæ humanæ hypostasi, et per consequens pro persona Verbi seu Filii Dei, quæ est na- D turæ assumptæ suppositum. Quum vero dicitur, Christus Jesus, semper supponitur atque signatur suppositum æternum et increatum, quod est Verbi hypostasis. Utriusque enim naturæ in Christo est unum ac idem suppositum.

3. Deus vero et Dominus, non denominative, sed essentialiter Deo conveniunt, et essentialiter de ipso prædicantur. Ideo ista impropria est, Christus est homo dominicus ; et Augustinus eam in libro Retractationum retractat. Signaretur enim

per talem denominationem, quod natura humana non esset Verbo vere in unitate personæ conjuncta. Ista tamen proprie est concedenda, Christus est homo divinus : nam Dionysius nominat Christum divinissimum Jesum. Hoc enim nomen, Divinus, essentialiter solet dici de his de quibus prædicatur, sicut hoc nomen, Deus : dicitur enim, Divina essentia, Divina sapientia, sicut, Essentia Dei.

4. Porro, quum utriusque naturæ sit in Christo una persona, ideo sive dicatur homo sive Deus, una persona supponitur utriusque naturæ. Unde ea quæ humanæ naturæ sunt, prædicantur de Deo, et econtrario, scilicet : Deus est passus ; ille homo est æternus, immensus, omnipotens. Dicit enim Damascenus tertio libro : Deus suscepit ea quæ carnis sunt idiomata, id est proprietates, dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriæ crucifixus vocatur. In talibus tamen propositionibus, non solum considerare oportet quid de quo dicitur, sed etiam propter quid unumquodque de alio dicitur. Non enim humana Deo conveniunt ratione naturæ divinæ, neque divina homini ratione naturæ humanæ.

5. At vero, quoniam utriusque naturæ conjunctio in Christo non est facta in unitate naturæ, ut Eutychiani putabant ; sed in persona, salvis utriusque naturæ proprietatibus, atque utraque natura in se integra permanente : propterea, quæ sunt naturæ divinæ, non dicuntur de natura humana, neque econtra, in abstracto. Non enim dicere possumus quod natura divina sit passibilis, vel natura humana æterna.

ARTICULUS XXV.

An istæ propositiones sint veræ : 1. Deus factus est homo. 2. Homo factus est Deus. 3. Deus est creatura. 4. Ille homo (Christum demonstrando) incepit esse, vel fuit semper. 5. Christus secundum quod homo est creatura. 6. Christus secundum quod homo est A *Deus. 7. Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona.*

1. AMPLIUS, unumquodque dicitur illud esse factum, quod de novo prædicatur de ipso : ut si Petrus nunc incipiat fieri albus, dicitur albus factus. Quum ergo Deus dicatur veraciter homo, non ab æterno, sed ex tempore, constat hanc veram esse, Deus factus est homo. Non tamen Deus dicitur factus simpliciter, quia natura humana in eo non habet sub- B sistentiam propriam, sed ad esse personale Verbi assumpta est. Quamvis etiam Deus dicatur homo factus, non est tamen mutatus in Divinitatis natura. Quamvis enim in his quæ absolute dicuntur de aliquo, fieri sit mutari, tamen quæ relative dicuntur vel propter relationem conveniunt, sine mutatione de novo alicui competere possunt. Nam potest mihi aliquis fieri sinister vel dexter sine mutatione facta in me. Sic namque dicimus Deo : Domine, refugium factus es nobis. Esse Ps. LXXXIX, 1. C autem vel fieri hominem, convenit Deo ratione unionis, quæ est relatio quædam. Propterea sine mutatione Dei, non tamen sine mutatione humanitatis, Deus factus est homo.

2. Porro, dum dicitur, Homo factus est Deus, tripliciter potest intelligi. Primo, ut dictio, Factus, referatur ad subjectum vel prædicatum : sicque est falsa, quia nec ille homo, nec Deus est factus, sicut patebit. Sic autem non quæritur de propositione hujusmodi. Secundo, ut dictio, Fa- D ctus, compositionem determinet, et sit sensus : Factum est ut homo sit Deus. Et sic est vera : nisi quis dicat quod homo supponat non simpliciter, sed pro supposito. Iste tamen non est proprius sensus. Tertio, potest intelligi prout dictio, Factus, ponit fieri circa hominem per respectum ad Deum : et sic falsa est. Quum enim sit una persona hominis et Dei in Christo, significatur quod suppositum hominis factum sit Deus. Hoc autem falsum est : nam suppositum hominis in Christo, est ipsum

Verbum seu Verbi persona, quæ non est A facta vel factum Deus. Terminus namque in subjecto positus tenetur materialiter, id est pro supposito ; in prædicato autem locatus tenetur formaliter, id est pro natura. Et ideo quum dicitur, Homo factus est Deus, homo supponit pro supposito.

3. Denique, teste Hieronymo, ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis : propter quod nec in nominibus communicare debemus hæreticis. Ariani autem dixerunt Christum puram creaturam et Patre minorem. Ne ergo eis videamur fa- B vere, non debemus simpliciter dicere Christum esse creaturam, sed cum determinatione seu additamento. Si vero sancti Doctores inveniantur Christum dixisse creaturam sine additamento, tales propositiones non sunt extendendæ, sed exponendæ. Unde propositiones quæ dubitationem includunt ob quam naturam Christo conveniant, non sunt sine determinatione enuntiandæ de Christo. Non enim simpliciter dicendus est Christus incorporeus vel impassibilis, propter vitandum Mani- C chæi errorem, qui Christum asseruit, non verum, sed phantasticum corpus assumpsisse.

4. Insuper, propositio ista, Hic homo (Christum demonstrando) incepit esse, non est simpliciter concedenda : quia (ut dictum est) hic homo, imo et homo in subjecto positus, supponit pro persona. Persona autem Christi quum sit increata, non incepit esse. Item, talis propositio neganda est, ne videamur Arianis favere, qui dixerunt Christum non esse Patri coæter- D num. Quum autem aliquis Catholicorum talem propositionem invenitur concessisse, pie exponendum est, scilicet per determinationem ratione naturæ assumptæ.

5. At vero, propositio ista, Christus secundum quod homo est creatura, conceditur, prout illa reduplicatio sumitur ex parte naturæ : sic enim proprie intelligenda est. Sed si reduplicatio fieret ratione suppositi, tunc falsa esset propter causas præhabitas.

6. Conformiter, ista propositio, Christus secundum quod homo est Deus, falsa est, si reduplicatio hominis fiat pro natura : natura enim humana a divina natura permansit in Christo distincta. Si vero reduplicatio fit ratione suppositi, vera est. Sed quoniam terminus in reduplicatione positus proprie tenetur formaliter et pro natura; idcirco ista, Christus secundum quod homo est Deus, magis proprie est neganda quam concedenda.

7. Adhuc autem, ista propositio, Christus secundum quod homo est persona, vera est, si reduplicatio fiat ratione suppositi. Si vero fit ratione naturæ, tunc distinguenda est. Vel enim est sensus, quod natura humana in Christo habeat esse personale proprium : et sic falsa est. Vel, quod habeat esse personale in aliquo : et ita est vera. Habet enim esse personale ipsius Verbi. Omne enim quod in humana natura subsistit, persona est.

ARTICULUS XXVI.

1. *An Christus sit unum vel duo.* 2. *Utrum in ipso sit dumtaxat unum esse.*

1. BOETIO insuper teste, Omne quod est, in quantum est, unum est. In Quæstio 17.
Christo autem est una utriusque naturæ persona. Et quamvis natura divina in abstracto accepta, prædicetur de Christo, sicut de qualibet divina persona, quia in Deo sunt idem esse atque essentia ; natura tamen humana non proprie prædicatur in abstracto de Christo, sed solum in concreto, prout significat habentem naturam. Idcirco Christus non est dicendus duo vel plura, sed vere absoluteque unus.

2. Amplius, unum et ens convertuntur. Quod ergo vere est unum, non habet nisi unum esse. Et ergo quum in Christo sit natura humana ad esse increatum Verbi in unitatem personæ assumpta, non est in eo nisi unum esse simpliciter dictum. Ea enim quæ ad naturam pertinent, distinguuntur in Christo : habet namque duos

intellectus, duas voluntates, sicut et duas naturas. Sed quæ personam respiciunt, non numerantur, sed sunt unum in Christo : sicut et persona in eo una consistit. Esse vero immediate concernit personam : esse enim est suppositorum. Verumtamen trium divinarum personarum non est nisi unum esse propter unitatem naturæ, quæ non diversificatur a suo esse.

ARTICULUS XXVII.

1. *Utrum distinguantur in Christo voluntas divina et humana.* 2. *An in humanitate Christi sit alia voluntas rationis, et alia sensualitatis.* 3. *An in ipso fuerint plures voluntates rationis.* 4. *An liberum arbitrium.* 5. *An voluntas humana fuerit divinæ conformis per omnia.* 6. *An fuerit in Christo aliqua voluntatum contrarietas.*

1. FUERUNT quoque nonnulli, qui non nisi unam voluntatem in Christo ponebant. Apollinaris enim, qui dixit in Christo non fuisse animam intellectivam, solam divinam voluntatem in eo asseruit. Similiter Eutyches, et omnes qui unam solam in Christo naturam ponebant, unam dumtaxat voluntatem ei attribuebant. Postmodum autem Macarius Antiochenus patriarcha, et Cyrus Alexandrinus, et Sergius Constantinopolitanus, atque eorum sequaces, quamvis in Christo faterentur unam personam duasque naturas, non tamen ponebant in eo nisi unam voluntatem. Opinabantur enim, quod in Christo humana natura nunquam movebatur proprio motu, sed solum prout movebatur a voluntate divina. Hæc autem positio falsa est. Nam, sicut præhabitum est, Filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam et integram, cum his quæ ad essentialem ejus pertinent perfectionem. Et ergo, quemadmodum natura humana in Christo habuit intellectum humanum, ita habebat propriam voluntatem. Unde in sexta synodo apud Constantinopolim celebrata dicitur, quod in Christo oportet duas vo- Quæstio 18.

A luntates naturales et duas operationes naturales prædicare. Voluntas tamen Christi humana semper sequebatur divinam, et ei per omnia subdita fuit.

2. At vero, sicut ad veritatem atque perfectionem naturæ humanæ pertinet rationalis appetitus, id est voluntas, sic et appetitus sensitivus, qui dicitur rationalis per participationem. Et ergo in Christo erat appetitus sensitivus, id est voluntas sensualitatis, qui rationali voluntati in omnibus erat subjectus, ut dictum est.

B 3. Sciendum autem, quod voluntas quandoque accipitur pro potentia : et sic in Christo erat sola una rationis voluntas. Interdum vero sumitur pro actu : et sic in Christo erant duæ voluntates rationis, id est duo actus voluntatis. Quorum unus erat circa ipsum finem : et talem voluntatem vocat Damascenus θέλησιν, et magistri nominant eam, voluntatem ut naturam. Finis enim appetitur propter se ipsum. Alia vero voluntas est eorum quæ sunt ad finem : talia namque non appetuntur, nisi per comparationem ad finem. C Hanc igitur voluntatem Damascenus nominat βούλησιν, et magistri vocant eam, voluntatem ut rationem.

4. Porro, secundum Philosophum in Ethicis, voluntas est proprie circa finem ; electio autem, eorum quæ ordinantur ad finem. Electio vero est proprius actus liberi arbitrii. Idcirco, sicut in Christo ponitur voluntas ut ratio, id est electio ; ita in eo oportet ponere liberum arbitrium. Damascenus tamen dicit in Christo non fuisse D electionem, videlicet prout electio dubitationem includit : quamvis dubitatio de ratione electionis non sit. Eligere enim convenit Deo, juxta illud Apostoli ad Ephesios primo : Elegit nos in ipso ante mundi *Ephes.* 1, 4.
constitutionem. Libertas ergo arbitrii competit Christo, sicut Beatis.

5. Præterea, sicut prædictum est, divina dispensatione factum est, ut in Christo corporalis natura passionibus et morti subdita esset, viresque animæ operarentur et moverentur secundum propriam na-

turam. Appetitus autem sensitivus, qui A voluntas per participationem vocatur, naturaliter refugit malum et pœnam. Voluntas quoque ut natura, quæ est de ipso fine, ea refugit quæ secundum se mala exsistunt. Et ergo ambæ istæ voluntates in Christo aliud poterant velle quam Deus: præsertim, quoniam Deus volebat Christum pati, non quasi passio talis esset propter se ipsam appetibilis, sed propter ordinem ad humanam salutem. Et ergo voluntas ut natura refugiebat eam; sed voluntas ut ratio, scilicet quæ est eorum B quæ sunt ad finem, non refugiebat eam. Nam ideo Christus dixit : Non sicut ego volo, sed sicut tu. Et secundum hanc voluntatem Christus in omnibus voluit id quod Deus.

Marc. XIV, 36.

6. Veruntamen non fuit in Christo contrarietas voluntatum : contrarietas enim non est nisi de eodem et secundum idem. Voluntas autem sensualitatis, quæ pœnam nolebat, est alia a voluntate rationis, quæ eam volebat. Similiter voluntas ut natura non restitit voluntati rationis, quia non C secundum eamdem rationem movebatur cum voluntate rationis. Ipsa enim movebatur in aliquid secundum se consideratum; voluntas vero rationis ferebatur in rem per respectum ad finem. Una quoque potentia animæ Christi non impediebat nec retardabat actum alterius. Placuit enim Christo, ut quilibet appetitus suus moveretur secundum naturalem et propriam inclinationem. — Erat autem in Christo agonia, passione instante : Factus enim in agonia, prolixius orabat : et hoc, quan- D tum ad partem sensitivam, prout agonia designat timorem infortunii imminentis, secundum Damascenum libro tertio. Sed quantum ad partem rationalem, non exstitit agonia in ipso, prout agonia importat concertationem voluntatum ex diversis rationibus procedentem. Talis quippe agonia ex rationis debilitate consurgit, quæ non valet cognoscere quid sit simpliciter melius. Hoc autem a Christo longe erat.

Luc. XXII, 43.

ARTICULUS XXVIII.

1. Utrum in Christo sit una utriusque naturæ operatio. 2. An sit in eo tantum una operatio secundum naturam humanam. 3. Utrum per operationem humanam aliquid meruerit sibi. 4. An et nobis aliquid promeruerit.

QUÆSTIO I

1. SCIENDUM præterea, quod sicut præfati hæretici unam dumtaxat in Christo voluntatem ponebant, ita dicebant in ipso fuisse unam divinitatis et humanitatis operationem : sic quod natura humana non habuit propriam operationem, quasi ipsa esset activum operationis principium, sed solum movebatur a Verbo velut instrumentum ipsius. Unde quamvis Christus ut homo comedit et ambulavit, atque similia fecit, omnia tamen hæc attribuebant divinæ naturæ tanquam efficienti principio. Hæc autem positio falsa est. Nam quamvis instrumentum moveatur a principali agente, habeatque eamdem operationem cum eo quantum ad id quod a principali causa sortitur; nihilo minus habet propriam operationem, quæ sibi secundum propriam convenit formam : sicut securi ex se competit scindere; sed facere scamnum, prout ab artifice movetur. Et ignis ex propria natura calefacit; sed formam clavi inducere, competit sibi ex influentia fabri. Et talis operatio non attribuitur principali agenti, nisi prout utitur operatione alterius. Sic in Christo natura humana quamvis aliqua operabatur ex virtute divinæ naturæ, ut est ambulare super aquas, sanare infirmos, quæ etiam competunt Verbo tanquam principali agenti; tamen quædam operabatur ex propria natura atque virtute, quæ sunt distinctæ operationes ab operatione divina. Et in hoc patet hæresis Severi. Verumtamen natura divina utebatur operatione humana tanquam actione sui instrumenti, et natura quoque humana sortiebatur virtutem agendi ex virtute divina. Propter quod Dionysius secundo capitulo de Divi-

nis nominibus vocat operationem Christi *theandricam,* id est deivirilem.

2. Porro operatio illa proprie nominatur humana, quæ procedit a ratione per voluntatem, quæ rationis appetitus consistit. Aliæ autem operationes non sunt humanæ proprie, sed conveniunt homini, vel ratione elementi prædominantis, ut moveri deorsum, vel ex virtute animæ vegetativæ vel sensitivæ. Operatio vero secundum elementum prædominans et animam vegetativam, rationi nequaquam subjicitur. Operationes autem animæ sensitivæ rationis imperio aliquo modo subduntur : idcirco humanæ per participationem vocantur. Quum vero inferius a superiori suo movetur, est eadem actio utriusque ex parte activi principii; sed dum movetur inferius secundum propriam naturam, actio est diversa. Et ergo in quolibet puro homine est alia operatio quæ est secundum elementum prædominans vegetativamque animam, quam illa quæ secundum partem intellectivam. Operatio quoque partis sensitivæ in homine est diversa ab actione rationis, quoad id quo sensus rationi non subditur. Nunc enim est sermo de unitate operationis ex parte activi principii. Ista autem operationum diversitas in Christo locum non habuit in toto. Nam in eo non erat aliquis motus sensitivæ partis rationi non subditus. Sed et ceteræ inferiores atque naturales suæ operationes ad ipsius voluntatem quodammodo pertinebant, in quantum voluntas ejus exstiterat quod caro quæ sibi sunt propria pateretur et ageret. Et sic tales operationes in Christo erant aliqualiter humanæ.

3. Denique nihil post Deum est sibi ipsi simpliciter alicujus boni causa; sed Deus omnium bonorum principium est. Homo vero sibi ipsi causa quodammodo dicitur quorumdam bonorum, in quantum per gratiam hæc meretur. Dignius ergo est habere aliquid per meritum, quam sine merito. Omnis autem nobilitas atque perfectio convenit Christo. Ea igitur per meritum habuit, quæ alii per meritum habent : nisi
A sint talia, quorum carentia magis deroget perfectioni Christi, quam meritum accrescat. Et ergo nec gratiam, nec sapientiam, nec beatitudinem meruit; sed glorificationem corporis, ascensionem, et alia ad exteriorem excellentiam spectantia, meruit sibi, in quantum viator.

4. Insuper, Christus aliis meruit. Habuit namque gratiam, non tantum singularis personæ vel particularem, sed universalem ac plenam, et sicut totius Ecclesiæ caput : et sic gratiam et merita effundit
B atque communicat membris suis.

ARTICULUS XXIX.

1. *Utrum Christus sit Patri subjectus.*
2. *An etiam sibi ipsi.*

1. HABET proinde in Christo natura humana triplicem subjectionem respectu divinæ naturæ. Primam, secundum bonitatem : divinitas enim substantialiter bona est, humanitas participative; secun- Quæstio 20.
C dam, quantum ad servitutem, prout divinæ dispositionis potestati subjacuit; tertiam, quoad voluntatem, quia per omnia Patri obediens fuit. Propter has ergo subjectiones dicitur Pater Filio major, et Filius Patri subjectus. Tales tamen propositiones semper intelligendæ sunt cum quadam determinatione, et non simpliciter (quemadmodum dictum est de hac propositione, Christus est creatura), videlicet, ut referatur subjectio ad naturam humanam.

2. Denique Filius se ipso major vocatur
D et sibi ipsi subjectus : non quod sit alia Verbi atque naturæ humanæ persona in Christo, ut dixit Nestorius; sed quia duarum naturarum una est increata, et dignior alia, quæ forma servi vocatur. Quoniam vero Christus est nomen personæ æternæ et increatæ : idcirco simpliciter ei conveniunt quæ sibi ratione suæ personæ conveniunt; quæ autem propter naturam assumptam ei competunt, cum aliqua determinatione ipsi adscribenda sunt, ad vitandum errandi occasionem.

ARTICULUS XXX.

1. *An Christo conveniat orare.* 2. *An orare competat illi secundum suam sensualitatem.* 3. *Pro quibus orare illi conveniat.* 4. *An omnis ejus oratio fuerit exaudita.*

Quæstio 21. 1. ORATIO autem est explicatio propriæ voluntatis coram Deo, ut impleatur ab eo. Christus vero ut homo non erat omnipotens, sed a Deo virtutem et operationem accepit, præsertim supernaturalium operum, sicut ostensum est ante. Et ergo orare convenit Christo ratione voluntatis creatæ, in quantum est homo, quemadmodum Lucæ sexto dicitur : Exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. (Luc. vi, 12.)

2. Porro Christus non oravit secundum suam sensualitatem, quasi oratio ejus sit actus suæ sensualitatis. Sensualitas namque sensibilia non transcendit; oratio vero est ascensus mentis in Deum. Item, oratio ordinationem importat, prout aliquid ad Deum refert, optans illud ab eo impleri. C Ideoque oratio est actus rationis : rationis quippe est ordinare. Sed dicitur Christus secundum sensualitatem orasse, quia ratio tanquam sensualitatis advocata, orando expressit quod sensualitas affectavit : primo, ut ostenderet se veram humanam naturam cum omnibus suis naturalibus affectionibus assumpsisse; secundo, ut ostenderet nobis licere aliquid secundum naturalem affectum velle quod Deus non vult ; tertio, ut ostenderet hominem debere semper Deo propriam voluntatem subjicere. D

3. Præterea Christus oravit pro se, tam secundum voluntatem simplicem, quæ dicitur ut natura (ut quum oravit pro ablatione mortis, quam naturaliter horruit), quam secundum voluntatem deliberatam, quæ vocatur ut ratio (ut dum dixit : Pater, clarifica Filium tuum). (Joann. xvii, 1.) Gloriam enim corporis sui simpliciter desideravit.

4. Oratio quoque est voluntatis interpres et nuntia. Voluntas vero non dicitur A perfecta atque simpliciter humana, nisi sit ex deliberatione rationis. Nam voluntas simplex, quæ est ut natura, est potius quædam velleitas quam voluntas, quia per eam appetitur aliquid quasi conditionaliter, scilicet si aliud non obstaret. Christus autem secundum deliberatam voluntatem nihil voluit vel oravit, nisi quod Deo placere cognoverat. Quidquid ergo voluntas Christi humana simpliciter dicta seu deliberata volebat, impletum est. Et ergo ejus oratio fuit semper exaudita. Dicit B enim Apostolus de Christo ad Hebræos quinto : Cum clamore valido et lacrimis orationem offerens, exauditus est pro sua reverentia. (Hebr. v, 7.)

ARTICULUS XXXI.

1. *An Christus sit sacerdos.* 2. *An simul et hostia.* 3. *De effectu sacerdotii ejus.* 4. *Ad quos hic effectus pertineat.* 5. *De æternitate sacerdotii Christi.* 6. *Quomodo dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

1. AD sacerdotem vero pertinet divina tradere populo, atque populi preces Deo offerre, sicque inter Deum et populum mediatorem consistere. Hoc autem maxime convenit Christo. Et ergo pontifex noster et sacerdos vocatur, juxta illud ad Hebræos quarto : Habemus pontificem, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei. (Quæstio 22.) (Hebr. iv, 14.) Et quia sacerdos inter Deum et populum mediat, quod est angelorum officium ; ideo angelus appellatur, secundum illud Malachiæ secundo : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent, quia angelus Domini exercituum est. (Malach. ii, 7.) Christus vero, etiam ut homo, erat angelis major, propter unionem cum Verbo ; sed dicitur modico ab angelis minoratus, propter passibilitatem sui corporis. (Hebr. ii, 9.) Christus quoque propter omnium gratiarum plenitudinem dicitur rex, sacerdos, et legislator fidelium. Propter quod Isaiæ tricesimo tertio scriptum est : Dominus judex noster, Dominus legifer no- (Is. xxxiii, 22.)

ster, Dominus rex noster, ipse veniet et A salvabit nos.

2. Amplius, secundum Augustinum primo de Trinitate, omne visibile sacrificium, invisibilis sacrificii quo se spiritus Deo offert, est sacramentum, id est sacrum signum. Et ideo omne quod ad hoc Deo exhibetur, ut spiritus hominis dirigatur ad Deum, dici potest sacrificium. Indiget itaque homo sacrificio propter tria : Primo, propter remissionem peccati. Secundo, ut conservetur in bono : pro quo in veteri lege offerebatur pacifica B hostia. Tertio, propter perfectam unionem cum Deo, quod erit in gloria : unde in veteri lege offerebatur holocaustum, quasi totum incensum. Quoniam igitur per Christi humanitatem peccatorum remissionem, et conservationem in bono, consummatam quoque unionem cum Deo sortimur atque acquirimus ; ideo Christus ut homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, id est hostia pro peccato, hostia pacificorum, et holocaustum : et hoc, secundum quod ejus occisio re- C fertur ad propriam suam voluntatem, non autem ad voluntatem occidentium ipsum.

3. At vero in peccato sunt duo, videlicet : macula culpæ, quæ deletur per gratiæ infusionem ; et reatus pœnæ, qui removetur per satisfactionem. Per passionem autem Christi gratia nobis præstatur, qua ad Deum convertimur. Ipse quoque pro *Is.* LIII, 4. nobis satisfecit, quoniam languores nostros tulit, et dolores nostros portavit. Idcirco sacerdotium Christi plenam vim habet expiandi peccata. Unde effectus sa- D cerdotii Christi est expiare peccata.

4. Præterea sacerdos inter Deum et populum mediator consistit. Ille vero mediatore eget, qui per se ipsum accedere non potest. Christus autem ut homo, per *Hebr.* VII, 25. se ipsum accedit ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis, secundum Apostolum ad Hebræos septimo. Et ergo effectus sacerdotii Christi non est nisi respectu aliorum, et non ad se ipsum (ipse enim peccatum non habuit, nec adjutore egebat) : nisi forte quoad impassibilitatem sui corporis, quam sibi ipsi sua passione promeruit : non tamen prout passio erat satisfactiva ; sed prout ex propria voluntate, Patri obediendo, mortem susti- *Philipp.* II, 8, 9. nuit : ideo enim Deus exaltavit eum.

5. Præterea in sacerdotis officio duo considerantur, videlicet : oblatio ; et sacrificii consummatio, per quam illi pro quibus sacrificium offertur, effectum sacrificii consequuntur. Christus autem passus est pro nobis propter bona futura, cœlestia atque æterna : et ob hanc rationem dicitur sacerdotium ejus æternum. *Ps.* CIX, 4.

6. Denique sacerdotium Christi legale sacerdotium in multis excellit, quia peccata aufert et æternaliter manet. Et hoc significatum est per sacerdotium Melchi- *Hebr.* VII. sedech, qui decimas sumpsit ab Abraham : in cujus Abrahæ lumbis quodammodo decimatus est sacerdos legalis. Unde sacerdotium Christi dicitur secundum ordinem Melchisedech, propter eminentiam *Ps.* CIX, 4. veri sacrificii quoad sacrificium legis. Sciendum tamen, quod in sacerdotio Christi duo pensantur, scilicet ipsa oblatio, et oblationis effectus. Quantum ad primum, sic sacerdotium Leviticum expressius significavit sacerdotium Christi quam sacerdotium Melchisedech, propter sanguinis effusionem in lege. Sed quantum ad effectum oblationis Christi, qui est unitas Ecclesiæ, sic sacerdotium Melchisedech expressius significavit sacerdotium Christi. Obtulit namque panem et vinum, per quæ unitas designatur Ecclesiæ, quam Christus collegit. Et ergo sub speciebus panis et vini sacrificium Christi frequentatur. Dicitur autem Melchisedech sine patre et *Hebr.* VII, 3. matre, neque initium dierum neque finem vitæ habens, quoniam ejus genealogiæ initium et finis in Scriptura sacra non legitur.

ARTICULUS XXXII.

1. *An Deo competat filios adoptare.* 2. *An soli Patri hoc competat.* 3. *An homini pro-*

prium sit adoptari a Deo. 4. Utrum Christus dici possit filius adoptivus.

Quæstio 23. 1. QUEMADMODUM denique homo dicitur aliquem adoptare in filium, eo quod ad suam hereditatem eum admittit; sic dicitur Deus hominem adoptare in filium, in quantum ex sua bonitate ad æternæ beatitudinis participationem eum admittit. Sed in hoc præminet adoptatio Dei, quoniam eum quem adoptat ad prædictam participationem idoneum efficit. Homo autem eum quem adoptat non agit idoneum ad adoptationem, sed eum qui jam idoneus est, adoptat. Et sicut per creationem communicatur bonitas Dei omnibus rebus secundum quamdam similitudinem; ita per adoptationem divinam communicatur hominibus similitudo filiationis naturalis, quemadmodum ad Romanos octavo habetur : Quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui. (*Rom.* VIII, 29.)

2. Porro filius naturalis et adoptivus differunt, quod filius naturalis non est creatus vel factus, sed genitus; sed filius adoptivus est factus, non genitus, nisi spirituali generatione, quæ est gratuita, non naturalis. Quum ergo creare seu facere, commune sit toti Trinitati; adoptare, non solum competit Deo Patri, sed toti superbeatissimæ Trinitati, cujus opera ad extra sunt indivisa.

3. Amplius, filiatio adoptiva similitudo est filiationis naturalis. Filius autem Dei est Verbum Patris. Verbo autem intellectuali assimilari potest aliquid tripliciter. Primo, secundum rationem formæ, et non secundum intelligibilitatem : quemadmodum forma domus exterius factæ similatur formæ domus in mente artificis, secundum speciem, et non secundum intelligibilitatem : nam forma domus materialis non est secundum se intelligibilis. Et hoc modo omnis creatura assimilatur Verbo Dei, quia per ipsum est facta. Secundo, assimilatur aliquid Verbo secundum rationem formæ et intellectualitatis : ut scientia discipuli verbo scientiæ magistri. A Et sic creatura rationalis secundum suam naturam assimilatur Verbo Dei. Tertio, assimilatur creatura Verbo æterno secundum unitatem quam habet cum Patre, quæ fit per caritatem ac gratiam. Talis quoque assimilatio complet rationem adoptionis : sic enim Deo assimilatis debetur æterna hereditas. Ideo adoptari soli intellectuali competit creaturæ : et non omni, sed caritatem habenti.

4. Insuper, sicut in Christo est una dumtaxat hypostasis, ita et una filiatio : B filiatio namque concernit personam. Quum ergo sit Christus filius naturalis, nullo modo dicendus est filius adoptivus. Unde quum ait Hilarius, quod Christi humanitas adoptatur, sumitur adoptari pro uniri. Similiter, quod dicit Augustinus in libro de Prædestinatione Sanctorum : Eadem gratia ille homo est Christus, qua alii facti sunt Christiani : intelligendum est quantum ad principium gratiæ, scilicet quia sine meritis ille homo est Christus Dei Filius, sicut alii Christiani. Gratia au- C tem habitualis Christi non facit eum filium adoptivum; sed est effectus filiationis naturalis in anima Christi. Quamvis ergo Christus secundum quod homo dicitur servus, non tamen filius adoptivus : quoniam servitus atque subjectio pertinent tam ad naturam quam ad personam; filiatio autem personam tantummodo respicit.

ARTICULUS XXXIII.

D 1. *An Christus sit prædestinatus. 2. An sit prædestinatus secundum quod homo. 3. An prædestinatio Christi sit exemplar et causa nostræ prædestinationis.*

1. PRÆDESTINATIO demum est æterna Dei præordinatio eorum quæ per gratiam fiunt in tempore. Est autem per gratiam unionis in tempore factum, ut homo esset Deus, Deusque homo. Unio ergo duarum naturarum in Christo, sub prædestinatione cadit. Et ideo Christus di- Quæstio 24.

citur esse prædestinatus, juxta illud Apo- A
Rom. I, 4. stoli ad Romanos primo : Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Quidam vero intellexerunt hanc prædestinationem esse ad naturam humanam referendam. Sed hoc improprie dictum est. Nam prædestinatio ad suppositum pertinet. Natura quoque humana dici non potest Filius Dei, qui secundum Apostolum, dicitur prædestinatus. Aptius ergo asseritur, quod Filius Dei sit prædestinatus, non prout in divina, sed prout in humana subsistit natura.

2. Ex quo elucescit hanc esse veram : Christus secundum quod homo, est prædestinatus Filius Dei in virtute. Duo enim considerantur in prædestinatione, videlicet : actus prædestinantis, qui antecessionem includit; et effectus temporalis ipsius prædestinationis, qui est aliquod donum gratuitum. Propter utrumque autem istorum Christus secundum quod homo, dicitur prædestinatus. Nam natura humana non semper exstitit divinæ unita ; sed unio hæc per gratiam in tempore facta est.

3. Insuper, prædestinatio Christi non est exemplar vel causa nostræ prædestinationis, quoad actum prædestinantis (ille enim actus est idem quod Deus, et uno actu Deus Christum et nos prædestinavit) ; sed quoad effectum vel terminum prædestinationis. Christus enim prædestinatus est ut sit filius naturalis ; nos vero prædestinamur ut simus filii adoptivi. Filiatio autem naturalis exemplar et causa est prædestinationis nostræ. Item,
Joann. I, 16. quia de plenitudine gratiæ Christi omnes accepimus, et per eum effectum prædestinationis a Deo sortimur, videlicet gratiam et gloriam. Unde in libro de Prædestinatione Sanctorum asserit Augustinus : Est præclarissimum lumen præde-
I *Tim.* II, 5. stinationis et gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Deus enim præordinavit ab æterno nostram salutem reparari per Jesum Christum.

ARTICULUS XXXIV.

1. *An una et eadem adoratione sit adoranda Christi divinitas atque humanitas.* 2. *An adoratio latriæ sit exhibenda carni Christi,* 3. *imagini ejus,* 4. *cruci ejus,* 5. *et Matri.* 6. *De adoratione reliquiarum Sanctorum.*

1. DUO quoque possunt attendi in eo qui honoratur, videlicet ipsum totum subsistens, et ea quæ in ipso sunt. Quæstio 25.
B Honor autem non impenditur proprie et per se, nisi toti subsistenti. Nam si pars alicujus, scilicet manus aut pes, honoretur, hoc non est propter se, sed prout est aliquid totius : et sic totum honoratur in parte. Causa autem honoris est excellentia honorati. Si ergo in una persona sint plures excellentiæ, utpote virtus, scientia atque prælatio, erunt plures honorationes unius, secundum ordinem ad causas honorationis; sed ex parte personæ quæ honoratur, erit honoratio una. Itaque una
C est adoratio, qua totus Christus adoratur, propter unitatem personæ; sed possunt dici plures adorationes, secundum causas honorandi diversas, scilicet propter sapientiam increatam, et creatam, et gratiam, etc.

2. Quoniam igitur adoratio non competit proprie nisi subsistenti, humanitas Christi seorsum proprie non dicitur adoranda; sed tantum eo modo quo adorari potest : respondendum, quod adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Primo,
D ut adoratio ejus sit illius cujus est ipsa, scilicet Verbi : et sic debetur ei adoratio latriæ. Sic enim adorare Christi humanitatem, aliud non est nisi adorare Verbum incarnatum : quemadmodum adorare vestem regis, est adorare regem vestitum. Secundo, potest adoratio humanitatis Christi intelligi, quod sit ratione ipsius humanitatis omni gratia plenæ : et sic debetur ei adoratio duliæ. Christo ergo duplex adoratio fieri potest, scilicet : latriæ, ratione naturæ divinæ; et duliæ, propter

naturam humanam. Nec hoc est inconveniens, A quia et Deo Patri competit adoratio latriæ ratione creationis, et adoratio duliæ ratione dominationis et gubernationis, secundum Glossam super illud Psalmi :
Ps. VII, 2. Domine, Deus meus, in te speravi. Unde Damascenus tertio libro dicit : Adoratur autem caro Christi in incarnato Dei Verbo, non propter se ipsam, sed propter unitum secundum hypostasim Verbum.

3. Præterea, secundum Philosophum in libro de Memoria et reminiscentia, duplex est motus in imaginem. Unus, prout imago B est res quædam : et iste est alius a motu qui fertur in id cujus est imago. Alius, prout imago est figura alterius : sicque unus est motus in ipsam imaginem, et rem cujus est imago. Imago ergo Christi primo modo non adoratur, prout est res quædam sculpta vel picta. Reverentia enim non debetur nisi rationali creaturæ, quæ est subjectum virtutis. Sed secundo modo adoratur adoratione latriæ, sicut et Christus : imo, sic utriusque est una adoratio. Et quamvis in Scriptura no- C væ legis non sit hic ritus adorandi Christum descriptus, Apostoli tamen instituerunt hunc cultum et servandum sanxerunt. Nam secundæ ad Thessalonicenses
II Thess. II, 14. secundo dicitur : Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam. Unde et S. Lucas depinxisse fertur Christi imaginem, quæ Romæ habetur.

4. Amplius, reverentia propter duas rationes impenditur irrationali creaturæ : vel, quia rationalem naturam repræsen- D tat, ut imago vel statua regis; vel, quia ei aliquo modo conjungitur, ut purpura Cæsaris. Crux ergo in qua Christus suspensus est, propter ambas causas adoratur. Et non solum crux, sed et alia quæ sunt Christi, et clavi, lancea, vestes, propter contactum corporis sui adorantur hoc modo, secundum Damascenum quarto libro. Non tamen adoramus imaginem horum sicut imaginem crucis, quia crux per se repræsentativa est Christi, non ista. — Verumtamen adoratio duliæ quæ humanitati Christi debetur, singularis est atque excellens, et hyperdulia nominatur.

5. Pariformiter Matri Christi, quum sit pura creatura, non exhibetur adoratio latriæ, sed duliæ : non qualiscumque, sed excellentis, quæ hyperdulia dicitur, quum ipsa sit Mater Creatoris et virgo. Quamvis vero rationalis creatura sit Dei imago, nullatenus tamen adoranda est latriæ cultu, ad vitandum erroris occasionem : quia, scilicet secundum se ipsam est capax venerationis ; et ideo si adoraretur, esset occasio quod propter se ipsam sic honoraretur.

6. Porro, Sanctorum reliquias adorare debemus cultu duliæ, propter amorem eorum et honorem Dei, qui eas honorat per multa miracula.

ARTICULUS XXXV.

1. *An Christo sit proprium esse mediatorem Dei et hominum.* 2. *An hoc ei conveniat ratione naturæ humanæ.*

1. OFFICIUM vero mediatoris est eos conjungere inter quos mediat : extrema enim uniuntur in medio. Quum ergo sit Christus perfectus et summus reconciliator, redemptor, et satisfactor generis humani, patet quod ipse solus est simpliciter mediator Dei et hominum ; alii vero, secundum quid, in quantum cooperantur ad aliquorum salutem. Quæstio 26.

2. Denique in mediatore duo pensanda sunt, scilicet : ratio medii, per hoc quod distat ab utroque extremo ; et officium conjungendi, per hoc quod ea quæ unius sunt, defert ad alium. Christus autem secundum divinam naturam non distat a Patre et Spiritu Sancto ; sed nec defert nostra ad Patrem, in quantum est Deus. Et ergo esse mediatorem quantum ad utrumque, competit Christo propter naturam humanam. Per hanc enim distat a Deo, et interpellat pro nobis.

ARTICULUS XXXVI.

1. *De sanctificatione Matris Christi.* 2. *An habuerit gratiæ plenitudinem.* 3. *De his qui in utero sanctificati sunt.*

Quæstio 27. 1. DE sanctificatione autem Virginis gloriosæ, jam determinavit Ecclesia ac credit, quod ab originali peccato in conceptione præservata fuit[1]. Insuper ab omni actuali peccato immaculata permansit. Decuit enim Beatissimam illam, omni carere macula culpæ, quæ fontem sanctitatis Dei Filium, Deum verum, concipere, gignere, et sua carne vestire ac alere, erat divinitus præelecta. Unde Augustinus in libro de Natura et gratia dicit de sancta Maria : Propter Christi honorem nullam volo habere mentionem quum agitur de peccatis. Chrysostomus tamen videtur adscribere benedictissimæ Virgini aliquam venialem culpam; sed in hoc ipse excessit.

2. Denique, quo aliquid est alicui primo atque perfecto propinquius, eo est ei similius, et perfectius bonitatem illius participat. Christus autem, in quantum est Deus, est omnium gratiarum origo auctoritative, et secundum quod homo, instrumentaliter. Mater ergo ejus sacratissima ei simillima est, atque plenissime gratiarum perfectionem ab ipso præ ceteris est adepta. Imo dubitandum non est, quin et gratias gratis datas et dona eminentissime habuit, scilicet donum sapientiæ, gratiam virtutum et prophetiæ : quamvis non sit usa actibus omnium quas habuit gratiarum atque donorum, sicut nec Christus : non enim Christus omnibus linguis prædicavit.

3. Insuper, non solum divinissima Virgo, sed Jeremias quoque, et Joannes Baptista, in utero sanctificati fuerunt : quod de aliis nullis credendum est. Privilegia enim specialia gratiæ dantur ad utilitatem communem et plurium. Sed utilitas nulla eveniret, si gratia præstita occulta maneret. Et ergo de his non est credendum quod

A sint sanctificati in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit : quamvis de incomparabili Virgine dubium nullum sit, quin multo eminentius repleta sit gratia in utero matris præ aliis.

ARTICULUS XXXVII.

1. *An Mater Christi fuerit virgo in conceptu.* 2. *An in partu.* 3. *An post partum.* 4. *Utrum virginitatis votum emiserit.*

B 1. BEATA porro Genitrix sine viri contagione concepit. Decuit enim Filium Dei naturalem non habere genitorem, nisi Deum; et Christum, qui venit peccata auferre atque corrupta reparare, condecebat sine corruptione et cum omni munditia concipi. Unde patet hæresis Ebionis et Photini, dicentium Christum ex viro et femina natum. Quæstio 28.

2. Propter eamdem etiam rationem, Christi Genitrix in partu virgo, id est illæsa et integra, remansit, utero clauso maC nente. Unde quod Ambrosius super Lucam de Christo ait, quod aperuit matris suæ uterum, non designat reserationem claustri virginei pudoris, sed exitum divinæ adorandæque prolis ex inviolati hospitio ventris.

3. Insuper, Deifera atque Christifera Genitrix post partum virgo permansit. Decuit enim, ut sicut Christus est unicus Filius Dei Patris, ita consisteret unicus Filius Virginis Matris. Item, uterum Spiritui Sancto consecratum et ab eo imprægnatum, D non decuit violari vel tangi a viro.

4. Porro opera perfectionis ex voto eminentiora redduntur. Quum ergo Maria omni virtute claruerit, sequitur quod nedum virgo fuit, sed quod virginitatem promisit. Unde Augustinus in libro de Sancta virginitate testatur : Sed quia in veteri lege damnabatur sterilitas, non est credendum quod virginitatem spoponderit absolute, quamvis eam in desiderio habuit, nisi

[1] Sic habet editio princeps (Coloniæ 1535-36). Cf. *In 3um Sentent., dist. 3, quæst. 1.*

postquam desponsata est Joseph : quo facto, ipsa simul cum sponso suo virginitatem promisit, pari atque communi consensu. Nam et Joseph, secundum Hieronymum in libro contra Helvidium, virgo permansit. Fratres vero Christi de quibus Evangelium loquitur, consobrini ejus fuerunt. Quatuor quippe modis in Scriptura fratres dicuntur : natura, gente, cognatione, affectu.

ARTICULUS XXXVIII.

1. *An Christus debuerit nasci de matre desponsata.* 2. *Utrum inter Mariam et Joseph matrimonium verum fuerit.*

QUÆSTIO 29. 1. BENE insuper decuit Christum de Virgine et desponsata generari : primo, propter ipsum Christum, ne scilicet tanquam illegitime natus ab incredulis abjiceretur; secundo, ut ejus generatio solito modo Scripturæ per viros texeretur; tertio, ut ejus adventus lateret diabolum, secundum Ignatium; quarto, ut haberet
Jer. XIV, 8. nutricium, qui pauper et tanquam colonus venire elegit. Item, ex parte Matris hoc decuit : primo, ne velut adultera lapidaretur; secundo, ne diffamaretur; tertio, ut ei vir deserviret. Item, ex parte nostri : nam per testimonium Joseph certior facta est virginitas sanctæ Matris; secundo, per hoc designatur Ecclesia, quæ est virgo desponsata Christo. Potuit autem diabolus, si permissus a Deo fuisset, per suam naturalem industriam cognovisse quod Mater Christi exstitit virgo; sed non erat permissus experiri hoc ipsum.

2. Denique duplex ponitur perfectio matrimonii, scilicet : prima, consistens in indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum semper tenetur alteri fidem servare. Et hæc est matrimonii forma. Et quantum ad hanc perfectionem, perfectum et verum erat matrimonium Mariæ et Joseph. Perfectio autem secunda matrimonii est proles generanda et educanda. Et quoad hoc prædictum matrimonium non fuit consummatum et plenum, nisi quantum ad prolis educationem.

ARTICULUS XXXIX.

1. *De annuntiatione Mariæ.* 2. *De nuntio.* 3. *Ordo annuntiationis.*

1. ERAT quoque conveniens Christi conceptionem nuntiari Virgini prælectæ : quatenus mens ejus Deo primo conjungeretur, sicque eum carne conciperet. Propter quod libro de Sancta virginitate dicit Augustinus : Beatior est Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi : Christi nam materna propinquitas nihil ei profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset. Secundo, ut ipsa esset certior testis de incarnatione Filii Dei ex annuntiatione angelica. Tertio, ut se paratam spontaneamque præberet ad opus divinum. Quarto, ut ostenderetur esse spirituale matrimonium inter Filium Dei atque humanam naturam : et ergo a Virgine exigebatur consensus loco totius humanæ naturæ. QUÆSTIO 30.

2. Insuper, annuntiatio ista per angelum facta est. Divina enim deferuntur ad homines per ministerium angelorum. Virginibus quoque cum angelis singularis convenientia est : angelis enim semper cognata virginitas est. Rursus, sicut per dæmonem deceptus est homo, sic per angelum salus atque redemptio ejus debuit inchoari. Missus est ergo ad Mariam Gabriel, qui de ordine Archangelorum consistit. Estque probabile, quod in ordine suo sit summus. Quidam vero opinati sunt ipsum esse summum omnium supernorum spirituum. Denique angelus in forma sensibili Mariæ apparuit, tum ad certificandum Mariam, tum quia invisibilis Verbi incarnationem venerat nuntiare.

3. Angelus quoque convenienti ordine Virginem allocutus est. Primo enim, fecit eam attentam per inconsuetam salutationem; secundo, instruxit eam de modo effectus; tertio, induxit eam ad consensum. Augustinus autem in libro Quæstionum veteris et novi Testamenti, videtur asserere quod virgo Maria dubitavit, quum di-

Luc. I, 34. xit, Quomodo fiet istud? Sed illa non erat A dubitatio incredulitatis, sed potius admirationis. Nihil enim mirabilius est animo humili, quam auditus suæ excellentiæ. Et secundum Ambrosium, ipsa non dubitavit.

ARTICULUS XL.

1. *An caro Christi fuerit sumpta ex Adam, Abraham et David.* 2. *De genealogia Christi.* 3. *Cur de femina nasci elegerit.*

QUÆSTIO 31. 1. QUONIAM Christus venit redimere B naturam humanam primi parentis peccato infectam, conveniens fuit ut ex materia ab Adam derivata carnem assumeret. Ostensum est autem quomodo Christus dicitur fuisse in Adam secundum corpulentam substantiam, scilicet quia ab ipso originata est caro ejus; et non secundum rationem seminalem, quia non erat ex virili semine conceptus, neque formatus. — Specialiter quoque dicitur Christus filius David et Abrahæ, quia ad hos duos specialiter facta est promissio de Christo. C Secundo : nam Christus est sacerdos, propheta, et rex. Abraham vero sacerdos fuit atque propheta. Dicit enim Dominus ad
Gen. XV, 9. eum in Genesi : Sume tibi vaccam trien-
Ibid. XX, 7. nem, etc.; et iterum, Propheta est et orabit pro te. David autem propheta fuit et rex. Tertio, quia in Abraham circumcisio est incepta; in David vero electio Dei maxime est manifestata. Et ex horum semine natus est Christus, qui est in salutem circumcisioni Judæorum et electioni gentilium. Virgo autem Maria, secundum Grego- D rium Nazianzenum, ex regali et sacerdotali fuit genere.

2. Porro Lucas asserit Joseph filium Heli, Matthæus vero filium Jacob : nam Joseph erat filius Jacob secundum generationem atque naturam; erat quoque filius Heli fratris Jacob secundum legem et adoptionem quamdam. Quamvis autem Damascenus affirmat Mariam consanguineam fuisse S. Joseph, secundum illam originem qua dicitur Joseph filius Heli, quoniam dicit eam ex Melchi exortam; credendum est tamen, quod etiam ex Salomone originem duxerit, secundum aliquem modum, per illos patres quos Matthæus enumerat, qui carnalem Christi generationem describit : præsertim quum dicat Ambrosius Christum de semine Jechoniæ prodisse. De his autem dubitationibus quæ genealogiam Christi concernunt, S. Thomas in tertia parte, quæstione 31, eleganter locutus est.

3. Decuit vero Christum accipere materiam corporis humani ex femina, quia secundum Augustinum, liberatio hominis in utroque debuit sexu apparere. Oportuit (id est decuit) autem naturam in sexu masculino assumi, propter excellentiam sexus. Et ergo, ut in femineo quoque sexu liberatio ista pateret, oportuit Christum nasci ex femina; item, ad insinuandum veritatem generationis humanæ in Christo.

ARTICULUS XLI.

1. *An Christi corpus sit de purissimis sanguinibus Mariæ formatum.* 2. *An caro Christi fuerit in antiquis patribus secundum aliquid signatum.* 3. *An fuerit in eis peccato obnoxia.* 4. *An fuerit decimata in lumbis Abrahæ.*

1. ADVERTENDUM præterea, quod sicut in Christi generatione supernaturale fuit, quia virgo concepit et peperit; sic naturale erat, quod mater proli materiam ministravit. Mater enim, secundum Philosophum, præbet materiam in generatione fetus. Materia vero corporis humani est sanguis mulieris, ad ampliorem digestionem per virtutem generativam matris perductus. Et ergo ex tali materia Christus est genitus. Unde Damascenus tertio libro ait : Filius Dei construxit sibi ex puris et castissimis sanguinibus sanctæ Virginis carnem animatam anima rationali. In generatione itaque Christi ex Virgine non erat semen vel menstruus sanguis : quia nec illa necessario requiruntur ad generationem, secundum Philosophum.

2. Porro sanguis non est actu caro, sed potentia. Quum ergo sit corpus Christi ex sanguine Virginis sumptum, non potest dici quod corpus Christi fuerit in Adam vel aliis patribus secundum aliquid signatum, videlicet, ita quod de aliqua parte signata quæ fuit in illis, verum sit dicere quod ex ea formatum sit corpus Christi. Nam quidquid in Virgine Matre ex parentibus acceptum exstiterat, erat actu pars ejus. Et ergo Christi corpus fuit in Adam et patribus secundum originem, sicut et ceteri. Unde Augustinus decimo super Genesim ad litteram dicit : Quocumque modo Christus fuit in Adam et Abraham, alii homines ibi fuerunt ; sed alii non fuerunt ibi secundum aliquid signatum. Christus igitur fuit in Adam secundum corpulentam substantiam, non materialiter, sed effective, sive secundum originem.

3. Denique, quoniam Christus in Adam non fuit omnino eodem modo ut ceteri, ideo Christus non peccavit in Adam, nec caro ejus peccato erat infecta. Item, non est opinandum quod aliqua pars materiæ corporis fuerit in Adam et patribus, non tamen peccato obnoxia, et de illa formatum sit corpus Christi, ut aliqui putant. Tota enim caro per concupiscentiam propagatur : et ergo tota inficitur. Hoc quoque patet ex eo quod Christus non fuit in patribus secundum aliquid signatum.

4. Adhuc autem, secundum intentionem Apostoli, Christus non est decimatus in
Hebr. VII, *4 et seq.* lumbis Abrahæ, quemadmodum Levi pronepos Abrahæ. Christi enim sacerdotium dignius est sacerdotio Levitico, et secundum ordinem Melchisedech appellatur. Sed Apostolus probat sacerdotium Melchisedech præcellere sacerdotio Levi per hoc quod Abraham decimas dedit Melchisedech, Levi exsistente in lumbis Abrahæ avi sui. Qui enim decimas dat, se ipsum imperfectum fatetur, et perfectionem alii tribuit : nam novem, quæ sunt numerus impar, reservat ; et decimum, quod est signum perfectionis numerorumque terminus, alii præstat. Imperfectio vero hominum est propter peccatum, cujus curatio fit per Christum. Melchisedech autem Christi figuram tenebat, secundum Apostolum ad Hebræos septimo. *Hebr.* VII, 15-17. Per hoc ergo quod Abraham decimas dedit Melchisedech, figuravit se, omnesque nascituros ex semine suo, curatione indigere, qui in originali peccato concipiuntur, videlicet, qui in Abraham fuerunt secundum corpulentam substantiam seminalemque rationem. Sic autem Christus in eo non fuit ; sed Levi et alii patres. Unde et ipsi in Abraham decimati dicuntur, id est præfigurati indigere illa curatione quæ fit per Christum ; sed Christus fuit in Abraham non quasi indigens curatione, sed tanquam vulneris medicina.

A B C D

ARTICULUS XLII.

1. *Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum in conceptione Christi.* 2. *An Christus sit de Spiritu Sancto conceptus.* 3. *An Spiritus Sanctus possit dici pater Christi secundum carnem.* 4. *An Virgo Mater aliquid active egerit in Christi conceptione.*

1. RATIONABILITER quoque fertur Spiritus Sanctus auctor et causa conceptionis Christi : quamvis tota Trinitas, cujus indivisa sunt opera, operata sit eam. Christi enim incarnatio ex divina dilectione processit per solam gratiam sine meritis : Spiritus Sanctus autem est amor Patris et Filii, et dator gratiæ præveniens merita. Quæstio 32.

2. Propter hoc ergo Christus conceptus dicitur de Spiritu Sancto, referendo efficientiam Spiritus Sancti ad corpus assumptum. Non tamen tenetur hæc præpositio, *de*, proprie. Proprie enim dicitur aliquid de alio, quia est de substantia ejus ; sed ex alio dicitur aliquid, quia producitur ab ipso.

3. Amplius, quamvis ceteri homines dicantur filii Dei propter similitudinem naturæ vel gratiæ ; Christus tamen in quan-

tum homo, non dicitur filius Spiritus Sancti, quamvis omni gratia ejus repletus sit. Nomen enim quod de aliquo dicitur secundum rationem suam perfectam, non dicitur de eodem secundum rationem imperfectam : sicut homo, quia de Petro dicitur secundum propriam suam rationem, non prædicatur de eo secundum quod homo depictus dicitur homo. Christus vero dicitur Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, utpote ejusdem naturæ cum Patre exsistens. Non ergo dicitur Filius Dei vel Spiritus Sancti secundum rationem filiationis incompletam, videlicet prout est creatus vel justificatus. Spiritus Sanctus quoque non est pater Christi secundum perfectam rationem patris. Pater namque vocatur qui de sua substantia gignit similem sibi in natura. Christus autem ut homo, non est ejusdem naturæ cum Spiritu Sancto, et secundum quod Deus, non est de Spiritu Sancto, sed Spiritus Sanctus de eo. Patet itaque, quod Spiritus Sanctus nullo modo dicendus sit pater Christi.

4. At vero Virgo Mater in conceptione Christi nihil active peregit; sed ministravit materiam, quam Spiritus Sanctus formavit. Mater enim in generatione se habet per modum patientis, et pater per modum agentis; sed in conceptione Christi Spiritus Sanctus supplevit vicem patris et seminis. Quidam tamen oppositum æstimant.

ARTICULUS XLIII.

1. *Utrum corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum.* 2. *An animatum.* 3. *An assumptum.* 4. *An illa conceptio fuerit miraculosa.*

Quæstio 33. 1. TRIA proinde in conceptione corporis attenduntur, videlicet motus localis sanguinis ad locum generationis, formatio corporis ex tali materia, et corporis formati augmentum. Conceptio autem in formatione consistit : et ista formatio in Christi conceptione erat in instanti,

A propter infinitam virtutem Spiritus Sancti, et propter excellentiam Verbi, quod non decebat assumere corpus imperfectum. Sed primum et tertium erant in tempore : motus enim localis successivus est et temporalis.

2. Præterea in eodem instanti quo corpus Christi formatum sive conceptum est, est etiam animatum anima rationali. Aliter illa conceptio non posset attribui Filio Dei : non enim Verbum Dei assumpsit corpus nisi mediante (ut dictum est) anima. art. xi.

B 3. Oportet etiam confiteri, quod in eodem instanti quo corpus Christi animatum est, sit anima Christi et corpus simul a Verbo assumpta. Aliter natura humana in Christo habuisset ante assumptionem subsistentiam propriam : quam si sibi reservasset, non esset Christus verus Deus et verus homo in unitate personæ; si vero illam amisisset, corrupta fuisset.

4. Porro, secundum Ambrosium libro de Incarnatione, in hoc mysterio multa fuerunt secundum naturam, videlicet quæ C matrem concernunt : naturale enim erat ut femina conciperet, materiamque præberet. Sed considerando ea quæ ad virtutem activam hujus incarnationis spectant, totum est supernaturale : ut quod Spiritus Sanctus Virginem fecundam effecit, illæsam servavit, etc. Unumquodque vero potius judicandum est secundum agens et formam, quam secundum patiens atque materiam. Idcirco simpliciter dicenda est Christi conceptio miraculosa fuisse, quamvis secundum aliquid fuerit na- D turalis.

ARTICULUS XLIV.

1. *An Christus in primo suæ conceptionis instanti fuerit sanctificatus per gratiam.* 2. *An habens usum liberi arbitrii.* 3. *Potens mereri.* 4. *An fuerit in illo instanti comprehensor.*

1. HABITUM insuper atque ostensum est, quod unio naturæ humanæ cum Verbo in persona, causa fuit gratiæ Quæstio 34.

sanctificantis animam Christi. Sicut igitur Christus in primo instanti suæ conceptionis maternæ exstitit Deus et homo; sic et in eodem instanti repletus est omni gratia habituali, animam ejus et corpus formaliter sanctificante.

2. Adhuc autem, quia naturam humanam cum omni sua naturali perfectione ornatam assumpsit, idcirco mox in primo instanti usum liberi arbitrii humani habebat. Liberum quippe arbitrium est facultas rationis et voluntatis. Intellectus autem seu ratio atque voluntas in Christo a primo conceptionis instanti perfectæ erant, non solum in habitu, sed etiam secundum actum completum, ut dictum est.

3. Ex istis demum colligitur, quod Christus in primo suæ conceptionis instanti meruerit. Habuit enim usum seu actum voluntatis ac liberi arbitrii plenissime gratia informatum atque ad Deum conversum.

4. Porro, quoniam Christus in primo suæ conceptionis instanti gratiam sine mensura accepit, imo nec in gratia profecit, sed semper plenissimam habuit: sequitur, quod non tantam solum gratiam habuit, quantam comprehensores in patria, sed omnibus ampliorem atque perfectiorem. Propter quod perfectus comprehensor exstitit a conceptionis principio. Nam gloriam animæ non meruit, sed corporis, cujus immortalitatem et gloriam in primo instanti conceptionis promeruit, et etiam postea. Non enim inconveniens est idem sæpius promereri, et aliquid esse alicujus ex pluribus causis.

ARTICULUS XLV.

1. *An nativitas sit naturæ vel personæ.* 2. *An in Christo fuerint duæ nativitates.* 3. *Quod virgo Maria sit Mater Christi et Genitrix Dei.* 4. *An Christus sit Filius Dei et hominis secundum duas filiationes.* 5. *De modo*, 6. *loco*, 7. *et tempore nativitatis Christi.*

Quæstio 35. 1. NATIVITAS vero dupliciter alicui potest competere. Primo, sicut subjecto. Et sic, quum nasci sit idem quod

A generari, nativitas pertinet ad suppositum sive hypostasim: esse enim atque subsistere suppositis convenit. Secundo, sicut termino. Et sic nativitas est naturæ: nam terminus generationis et cujuslibet nativitatis est forma, ad quam intentio naturæ terminatur. Sed quia in Deo sunt idem in re, natura atque persona; idcirco quandoque natura pro persona ponitur, ut quum Augustinus dicit in libro de Fide ad Petrum: Natura divina et æterna non posset concipi et nasci, nisi secundum ve-

B ritatem naturæ humanæ.

2. Denique motus diversificatur et numeratur secundum terminos ad quos. Quum ergo nativitas sit via et velut motus ad naturam tanquam ad terminum, constat in Christo duas esse nativitates ponendas: unam æternam, per quam accepit a Patre naturam divinam; aliam temporalem, secundum quam a Matre Virgine sumpsit naturam humanam.

3. Ideoque Virgo benedicta, Mater Christi vera naturalisque est et fuit: nam

C vere ex ea natus exsistit, quia non corpus cœleste secum tulit, ut Valentinus confinxit, sed ex purissimis gloriosissimæ Puellæ sanguinibus carnem accepit et induit. — Insuper, juxta præinducta, nomen quod in concreto naturam significat, potest supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ: sicut hoc nomen, Homo, quia naturam humanam concretive significat, potest supponere pro Petro et Paulo, aliisque hominibus. Quum ergo Filius Dei sit hypostasis atque persona naturæ

D humanæ in Christo, potest hoc nomen, Deus, supponere pro illa hypostasi, id est Christo, seu Verbo ac Filio Dei. Et ergo ista est vera: Maria est Mater Dei, quum sit Mater Christi, qui est verus Deus et I Joann. 20.
vita æterna.

4. At vero filiatio concernit suppositum seu personam. In Christo autem non est nisi una persona, et hæc est æterna: propterea non est in Christo nisi una realis filiatio. Relatio vero qua Deus ad creaturam refertur, non est realis in Deo; sed

in creaturis est reale correlativum. Unde sicut Deus est realiter Dominus rerum creatarum, non per realem relationem in ipso exsistentem, sed propter realem relationem creaturarum ; sic Virgo sancta est realiter Mater Christi, non propter realem relationem in Christo ad eam, sed propter realem relationem ejus, utpote maternitatem ejus, ad eum : harum enim relationum una cointelligitur in alia. Quidam tamen ponunt duas filiationes in Christo, eo quod nativitas filiationis sit causa.

5. Adhuc autem, dolor parientium ex apertione meatuum contingit, per quos proles egreditur. Christus autem egressus est ex utero Virginis, ventre virgineo manente concluso. Non ergo Virgo Mater cum dolore peperit, sed cum ingenti lætitia,
xxxv, 2. juxta illud Isaiæ tricesimo quinto : Germinans germinabit sicut lilium, et exsultabit lætabunda et laudans. Nec erat in partu Virginis obstetrix aliqua, secundum Hieronymum in libro contra Helvidium ; sed ut Lucæ secundo habetur, ipsamet vir-
uc. II, 7. go Maria infantem Jesum pannis involvit, atque in præsepio reclinavit. Quæ sententia apocryphorum deliramenta convincit.

6. Amplius, quoniam sancto David de
eg. xxIII, Christo repromissio specialiter fuerat facta, idcirco Christus in Bethlehem Judæ,
cg. xvi, de qua natus est David, nasci elegit, quemadmodum Michææ quinto prædictum est :
h. v, 2. Et tu, Bethlehem Ephrata, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Item, Bethlehem interpretatur domus panis. Congruenter ergo in ea est natus, qui
ann. vi, 51. de se ipso testatur : Ego sum panis vi-
atth. II, vus. Quod autem scriptum est, Quoniam Nazaræus vocabitur, ex verbo Isaiæ un-
xi, 1. decimo acceptum est, ubi legitur : Flos de radice ejus ascendet. Nazaræus namque flos interpretatur. Noluit quoque Christus Romæ nasci, ne propter potentiam civium putaretur sibi mundum subjugasse ; nec filius voluit esse imperatoris, sed pauperculam matrem elegit, ut agno-

A scatur Divinitas orbem commutasse terrarum.

7. At vero Christus eo tempore voluit nasci, quo totus orbis descriptus est : quatenus ipse sua descriptione, qua suam subjectionem ac servitutem parentes ejus fatebantur, ipse nos cœlo adscriberet, et a vetusta servitute redemptos in libertatem filiorum reduceret. Item, quum ipse sit Princeps pacis, tunc natus est dum *Is.* IX, 6.
maxima in mundo concordia fuit. Unde Hieronymus super Isaiam dicit : Veteres
B recolamus historias, et inveniemus usque ad vicesimum octavum annum Augusti Cæsaris in toto orbe terrarum fuisse discordiam ; orto autem Christo, omnia bella cessabant : quemadmodum Isaiæ secundo fuerat prophetatum, Non levabit gens *Ibid.* II, 4.
contra gentem gladium.

ARTICULUS XLVI.

1. *An Christi nativitas debuerit manifestari omnibus, vel solum aliquibus.* 2. *Quibus manifestari debuerit.* 3. *Quomodo seu per quos.* 4. *De ordine quoque hujus manifestationis.* 5. *De stella.* 6. *De veneratione Magorum.*

1. CHRISTUS autem ideo venit, ut sua Quæstio 36.
passione mundum redimeret. Non ergo ejus nativitas omnibus manifestanda fuit. Si enim cognovissent, nunquam Do- I *Cor.* II, 8.
minum gloriæ crucifixissent, secundum Apostolum. Item, si omnibus patuisset, meritum fidei diminutum fuisset : fides *Rom.* x, 17;
D enim ex auditu est, atque de his quæ non *Hebr.* xi, 1.
apparent.

2. Denique hoc Deo solitum est, ut incerta et abdita suæ sapientiæ non statim omnibus, sed primo quibusdam revelet, et per illos eadem aliis quoque denuntiet. Christi ergo nativitas aliquibus manifestari debuerat, scilicet testibus præordinatis *Act.* x, 41.
a Deo. Quoniam vero Christi nativitas omnium salus fuit, idcirco omnium conditioni hominum manifestata fuit, videlicet : pastoribus, qui erant Judæi ; Magis, qui

erant gentiles; Simeoni et Annæ. Est autem credibile, quod non solum pastoribus et Magis indicia nativitatis Christi apparuerint, sed etiam aliis, et alibi. Nam Romæ fluxit oleum, et in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in unum coeuntes.

3. Insuper, non decebat ut Christus per se ipsum suam nativitatem manifestaret : hoc enim magis impedivisset fidem veræ *Hebr.* II, 17. humanitatis ejus, quam confirmasset. Debuit ergo fratribus per omnia assimilari, demptis defectu et vitio. Alia autem creata ejus nativitatem manifestando, ipsum esse Deum comprobarunt. — Porro, unusquisque illuminatur prout capax exsistit. Quum ergo Simeon et Anna illa filia Phanuel justi fuerint, igitur per interiorem Spiritus Sancti instinctum de Christo edocti sunt. Pastores vero, tanquam sensibilibus rebus occupati ac dediti, per angelos in sensibili forma apparentes instructi sunt. Sed Magis stella apparuit, quoniam magi et sapientes atque astrologi significationem stellarum potissime observabant. Item, pastoribus, tanquam fidelibus ac ratione utentibus, apparere debuit animal rationale, id est angelus; Magis vero, tanquam paganis, stella, id est res non vivens et muta. Refert vero Chrysostomus in apocryphis legi scripturis, quod gens quædam in extremis partibus orientis juxta Oceanum, scripturam habebat ex nomine Seth, de hac stella et offerendis muneribus. Hæc ergo gens diligenter observabat hujus stellæ exortum, positis duodecim exploratoribus in quodam monte, in quo postmodum stella apparuit, habens in se formam pueruli, crucem in humeris bajulantis. Alii asserunt, quod Magi isti secuti sunt *Num.* XXIV, 17. prophetam Balaam, qui dixit : Orietur stella ex Jacob. Sed secundum Augustinum, angelica admonitio facta est Magis.

4. Præterea rationabili ordine manifestata est Christi nativitas. Ipso enim die *Luc.* II, 8 *et seq.* quo facta est, pastoribus per angelos patuit. Secundo, apparuit Magis tertiodecimo die, eodem anno. Si enim venissent Magi

A anno secundo vel tertio, non invenissent Jesum in Bethlehem, quia ut Lucæ secundo habetur : Postquam perfecerunt omnia *Luc.* II, 39. secundum legem Moysis, Maria et Joseph, offerendo Jesum in templum, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Tertio autem, manifestata est justis in templo quadragesimo die. Cujus ratio est : nam per pastores signantur Apostoli, per Magos pagani, per justos Judæi in fine mundi convertendi. Apostoli autem primo de Christo edocti sunt, deinde gentiles per B eos, tertio erudientur Judæi in fine mundi. Chrysostomus demum super Matthæum, et Augustinus in sermone de Epiphania Domini, dicunt stellam Magis apparuisse per duos annos ante Christi nativitatem. Alii autem dicunt, quod ipso die nativitatis eis apparuit.

5. Porro stella quæ Magis apparuit, non erat stella cœlestis : movebatur enim a septentrione in meridiem; quandoque etiam stabat; sed et in die apparuit, et interdum occultata fuit. Aliqui autem dicunt, quod C Spiritus Sanctus apparuit in specie stellæ, sicut in forma columbæ in Christi bapti- *Ibid.* III, 22. smate. Nonnulli quoque affirmant, quod angelus qui pastoribus visus est, in specie stellæ Magis apparuit. Sed probabilius dicitur, quod erat stella de novo creata in aere, motum habens secundum Dei imperium. Quod vero Magi dixerunt, Vidimus *Matth.* II, 2. stellam ejus in oriente, non est intelligendum quod ipsis in oriente exsistentibus stella exstitit in Judæa. Dicitur enim Matthæi secundo, quod stella quam viderant *Ibid.* 9. D in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat Puer. Stella ergo in oriente fuit, et illic primo apparuit.

6. At vero Magi isti fidem gentium figurabant. Et ideo a Spiritu Sancto inducti sunt ad Christum inquirendum. Non enim qualemcumque regem, sed cœlestem atque salvantem quærebant. Unde dixerunt : Venimus adorare eum. Offerebant quoque *Ibid.* 2. munera Puero : aurum, ut regi; thus, ut *Ibid.* 11. Deo; myrrham, tanquam mortali.

ARTICULUS XLVII.

1. De Christi circumcisione. 2. De appellatione. 3. De oblatione. 4. De Matris ejus purgatione.

Quæstio 37. 1. MULTIS demum rationibus Christus circumcidi dignatus est : primo, ut se verum corpus habere ostenderet ; secundo, ut legis præceptum commendaret; tertio, ut se filium Abrahæ comprobaret; quarto, ut Judæis excusationem auferret de sua perfidia; quinto, ut obedientiæ virtutem ostenderet.

2. Denique, sicut nomina individuorum imponuntur ab aliqua proprietate eorum, videlicet ex parte loci, vel temporis, vel cognationis, vel eventus, vel dispositionis; sic nomina quæ hominibus divinitus imponuntur, designant donum gratuitum a Deo ipsis collatum : quemadmodum Abrahæ dictum est, Appellaberis Abraham, (Gen. XVII, 5.) quia patrem multarum gentium constitui te. Quoniam ergo Jesu Christo, prout homo est, divinitus datum est ut sit mundi salvator, convenienter vocatum est nomen ejus Jesus. Imponebantur vero nomina in veteri lege in ipso circumcisionis die, quoniam eodem die datum est Abrahæ circumcisionis præceptum et nomen impositum. Qui enim ante circumcisionem decesserunt, sine nomine erant, et quasi non fuisse reputabantur. Propter quod Salomon de se Proverbiorum quarto ait, Ego (Prov. IV, 3.) tenellus fui et unigenitus coram matre mea : quamvis fratrem uterinum priorem se habuit; sed ille ante nominis impositionem obierat.

3. Amplius, in Levitico præceptum fuit ut proles post dies purgationis offerretur (Lev. XII, 2 et seq.) in templo, cum hostia, quæ erat pro peccato in quo concepta fuerat proles, et etiam ad consecrationem aliquam prolis, quoniam tunc offerebatur in templo. Specialiter quoque de primogenitis jussum (Exod. XIII,) fuit ut primogenita Domino offerrentur. (Matth. V, 17.) Quia ergo Christus venit legem implere, (Galat. IV, 4, 5.) non solvere (factus enim ex muliere, factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret), voluit in templo præsentari, hostiamque pro se offerri, par (Luc. II, 24.) turturum, aut duos pullos columbarum. Quæ tamen erat oblatio pauperum : præceptum namque fuit Levitici duodecimo, (Lev. XII, 6.) ut qui possent, agnum offerrent.

4. Propter easdem autem rationes quibus Christus sine omni culpa exsistens, voluit circumcidi et pro se sacrificium fieri, etiam Genitrix ejus benedictissima atque purissima voluit purificari secundum legem, quamvis splendidissima illa maculam prorsus nesciret.

ARTICULUS XLVIII.

1. De baptismo Joannis. 2. Quod fuerit a Deo. 3. An contulerit gratiam. 4. An alii præter Christum ab ipso deberent baptizari. 5. De cessatione hujus baptismi. 6. Utrum baptizati baptismo Joannis rebaptizandi essent Baptismate Christi.

1. DECUIT vero Joannem baptizare : Quæstio 38. Primo, ut Christus baptismum ejus suscipiens, aquis vim abluendi peccata tribueret. Secundo, ut Joannes Christum hominibus ad se venientibus annuntiaret, quemadmodum ipse dicit : Ut manifesta- (Joann. I, 31.) retur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Tertio, ut homines ad Christi Baptismum assuefaceret. Quarto, ut pœnitentiæ baptismum prædicans, homines Christi Baptismo dignos efficeret.

2. Præterea iste baptismus Joannis fuit a Deo, quantum ad ritum baptizandi : nam familiari Spiritus Sancti instinctu Joannes hoc fecit. Sed ipse effectus baptismi erat a Deo per Joannem. Nihil enim ibi fiebat quod homo facere nequeat : nam solum corpus lavabatur. Et ergo vocabatur baptismus Joannis, non Dei. Non est autem datum Joanni facere aliquod signum, ne homines sibi principaliter tanquam Christo attenderent, et non solum ut præcursori.

3. Insuper, tota prædicatio et vita Joan-

nis erat dispositio ad Christum. Christus vero est gratiæ dator : nam gratia et veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur Joannis primo. *Joann.* I, 17. Baptismus ergo Joannis non præstitit gratiam, sed præparabat ad eam, quemadmodum ipse ait Matthæi tertio : Ego vos baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu Sancto. *Matth.* III, 11. Quod enim Christus sponsus perfecit, hoc ejus paranymphus Joannes incepit.

4. Elucescit autem ex his, quod non solum Christus, sed etiam alii baptizandi erant baptismo Joannis. Cujus aliam causam inducit Augustinus. Nam si solus Christus baptismum Joannis suscepisset, aliqui æstimassent baptismum Joannis digniorem fuisse Baptismate Christi.

5. Amplius, baptismus Joannis non statim cessavit Christo baptizato, sed postea, scilicet Joanne incarcerato : non enim statim cessavit, quia baptizando, plures ad Christum transmisit, eumque evidentius manifestavit.

6. Adhuc autem, secundum Magistrum distinctione 2 quarti Sententiarum, baptizati a Joanne qui ignorabant Spiritum Sanctum esse, et ponebant spem in Joannis baptismate, rebaptizandi erant Christi Baptismo. Sed illi qui spem in Joannis baptismate non ponebant, et Patrem ac Filium Sanctumque Spiritum esse credebant, rebaptizandi non erant ; sed per impositionem manuum Apostolorum, Spiritum Sanctum receperunt. — Hæc autem positio pro prima sui parte vera est, ut multæ auctoritates ostendunt. Quantum autem ad secundam partem suam, penitus irrationabilis est. Nam baptismus Joannis, neque gratiam contulit, neque characterem impressit. Et ergo fides vel spes in Christum hunc defectum supplere non valuit. Item, dum illud in sacramento omittitur quod de necessitate est sacramenti, oportet non solum omissa suppleri, sed sacramentum renovari. Sed de necessitate sacramenti est, ut fiat non solum in aqua, sicut fiebat Joannis baptismus, sed etiam in Spiritu Sancto, juxta illud A Joannis tertio : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum cœlorum. *Joann.* III, 5. In illis igitur a Joanne baptizatis, quod deerat Spiritus Sancti, non fuit tantum per manuum impositionem supplendum, sed per Baptismi Christi acceptionem. Qui autem ab Apostolis, imo vel a Juda proditore baptizati erant, non rebaptizabantur : illi enim baptizabantur in virtute Christi. Unde baptizati a Philippo diacono, qui Christi Baptismum donavit, rebaptizati non sunt ; *Act.* VIII, 12, 16, 17. B sed receperunt manuum impositionem per Apostolos, sicut a sacerdotibus baptizati confirmantur per episcopos. — Apostoli autem, secundum Augustinum ad Seleucianum, baptizati erant, vel baptismo Joannis (nam quidam eorum erant ejus discipuli), vel, quod credibilius est, a Domino Jesu Christo : qui etiam pedes eorum lavare non sprevit. *Joann.* XIII, 4 *et seq.* Joannes quoque Baptista a Christo, secundum aliquos, fuit baptizatus ; et secundum Hieronymum, certum est quod ad minus in Spiritu Sancto baptizatus ab eo sit. C

ARTICULUS XLIX.

1. *Utrum Christus debuerit baptizari.* 2. *An a Joanne baptizari debuerit.* 3. *De tempore quo est baptizatus.* 4. *De loco illius baptismi.* 5. *De apertione cœli.* 6. *De Spiritu Sancto in specie columbæ super Christum descendente.* 7. *De voce Patris super Christum : Hic est, etc.*

D 1. VOLUIT igitur Christus baptizari, secundum Ambrosium, non ut mundaretur, sed ut mundaret ; et ut totum veteranum Adam aquis immergeret, secundum Gregorium Nazianzenum. QUÆSTIO 39.

2. Baptizatus est autem Christus baptismo Joannis, quatenus ejus approbaret baptismum, et ut sanctificaret nostrum Baptismum, atque ut nos suo exemplo ad Baptismum induceret.

3. Denique conveniens fuit ut Christus tricesimo anno baptismum reciperet. Nam

ex tunc prædicare atque docere volebat : prædicare vero et docere solis viris competunt perfectam ætatem habentibus. Item, ut ostenderetur quod Baptismus novæ legis reddit virum perfectum. Et etiam, quia Christo baptizato, legalia cessare cœperunt : et ideo ea ætate Christus baptizari volebat, quando certissimum fuit quod non ideo legem solvit, quoniam eam implere non potuit.

4. Porro in Jordane Christus baptizatus rationabiliter fuit. Sicut enim per Jordanem filii Israel ingressi sunt terram promissionis ; sic Christifideles per ejus Baptismum introeunt patriam felicitatis cœlestis. Unde sicut mare Rubrum designavit Christi Baptismum, quoad liberationem a peccato et potestate diaboli ; sic Jordanis fluentum eumdem figurabat, quoad introitum cœli.

5. At vero, Christo baptizato aperti sunt cœli : quoniam in Baptismo operatur virtus cœlestis ; item, quia per Baptismum, qui est fidei sacramentum (nam in eo baptizandi fidem profitentur per se vel per alios), homo recipit gratiam Spiritus Sancti, per quam contemplari debet cœlestia ; rursus, quia per Christi Baptismum omnia peccata donantur atque cœlestia regna aperiuntur. Apertio vero hæc cœli, non est intelligenda secundum materialem rupturam, sed referenda est ad spirituales oculos, vel ad imaginariam Christi visionem : quemadmodum Ezechiel cœlos se vidisse apertos commemorat. *Ezech.* I, 1.

6. Dicit quoque Chrysostomus : Omnia quæ circa Christum in baptismo accidebant, pertinent ad omnium baptizatorum mysterium. Idcirco ad insinuandum quod in Christi Baptismo confertur gratia Spiritus Sancti, apparuit atque descendit Spiritus Sanctus in Christum in specie columbæ, et mansit super eum : quamvis tunc nihil gratiæ Christo accreverit, quippe qui a conceptionis suæ instanti omni gratia, sapientia, atque perfectione summe ornatus plenusque exstitit. Et quoniam baptizandus sine simulatione accedere

A debet, ideo Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuit, quia columba simplex est animal ; item, ad designandum septem dona Spiritus Sancti, quæ columba suis proprietatibus signat. Columba namque juxta fluenta inhabitat, quatenus viso accipitre se mergat atque evadat : per quod figuratur donum sapientiæ, per quod sancti juxta Scripturæ fluenta resident, ut dæmonis incursum evitent. Columba quoque meliora grana colligit : quo signatur donum scientiæ, per quod boni sanas sententias quibus aluntur, congregare non

B cessant. Columba quoque alienos pullos fovet : quod ad donum consilii attinet, per quod sancti alios verbo et vita pascunt. Item columba rostro non lacerat : quod ad donum intellectus respicit, quo sancti veras fidei sententias nullatenus lacerant. Columba quoque felle caret : quod donum pietatis concernit. Et in cavernis nidificat : quod ad donum fortitudinis spectat, per quam fideles in Christi vulneribus commorantur. Item pro cantu gemitum

C habet : quo donum figuratur timoris, per quem sancti delectantur in gemitu pro peccatis. — Porro in Christi operibus qui veritas est, nihil esse condecet fictum. Et ergo illa columba non erat phantastica, sed vera, et de novo creata, secundum Augustinum : quæ peracto suo ministerio, esse desivit.

7. Præterea, quia noster Baptismus in virtute et invocatione Patris et Filii ac Spiritus Sancti consistit, datur atque perficitur ; ideo non solum Spiritus Sanctus

D prædicto modo in Christo apparuit, sed et vox Patris audita est : Hic est, inquiens, Filius meus dilectus. *Matth.* III, 17. Et bene in voce apparuit Pater : nam ei est proprium Verbum proferre. Missio vero includit aliquid amplius quam apparitio, utpote auctoritatem mittentis super missum. Quum ergo Filius et Spiritus Sanctus a Patre emanent, non solum apparere, sed etiam mitti dicuntur. Sed quoniam Pater a nullo est, non dicitur mitti, sed apparere.

ARTICULUS L.

1. Utrum Christus debuerit ducere vitam solitariam. 2. An austeram. 3. An abjectam. 4. An secundum veterem legem.

QUÆSTIO 40. 1. BENE autem congruit Christo ut inter homines conversaretur. Venit enim prædicare hominibus, et peccatores instruere atque sanare. Unde Joannis octa-
Joann. XVIII, 37. vodecimo ait : Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati. Hæc autem convenientius fiunt per conversationem communem et mutuam, quam solitariam. Et quamvis Christus solitarie conversando omnes attrahere potuit, dedit tamen nobis exemplum, ut quandoque requiramus pereuntes.

2. Denique, quoniam Christus inter homines conversari familiariter voluit, austeram vitam in parsimonia et abstinentia non elegit, sicut Joannes; sed in cibo et potu communiter habuit se sicut et alii. Non enim in ipsa abstinentia consistit perfectio essentialiter, sed instrumentaliter, et secundum dispositionem : qua Christus non eguit, qui peccare non potuit ; sed communiter se habendo in cibo, aliis fiduciam veniendi ad se præstitit.

3. Insuper, Christus pauperem vitam elegit, quoniam prædicatorem verbi divini decet terrena despicere; secundo, ne si divitias haberet, ejus prædicatio cupiditati adscriberetur; tertio, ut ejus inopia ditaremur; quarto, ut quanto in paupertate erat abjectior, tanto in ejus operibus cognosceretur evidentius operata divinitas.

4. Præterea Christus secundum legem in omnibus est conversatus. Nam circumcisus est. Circumcisio autem protestatio est legis implendæ, juxta illud Apostoli
Galat. V, 3. ad Galatas quinto : Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Christus igitur secundum legis præcepta vivere voluit : primo, ut legem approbaret ; secundo, ut eam observando in se ipso terminaret ; tertio, ut Judæis calumniandi occasionem A auferret; quarto, ut nos a legis jugo ac servitute redimeret.

ARTICULUS LI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum tentari. 2. De loco quo tentatus est. 3. De tempore hujus tentationis. 4. De modo tentationum et de ordine earum.

1. PROINDE tentari Christus volebat, ut QUÆSTIO 41
nobis contra tentationes opem impenderet ; item, ut nemo se a tentatore tutum existimaret ; et item, ut nobis formam vincendi ostenderet, atque de sua misericordia fiduciam condonaret. Diabolus ergo Christum tentavit, quia eum esse Dei Filium, non certitudinaliter propter carnis infirmitatem, sed conjecturaliter propter miracula, recognovit, secundum Augustinum nono de Civitate Dei.

2. At vero, tunc diabolus hominem audentius accedit, dum solus est, quoniam Ecclesiastæ quarto habetur : Si quispiam *Eccle.* IV, 12.
prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. Quoniam itaque Christus tentari volebat, in desertum exivit, quasi ad locum certaminis, ut ibi tentaretur a diabolo.

3. Insuper, post quadragesimale jejunium Christus tentari dignatus est : ut instrueret nos quia per sacrum jejunium armari oportet contra inimici insidias. Secundo, ut ostenderet quod jejunantes diabolus tentat : sicut et eos qui aliis bonis intendunt. Tertio, quia esuries Christi fuit occasio dæmoni ad tentandum. Videns namque Christum pati carnis infirma, suspicatus est non esse Filium Dei. Esuries vero Christi, secundum Hilarium, non fuit ex subreptione inediæ, sed quoniam Verbum naturam assumptam sibi ipsi reliquit secundum dispensationem voluntatis divinæ.

4. Porro diabolus de his unumquemque primo tentat, ad quæ videt ejus affectum magis inclinatum. Et ergo sanctis ac perfectis hominibus non statim proponit magna peccata, sed minima, quæ, secundum

Gregorium, sub specie virtutum se ingerunt, sicque ad graviora paulatim conatur inducere : quemadmodum in primi hominis tentatione videmus. Primo namque sollicitavit animum Evæ de ligni vetiti esu, quum dixit, Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi ? Secundo de inani gloria, quum subdit, Aperientur oculi vestri. Tertio autem, tentationem protendit ad extremam superbiam, dicens, Eritis sicut dii. Et hunc ordinem in Christi tentatione servat : nam primo, de gula tentavit; secundo, de inani gloria ; tertio, de magna superbia, dum omnia ei regna mundi promisit. Statuit autem diabolus Christum super pinnaculum templi, sed ignorante diabolo Christus se invisibilem fecit, secundum Chrysostomum.

Gen. III, 1. *Ibid.* 5. *Ibidem.*

ARTICULUS LII.

1. *An Christus debuerit solis Judæis prædicare.* 2. *An debuerit eorum turbationem vitare.* 3. *An debuerit publice prædicare.* 4. *An debuerit verbo vel scripto docere.*

QUÆSTIO 42. 1. FUIT demum conveniens ut Christus prædicaret solis Judæis, et post eum Apostoli ejus ad tempus : quoniam Judæis specialiter facta erat de Christi adventu promissio ; secundo, quia Judæi erant Deo propinquiores propter legis notitiam ; tertio, ut Judæis occasionem calumniandi Christumque negandi subtraheret ; quarto, quia principatum super gentiles Christus sua passione promeruit, secundum illud Apostoli ad Philippenses secundo : Christus factus est obediens usque ad mortem : propter quod et Deus exaltavit illum, etc.

Philipp. II, 8, 9.

2. Denique bonum commune non est propter aliorum scandalum omittendum, præsertim dum scandalum aliorum ex malitia oritur. Christus ergo, qui venit prædicare viam salutis toti populo, non debuit sanam doctrinam omittere propter Pharisæorum et Scribarum atque pontificum scandalum, ex magna eorum pravitate exortum. Propter quod discipulis dixit : Sinite illos ; cæci sunt, duces cæcorum. Debemus vero scandalum aliorum vitare, ne nostro dicto vel facto minus recto scandalizentur.

Matth. XV, 14.

3. At vero, Joannis octavodecimo Christus dixit : In occulto locutus sum nihil. Tota ergo Christi doctrina in publico fuit. Nam ea quæ seorsum discipulis dixit, sic dixit quod omnibus ea innotescere congruo tempore voluit. Christus enim non intendebat doctrinam suam occultare ex invidia vel inhonestate. Verumtamen aliqua ejus dogmata in occulto erant, quantum ad modum proponendi : ut quæ in parabolis dixit. Quod ideo fecit, quoniam turba nec digna fuit neque idonea nudam veritatem percipere. Quod tamen Matthæi tertiodecimo dicitur, Christus sine parabola non loquebatur eis, videlicet turbæ, referendum est, secundum Chrysostomum, ad illum sermonem : alia namque multa sine parabolis eis proposuit.

Joann. XVIII, 20. *Matth.* XIII, 34.

4. Præterea Christus librum nullum conscripsit. Quum enim sit doctor doctorum atque magister altissimus, excellentissimus modus docendi sibi competebat, videlicet ut immediate in cordibus auditorum verba sua imprimeret, non inanimatæ materiæ. Unde et apud gentiles, Socrates atque Pythagoras, qui erant excellentissimi doctores, nihil scribere voluerunt. Item, Christus libros non edidit, quatenus doctrina ejus ordinate ad omnes veniret, videlicet primo ad Apostolos ab ipso, et per Apostolos ad nos : quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt. — Refert autem Augustinus, primo de Consensu Evangelistarum, quosdam gentilium qui Christum tanquam sapientissimum virum blasphemare vel culpare non audent, mirari cur librum nullum compegerit : unde discipulos ejus asserunt plus tribuisse suo magistro quam erat, ut dicerent eum Verbum quo facta sunt omnia, Deique Filium. Alii vero gentilium asseruerunt Christum libros magica continentes scripsisse, quibus

Rom. XIII, 1.

miracula fecit : et tamen illi gentiles, qui se tales Christi libros legisse affirmant, tale nihil agunt qualia Christum de libris hujusmodi fecisse mirantur. Asserunt quoque tales libros a Christo Petro et Paulo tanquam epistolas missas : quum tamen Paulus Christo in mundo viventi nunquam adhæserit, nec ejus discipulus fuerit.

ARTICULUS LIII.

1. *Utrum Christus debuerit miracula facere.* 2. *Qua virtute ea fecerit.* 3. *Quo tempore inceperit.* 4. *An per miracula talia sufficienter ostensa sit ejus divinitas.*

Quæstio 43. 1. MIRACULORUM insuper virtus seu gratia confertur divinitus homini propter duo : primo, ut ejus doctrina ostendatur esse a Deo, quemadmodum littera signatur annulo regis, ut sciatur missa a rege ; secundo, ut cognoscatur Deus esse in homine per gratiam, per hoc quod operatur in eo. Quoniam ergo Christi doctrina supernaturalis fuit, ipseque Christus Filius Dei naturalis, non adoptivus, utrumque istorum per miracula ostendi oportuit. Nam sicut conclusio scientiæ naturalis per rationem humanam probatur ; sic fidei veritas per miracula quasi per divinæ virtutis argumenta ostenditur. Et ergo Christus miracula fecit.

2. Præterea vera miracula sola divina virtute fieri possunt : nam Deus duntaxat ordinem naturæ potest immutare.

3. Ex istis elicitur, quod Christus ante tricesimum ætatis suæ annum non fecit miracula ; sed primum ejus signum fuit in nuptiis conversio aquæ in vinum. Nam miracula (ut dictum est) ad suæ doctrinæ manifestationem spectabant ; non autem cœpit prædicare nisi in perfecta ætate, videlicet in tricesimo anno. Unde Chrysostomus ait, quod in prima ætate non fecit miracula, quia putassent phantasma esse ejus incarnationem, et ante tempus opportunum cruci eum affixissent. Et ideo Joannes Baptista dixit : Ut manifestetur (scilicet Christus) in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Si vero Christus ante hoc tempus fecisset miracula, non fuisset necessaria manifestatio Joannis de ipso. Joann. I, 31.

4. Amplius, Christi miracula eum esse verum Deum ostendunt. Fecit enim ea quæ omnem virtutem creatam transcendunt, et quæ alius nullus fecit : ut est illuminatio cæci nati, et alia quæ in Evangelio conscribuntur. Item, hoc patet ex modo agendi. Fecit enim miracula virtute propria imperando : nam virtus exibat de illo et sanabat omnes. Sed et quotquot fimbriam vestium ejus tangebant, sani fiebant. Tertio, patet hoc idem ex doctrina quam docuit. Asserebat enim se esse Dei Filium Patri æqualem. Si vero hoc falsum fuisset, per miracula vera atque divina confirmatum non fuisset. Deus namque falsitatis confirmator non est. Luc. VI, 19. Marc. VI, 56.

ARTICULUS LIV.

1. *De miraculis Christi circa spirituales substantias,* 2. *circa cœlestia corpora,* 3. *circa homines,* 4. *circa irrationabilia.*

1. HOC insuper quod per Christi incarnationem et mortem fideles a dæmonum potestate redimuntur, Christus signavit ab obsessis corporibus dæmones expellendo, quemadmodum Zachariæ tertiodecimo dicitur : Spiritum immundum auferam de terra. Et ergo inter cetera sua miracula voluit Christus obsessos a dæmonibus liberare. Præostensum est quoque ex verbis Augustini nono de Civitate Dei, quod Christus dæmonibus tantum innotuit, quantum voluit ; et tantum voluit, quantum oportuit. Nam certitudinaliter non sciebant eum esse Filium Dei, sed suspicative. Unde patet, quod non ideo persuasit dæmon Judæis crucifigere eum, quia Christum esse vel Dei Filium non putavit, sed quoniam non prævidit se morte illius damnandum. De hoc namque Quæstio 44. Zach. XIII, 2.

mysterio a sæculis abscondito Apostolus A
(Cor. ii, 8.) asserit, quod nemo principum hujus sæculi hoc cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

2. At vero circa cœlestia corpora Christus miracula fecit, quia per hoc ejus divinitas magis innotuit. Nam inferiora corpora ab aliis causis a suo motu, actu et ordine transmutari possunt, non autem cœlestia corpora, secundum Dionysium in epistola ad Polycarpum. Eclipsim vero quæ in Christi passione fuit, dicit Hieronymus accidisse per retractionem radio- B
rum solis ; Origenes autem, per interpositionem densissimarum plurimarumque nubium : nam et eclipsim et terræ motum ponit non fuisse, nisi in terra Judææ et circa Jerusalem. Sed in his magis credendum est Dionysio, qui eclipsim hanc vidit, atque per interpositionem lunæ inter solem et nos eam contigisse affirmat.

Ponit itaque Dionysius in epistola ad Polycarpum quatuor mirabilia, quæ in illa eclipsi fiebant. Primo, quoniam naturalis eclipsis fit solum tempore conjunctionis. C
Tunc vero erat oppositio : erat enim luna quintadecima, quia et tunc Pascha Judæorum fuit. Secundum mirabile fuit, quod quum luna fuisset soli supposita circa sextam horam in medio cœli, tamen in vesperis restituta erat suo loco in oriente opposita soli : et sic ordo temporum non est turbatus. Tertium, quia eclipsis naturaliter incipit ab occidente et pervenit ad orientem : quoniam motus lunæ in proprio orbe velocior est motu solis in circulo proprio, et ita pertransit solem ab D
occidente accedens. Sed tunc luna jam pertransiverat solem, distans ab eo per medietatem circuli, in oppositione exsistens. Idcirco oportuit ut ab oriente reverteretur ad solem, et primo attingeret eum a parte orientali, illamque primitus eclipsaret. Quartum miraculum fuit, quod in eclipsi naturali illa pars solis primo reapparet, quæ primo obscurata fuit : luna enim directe pertransit solem, veniendo ab occidente proprio motu. Sed tunc luna miraculose ab oriente in occidentem revertens, non pertransivit solem, ut esset eo occidentalior; sed quum pervenisset ad terminum solis, rediit versus orientem, sicque partem ultimo occupatam primo reliquit, unde et pars ultimo obscurata primitus fulsit. Quintum miraculum addit Chrysostomus super Matthæum : quoniam naturalis eclipsis cito pertransit ; hæc vero diu duravit : propter quod luna sub sole quievit.

Sed, ut narrat Origenes super Matthæum, contra hoc filii hujus sæculi dicunt : Quomodo nullus Græcorum vel Barbarus tam mirabile factum descripsit ? Et dicit Origenes, quod quidam nomine Phlegon, in chronicis suis scripserit istud in principatu Tiberii Cæsaris accidisse ; sed non ponit quod luna fuerit plena. Potuit ergo hoc ideo evenisse, quod astrologi tunc non sollicitabantur de aliqua eclipsi, eo quod tempus aptum non foret : et ergo immutationem talem putabant ex aliqua passione aeris causatam. Sed in Ægypto, ubi propter aeris serenitatem nubes raro apparent, Dionysius et socii ejus permoti sunt ad observandam atque scrutandam istam eclipsim.

3. Præterea circa homines Christus multa miracula perpetravit, ut se animarum salvatorem omniumque ostenderet redemptorem. Fecit autem miracula in hominibus, non solum eorum corpora immutando, sed etiam animas exterius alliciendo, vel terrendo, aut obstupefaciendo : sicut quando ejecit de templo omnes vendentes (*Matth.* xxi, 12.)
et ementes in eo (quod secundum Origenem, majus miraculum erat quam conversio aquæ in vinum, quoniam tot millia ita compescuit : radiabat enim quidam fulgor divinus, sidereus atque cœlestis ex oculis ejus, in quo resplendebat intus latens divinitas, secundum Hieronymum) ; item, quando abscondit se, non utique formidando, vel post murum latendo, sed transiens per medium illorum ibat, ipsis (*Luc.* iv, 30.) non sentientibus ; item, dum dixit in passione, Ego sum, quo audito obstupefacti (*Joann.* xviii, 5, 6.)

Judæi abierunt retrorsum et ceciderunt. *Deut.* XXXII, 4. Rursus, quum Dei perfecta sint opera, ideo Christus omnes curavit in anima, quos curavit in corpore : quoniam sanitas corporis ad animæ referenda est commodum. Sed et in instanti sanavit quos *Marc.* VIII, 22-26. curavit, dempto cæco de quo scribitur Marci octavo : quem successive illuminavit, ad figurandum magnitudinem cæcitatis humanæ.

4. Amplius, in omnibus creaturarum generibus Christus miracula fecit, ut se omnium rerum Dominum comprobaret : non tamen circa terrestria animalia. Illa enim convenientiam habent cum homine : nam eodem die sunt facta quo homo ; et quantum ad sensitivam naturam, est eadem ratio de utrisque. In plantis autem *Matth.* XXI, 19. fecit miraculum, dum eo jubente ficulnea *Ibid.* VIII, 26. aruit; item in mari et aere, quando præcepit vento et mari, et facta mox est tranquillitas magna ; in piscibus quoque, dum *Luc.* V, 6; *Joann.* XXI, 6. copiosa piscium multitudo inopinabiliter capta est ; et in pisce, in cujus ore Petrus *Matth.* XVII, 26. staterem reperit. Multiplicatio autem panum non fuit per creationem, sed per conversionem alicujus in panes.

ARTICULUS LV.

1. *De transfiguratione Christi.* 2. *An claritas illa fuerit claritas gloriosa.* 3. *De testibus transfigurationis.* 4. *De testimonio Patris.*

QUÆSTIO 45. 1. VOLUIT autem Christus coram discipulis transfigurari, ut ostenderet mercedem exspectandam in patria, dandam pro tribulationibus vitæ præsentis : quatenus per hoc animarentur et certificarentur in laboribus ac passionibus.

2. Porro dotes corporis gloriosi ex beatitudine animæ derivantur. Claritas autem Christi in transfiguratione ex ejus divinitate felicitateque animæ originata fuit : et ergo claritas secundum essentiam fuit claritas gloriosa, non autem secundum modum essendi. Claritas namque gloriosa, sicut et aliæ dotes corporis gloriosi, sunt A qualitates manentes et fixæ. Hæc vero talis non fuit, sed statim disparuit. Ideoque dicendum non est, sicut Hugo de S. Victore asseruit, quod Christus dotes corporis in hac vita assumpsit, videlicet : claritatis, in transfiguratione ; agilitatis, ambulando super mare ; subtilitatis, egrediendo de Matre, virgine permanente ; impassibilitatis, in corpore quod sub speciebus sacramentalibus dedit Apostolis. Claritas igitur ista non erat dos, sed similis doti, quæ miraculose assumebatur a Christo. B Quemadmodum autem claritas illa corporis Christi significavit claritatem quam nunc habet in patria : sic claritas vestium ejus designat claritatem Sanctorum ; et nubes lucida figuravit Spiritus Sancti gloriam, vel virtutem paternam, qua Sancti protegentur in gloria, secundum Origenem.

3. Denique, quoniam Christus ad gloriam adducit tam Sanctos qui fuerunt ante se, quam eos qui post se fuerunt : idcirco testium transfigurationis ejus quidam eum C præcesserunt, videlicet Moyses et Elias ; quidam post eum secuti sunt, scilicet Apostoli qui secum aderant, Petrus, Joannes et Jacobus. Non est autem opinandum quod Moyses resurrexit ; sed in corpore aliquo assumpto apparuit, quomodo angeli apparere consueverunt.

4. Insuper, in transfiguratione atque baptismo Christi vox Patris audita est, Hic *Matth.* III, 17; XVII, 5. est Filius meus dilectus, ad ostendendum quod Christus sit Filius naturalis. Cujus filiationis quamdam similitudinem sorti- D untur fideles per gratiam quæ in Baptismo datur, atque per lumen gloriæ, quæ in Christi transfiguratione significabatur. Unde et Spiritus Sanctus in nube lucida in transfiguratione apparuit, quia in gloria futura omnes Sancti fulgebunt ut sol. *Ibid.* XIII, 43.

ARTICULUS LVI.

1. *Utrum necesse fuerit Christum pati pro mundi salute.* 2. *An possibilis fuerit alius modus liberationis.* 3. *An ille modus fuerit*

convenientior. 4. An in cruce conveniens esset Christum pati. 5. De generalitate passionis Christi. 6. An maxima fuerit.

Quæstio 46. 1. NECESSARIUM vero fuit Christum pati, non necessitate absoluta, sed necessitate conditionata, seu ex suppositione finis : primo, ex parte nostri, qui per ejus passionem redempti sumus ; secundo, ex parte Christi, qui sua passione immortalitatem corporis meruit et gloriam exaltationis ; tertio, ex parte Dei, qui Christi passionem per Prophetas prædixit. Propter primum istorum Joannis tertio dicitur : Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, etc. (*Joann.* III, 14, 15.) Propter secundum, Lucæ ultimo : Oportuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam. (*Luc.* XXIV, 26.) Propter tertium, Lucæ vicesimo secundo : Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit. (*Ibid.* XXII, 22.)

2. Porro possibile et impossibile dicuntur dupliciter, scilicet absolute, et ex suppositione. Quum ergo non sit apud Deum impossibile omne verbum, (*Ibid.* I, 37.) certum est quod simpliciter loquendo seu absolute, non erat impossibilis alius modus liberandi ; sed ex suppositione, videlicet præsupposita præscientia et præordinatione divina, quæ falli cassarique nequit. Et simile est de omnibus a Deo præordinatis atque præscitis.

3. Præterea per illud fit aliquid convenientius, in quo plura continentur quæ fini operis prosunt : et ideo passio Christi convenientissimus modus exstitit nostræ reparationis. Nam ex passione Christi cognoscimus caritatem Patris et Filii circa nos. Item, per passionem dedit nobis Filius perfectum exemplum humilitatis, obedientiæ, constantiæ, patientiæ. Rursus, per passionem non solum pro nobis satisfecit a peccato purgando, sed etiam gratiam justificantem et gloriam animæ nobis promeruit. Iterum, per hoc quod Christus tanta pro nobis sustinuit, imminet nobis major necessitas peccata vitandi. Item, hoc pertinet ad gloriam hominum, quod sicut A homo a dæmone victus fuit, sic homo dæmonem vicit.

4. At vero convenientissimum erat Christum pati in cruce, ut daret exemplum perfectæ fortitudinis, per quam non solum non formidemus mortem, sed nec aliquod genus mortis. Inter omnia namque genera mortis nihil erat exsecrabilius aut formidabilius hoc genere passionis. Secundo, quia primus homo in ligno peccavit : et ergo Christus in ligno redemit. Tertio, quia ut etiam aerem emundaret, voluit B levari in alto. Quarto, quia in alto moriens, regni nobis cœlestis ascensum disponit. Quinto, quia per quatuor cornua crucis signantur quatuor partes mundi, quas Christus redemit, qui totum mundum venit salvare. Et ergo Joannis duodecimo ait : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. (*Joann.* XII, 32.)

5. Præterea passus est Christus omnes passiones generis humani, non in specie, sed secundum genus. Nunc autem est sermo de passione ab extra illata. Passus C quippe est a gentilibus et Judæis, a viris et feminis, puta ancillis Petrum accusantibus ; a principibus quoque, ministris et populo, a familiaribus et notis, scilicet Juda prodente et Petro negante. Secundo, patet hoc ex his in quibus homo pati potest. Passus enim est Christus in amicis ipsum derelinquentibus, in fama per blasphemias, in gloria et honore per irrisiones et contumelias sibi illatas, in vestibus sibi ablatis, in anima quoque per tædium atque tristitiam ac timorem. Tertio, potest D hoc considerari quantum ad corporis membra : in omnibus namque membris et organis sensuum passus est.

6. Præterea, sicut ostensum est, in Christo fuit dolor interior atque exterior. Uterque autem in eo maximus fuit propter quatuor. Primo, ex parte causæ. Dolor enim exterior ex corporali læsione causatur : quæ læsio in Christo maxima fuit, tum propter generalitatem, quia in omnibus membris est læsus ; tum propter genus mortis, nam mors confixorum in

cruce acerbissima est : configuntur enim in locis nervosis et maxime sensibilibus, scilicet manibus et pedibus. Pondus quoque pendentis corporis continue auget dolorem. Tales etiam non statim moriuntur, sed diu cruciantur. Causa autem interioris doloris Christi fuit totius mundi iniquitas, et maxime casus ac cæcitas Judæorum, pro quibus omnibus solvit quæ non rapuit; (*Ps.* LXVIII, 5.) scandalum etiam discipulorum suorum. Secundo, dolor augetur ex perceptibilitate patientis. Quum ergo Christi corpus fuerit optime complexionatum (nam secundum Chrysostomum, quæ miraculose fiunt, meliora sunt), patet quod sensus tactus maxime viguit in Christo ; vires quoque apprehensivæ interiores perfectissimæ in ipso fuerunt. Tertio, patet idem ex doloris puritate. In Christo enim tempore passionis nulla fuit redundantia consolationis superiorum virium ad inferiores, secundum Damascenum. Item, quoniam Christus voluntarie mortem assumpsit, in tantum sustinuit, quod passio ejus proportionata fuit fructui passionis ob quem mori dignatus est. Et ergo vehementissime passus fuit, quamvis aliqui martyres quantum ad unam causam doloris, bene gravius passi sint eo, videlicet quantum ad corporalem læsionem, ut Laurentius seu Vincentius. Vita vero corporalis Christi, propter divinitatem unitam dignissima fuit : et ergo ob ejus amissionem Christus doluit.

ARTICULUS LVII.

1. *Utrum tota anima Christi passa sit.* 2. *An passio ejus gaudium fruitionis impediverit.* 3. *De tempore quo passus est.* 4. *De loco passionis.* 5. *Cur inter latrones suspensus sit Christus.* 6. *An passio ejus sit divinitati attribuenda.*

1. TOTUM itaque respectu partium dicitur. Anima autem secundum essentiam simplex est, sed partes ejus potestativæ dicuntur potentiæ ejus. Potentia A vero dupliciter pati potest, scilicet : Proprie et a suo objecto : ut dum tactus a calore affligitur. Secundo, ratione subjecti in quo fundatur : ut quum pupilla pungitur, visus patitur ratione sui subjecti, videlicet organi in quo fundatur, in quo tactus proprie patitur. Anima ergo Christi tota, quantum ad suam essentiam patiebatur : tota namque conjungitur corpori, estque tota in toto corpore atque in qualibet parte tota. Sed anima Christi, quantum ad suas potentias, non tota patiebatur passione propria, B scilicet ex parte objecti. Ratio namque superior, cujus objectum est Deus vel rationes æternæ, quibus intendit, non patiebatur in Christo ; sed in gaudio fuit beatæ fruitionis, quoniam tale objectum non fuit animæ Christi materia passionis, sed gaudii. Sed inferiores omnes vires animæ Christi, quæ circa sensibilia operantur, patiebantur proprie, scilicet ex objecto, ut dictum est. Verum, quoniam omnes vires animæ in ejus essentia radicantur, anima Christi secundum potentias C omnes passa fuit illo modo quo potentia patitur ratione subjecti.

2. Pariformiter tota anima Christi in fruitione fuit, tempore passionis, quoad totalitatem essentiæ animæ, quæ tota in gaudio fuit propter rationem superiorem, cujus subjectum est. Unde sicut passio attribuitur rationi superiori ratione animæ, sic gaudium adscribitur animæ propter beatitudinem rationis superioris. Loquendo autem de totalitate animæ quoad suas potentias, sic non fruebatur anima Christi D tota : nec directe, quia bonitas divina non est objectum inferiorum virium animæ; nec indirecte, quoniam beatitudo rationis superioris non redundabat ad vires inferiores, ut tactum est. Imo operatio ac passio unius potentiæ aliam in nullo impediebat, secundum Damascenum.

3. Denique aliqui dicunt Christum quartadecima exsistente luna passum. Nam Joannis octavodecimo dicitur, quod Judæi (*Joann.* XVIII, 28.) non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha : quod

Exod. xii, luna quartadecima offerebatur, ut scribitur Exodi duodecimo. Sed, sicut ex testimonio aliorum Evangelistarum colligitur, Christus passus est luna quintadecima, scilicet feria sexta, et luna quartadecima celebravit Pascha. Dicitur namque Matthæi (Matth. xxvi, 17.) vicesimo sexto, quod primo die Azymorum, id est luna quartadecima, discipuli accesserunt ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha ? Quum (Joann. xiii,) autem Joannis tertiodecimo dicitur, Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, etc., intelligendum est hoc fuisse quinta feria : nam luna exsistente quintadecima, erat dies solennissimus Paschæ apud Judæos. Eumdem itaque diem quem Joannes nominat, Ante diem festum Paschæ, propter naturalium distinctionem dierum, Matthæus nominat primum diem Azymorum, secundum ritum festivitatis Judaicæ, quia solennitas incepit a vespera præcedentis diei. Quod ergo dicuntur comesturi fuisse luna quintadecima, quando videlicet luna plenissima est, non est accipiendum de agno paschali, qui immolabatur præcedenti nocte; sed *pascha* ibi vocatur cibus paschalis, id est azymi panes, quos non edebant immundi. Et secundum Chrysostomum, *pascha* ibi accipi potest pro toto festo paschali, quod septem diebus durabat. — Item, quod Marcus asserit Christum (Marc. xv, 25.) crucifixum tertia hora, ad animam atque affectum Judæorum referendum est, secundum Augustinum, qui illa hora clamabant (Joann. xix, 15.) : Tolle, crucifige. — Pati quoque voluit Christus in æquinoctio vernali, quia illo tempore mundum elegit recreare atque redimere, quando creavit eumdem.

4. Porro in Jerusalem voluit Christus pati : tum quia locus ille a Deo erat electus ad sacrificia offerenda, quæ Christi immolationem passionemque signabant. Secundo, quoniam Jerusalem in medio terræ est : et ergo Christus in ea pati elegit, ut virtus suæ passionis ad omnes mundi se partes diffunderet. Tertio, quia quum locus ille esset sublimis ac regius, passio Christi ex eo reddebatur contumeliosior

A atque amarior. Christus autem semper elegit pro nobis quod durius est pati. Quarto, ut insinuaret causam suæ mortis ex sacerdotum, maxime pontificum, invidia ortam. — Voluit quoque Christus extra portas civitatis pati et mori. Nam hircus ac vitulus, qui in veteri lege in ejus figura offerebantur, in solennissimo officio, pro totius multitudinis expiatione, extra castra comburebantur, ut patet Levitici (Lev. xvi, 27.) sextodecimo ; item, ut daret nobis exemplum egrediendi de conversatione præsen-B tis sæculi nequam.

5. Insuper, inter latrones Christus divina ordinatione erectus est. Ipse enim pro nobis maledictum factus est, et pro nobis (Galat. iii, 13.) despici voluit. Item, secundum Leonem Papam, per duos latrones, quorum alter salvatur, alter damnatur, figuratum est futurum Christi judicium, quo alii, utpote reprobi, stabunt ad lævam, electi ad dexteram. Quod vero ait Matthæus quod latrones (Matth. xxvii, 44.) improperabant Christo, quum alius Evangelista dicat quod unus latronum im-C properaverit ei, secundum Augustinum, positus est numerus pluralis pro singulari ; sed secundum Hieronymum, primo uterque blasphemavit, sed unus eorum visis miraculis credidit atque pœnituit.

6. Porro unio duarum naturarum in Christo in unitate personæ effecta est, salvis proprietatibus utriusque naturæ. Divina autem natura impassibilis est et incommutabilis. Quamvis ergo passio Christi Deo possit attribui ; non tamen divinitati, nec Christo ratione divinæ naturæ, sed so-D lum propter naturam assumptam.

ARTICULUS LVIII.

1. *An Christus a se ipso vel ab aliis occisus sit.* 2. *Cur passioni se tradiderit.* 3. *An Pater tradiderit eum ad patiendum.*

1. CAUSA dicitur præterea dupliciter : primo, quia directe aliquid agit ; secundo, quia non impedit effectum quem impedire potest. Primo modo, Christus occisus est ab aliis; secundo modo, a se

ipso. Potuit namque interfectores suos reprimere, tam a malo affectu, quam ab iniquo effectu; item, quoniam potuit naturam suam corporalem servare illæsam ab omni nocumento inflicto. Sic enim dominabatur anima ejus corpori suo propter
Joann. x, 18. unionem cum Verbo, et ideo dixit : Nemo tollit animam meam a me, scilicet me invito. Unde ut Christus ostenderet se sponte pati, nec animam suam propter violentiam a corpore rapi, conservavit naturam corporalem suam in omni suo vigore per
Matth. xxvii, 50. totum tempus passionis, ita ut cum magna voce clamans obiret. Non enim obiit nisi dum sponte permisit corpus sua virtute destitui. Et igitur citius obiit quam moris est aliis crucifixis. Et Centurio vi-
Marc. xv, 39. dens quod sic clamans exspirasset, dixit : Vere Filius Dei erat iste.

2. Insuper, Christus ex obedientia Patris
Rom. v, 19. mortuus est : quatenus sicut per unius inobedientiam omnes perieramus, sic per Christi obedientiam omnes repararemur. Secundo, quia per obedientiam fit reconciliatio : cunctis enim sacrificiis ipsa præfertur. Tertio, quia per obedientiam pervenitur ad honorem ac palmam.

3. At vero Pater dicitur Christum Filium suum dilectum morti tradidisse : Primo, quia ab æterno ordinavit per ejus passionem redimere sæculum, juxta illud
Is. liii, 6, 10. Isaiæ quinquagesimo tertio : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, et voluit conterere eum. Secundo, quoniam inspiravit Christo voluntatem patiendi pro nobis, dando ei tantam caritatem Dei ac proximi. Tertio, quoniam passionem Filii sui non impedivit. Sic ergo Deus voluit Christum pati per modum præcepti, cui Filius promptissime obedivit.

ARTICULUS LIX.

1. *Cur Christus a gentibus passus sit.* 2. *An occisores ejus eum noverint.* 3. *De gravitate excessus eorum.*

Quæstio 47. 1. FIGURATUS vero est in Christi passione suæ passionis effectus. Fructus namque passionis Christi primo in
A Judæis pullulavit atque receptus est, et per prædicationem Judæorum credentium ad gentes pervenit. Et ergo passio Christi a Judæis exordium habuit ; sed gentiles eum finaliter occiderunt. Quod autem Judæi dicebant, Nobis non licet interfice- *Joann.* xviii, 31. re quemquam, referendum est ad tempus festivitatis illius paschalis, secundum Augustinum : vel verius dicitur quod a Romanis interdicta eis exstitit occidendi potestas.

2. Præterea, sicut diaboli, ita et majores
B Judæorum, videlicet sacerdotes et principes atque legisperiti, cognoverant Jesum esse Christum in lege promissum. Videbant enim omnia de Christo prædicta in eo impleri, et certissima signa conspexerant. Neutri tamen eorum sciebant mysterium divinitatis ejus. Et ideo Apostolus dicit, quod si cognovissent, nunquam Do- *I Cor.* ii, 8. minum gloriæ crucifixissent. Sed illa eorum ignorantia non eos excusat, quia affectata erat, atque ex invidia orta est. Videbant namque signa soli Deo possibilia ab eo
C fieri, nec verbis quibus se Filium Dei asseruit, credere voluerunt. Minores autem inter Judæos, videlicet populus indoctus, non cognovit eum esse Christum. Et si interdum dubitabant, vel aliqui credebant, tamen a majoribus subvertebantur, ne crederent. Dicunt autem Chrysostomus et Beda, quod etiam majores Judæorum noverunt eum esse Filium Dei.

3. Itaque ex prædictis innotescit, quod peccatum sacerdotum ac principalium in populo Judæorum Christum occidentium
D erat gravissimum : tum ex genere peccati, quoniam Christum interemerunt ; tum ex malo affectu, quoniam propter invidiam noluerunt advertere eum esse Christum Filium Dei : quod tamen sciebant. Peccatum vero minorum non fuit adeo grave, quia per ignorantiam aliquo modo excusabatur. Pilatus quoque minus peccavit quam Judæi, quia timore Cæsaris eum occidit. Milites vero quoniam de mandato præsidis eum peremerunt, minus omnibus peccaverunt. Sed et Judas qui Chri-

stum ex avaritia prodidit, plus Pilato ejusque ministris peccavit.

ARTICULUS LX.

1. *Utrum passio Christi sit causa nostræ salutis per modum meriti.* 2. *An per modum satisfactionis.* 3. *An per modum sacrificii.* 4. *An per modum redemptionis.* 5. *An esse redemptorem sit proprium Christo.* 6. *An nostram salutem causaverit passio ejus per modum efficientiæ.*

Quæstio 48. 1. GRATIA denique Christo homini collata est, non solum tanquam singulari personæ, sed velut capiti universalis Ecclesiæ. Gratia ergo Christi sic se habet ad eum et ad membra ipsius, quemadmodum gratia alterius ad se ipsum. Sicut igitur alius quilibet gratiam habens, si propter justitiam patitur, sibi ipsi salutem meretur; sic Christus propter justitiam patiendo, non solum sibi corporis glorificationem, sed nobis quoque salutem promeruit. Imo a primo suæ conceptionis instanti felicitatem nobis promeruit : quam tamen consequi nequibamus propter impedimenta reatus peccatorum nostrorum, propter quæ delenda Christus pati dignatus est.

2. Insuper, per modum satisfactionis pro alio quis exsolvit, qui offenso impendit id quod tantum vel plus amat quam illatam injuriam odiat. Et hoc modo pro nobis Christus Patrem placavit, nostramque salutem effecit. Passio enim ejus Patri gratissima fuit, et gratior quam exigeret recompensatio totius generis humani : primo, propter fervorem suæ caritatis, ex qua morti se obtulit; secundo, propter dignitatem vitæ suæ, quam pro nobis ponebat, quæ fuit vita Dei et hominis; tertio, propter generalitatem et acerbitatem suæ passionis, quemadmodum dictum est ante.

3. Amplius, secundum Augustinum decimo de Civitate Dei, sacrificium est omne quod Deo ad ejus honorem impenditur ut placetur. Suntque in omni sacrificio quatuor attendenda, videlicet quis offerat, pro quo offerat, cui offerat, et quid offerat. Quoniam ergo Christus se ipsum pro nobis Patri in ara sanctæ crucis obtulit ex caritate mira ad nos, quatenus reconciliaret nos Deo, patet quod sit causa nostræ salutis per modum sacrificii.

4. Amplius, per peccatum obligatur homo duplici servitute, videlicet culpæ et pœnæ. Qui enim peccat, servus est peccati, et debitor pœnæ luendæ. Quoniam igitur passio Christi sufficiens et supersufficiens fuit ad satisfaciendum tam pro peccato hominis, quam pro reatu pœnæ ejus, sequitur quod passio Christi sit causa nostræ salutis per modum redemptionis. *Joann.* VIII, 34.

5. Præterea, ad redemptionem duo exiguntur, videlicet actus solutionis et pretium solutum. Christus autem ut homo, horum utrumque Deo exhibuit : nam ipse obtulit, sed et se ipsum obtulit Patri. Et ergo horum utrumque ad Christum immediate pertinet. Sed ad Deum Trinitatem hæc pertinent tanquam ad primam principalemque causam. Esse ergo redemptorem, immediate Christo est proprium : quamvis redemptio Deo possit ut primæ causæ adscribi.

6. Conformiter ipse Deus Trinitas, nostræ salutis est causa efficiens principalis, et passio Christi velut causa instrumentalis, ex divinitate Verbi Christo homini unita efficaciam sumens immensam. Passio autem Christi ad divinitatem relata, agit per modum efficientis ; relata ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti ; relata ad Christi carnem, per modum satisfactionis, prout per eam liberamur a pœnæ reatu. Agit quoque per modum redemptionis, in quantum per eam liberamur a servitute peccati ; per modum vero sacrificii agit, secundum quod per eam reconciliamur Deo.

ARTICULUS LXI.

1. *Quod per Christi passionem redempti simus a peccato,* 2. *a potestate diaboli,* 3. *a pœnæ reatu.*

Quæstio 49. 1. PASSIO igitur Christi nostra peccata delevit tripliciter, scilicet : per modum redemptionis, et sicut efficiens instrumentale, ut dictum est ; tertio autem, per modum provocantis ad caritatem, per quam omnia peccata donantur. Ex hoc enim quod Christus nos ita prævenit, diligendo nos, ac patiendo pro nobis, ad eum redamandum accendimur sancto amore,
1 *Petr.* iv, 8. qui operit multitudinem peccatorum. Sed quoniam passio Christi est causa universalis et indeterminata nostræ salutis, oportet ut singulis per convenientem modum particulariter applicetur, ad consequendum suum effectum. Hæc vero applicatio fit per fidem ac sacramenta Ecclesiæ.

2. Præterea circa potestatem quam dæmon exercuit in hominibus ante Christi passionem, tria pensantur : primo, hominis culpa, per quam homo meruit subdi diabolo ; secundo, Dei justitia, qui hoc juste permisit ; tertio, perversa voluntas diaboli, qui homines a salute impedire non destitit. Quantum autem ad primum istorum, liberamur per Christi passionem a potestate diaboli, prout passio ejus dicitur remissio peccatorum ; quantum ad secundum, in quantum passio ejus reconciliavit nos Deo ; quantum vero ad tertium, per hoc quod dæmon potestatem suam in eum exercuit qui peccatum non habuit, scilicet in Christum, ejus mortem procurando. Quia enim non debitorem invasit, debitores amisit, secundum Augustinum.

3. Denique per Christi passionem liberati sumus a reatu peccati directe et indirecte : directe, quoniam passio ejus supersufficiens erat ad satisfaciendum pro universis peccatis ; indirecte autem, per hoc quod passio ejus est causa remissionis culparum, in quibus fundatur pœnæ
A reatus. Sed hunc Christi passionis effectum necesse est nobis applicari per modum prætactum. In Baptismo enim omnia peccata dimittuntur ; per Pœnitentiam vero dimittuntur peccata in virtute meriti passionis Christi.

ARTICULUS LXII.

1. *Quod per Christi passionem Deo reconciliati simus.* 2. *Quod etiam per eam janua regni aperta sit.* 3. *An Christus per passio-*
B *nem sui exaltationem promeruerit.*

1. RECONCILIATI quoque dicimur Deo *Rom.* v, 10.
per passionem Christi, tum quoniam passio ejus est deletiva peccati, tum quia effectus sacrificii est illum cui offertur, placare.

2. Denique clausio januæ regni est quoddam obstaculum ingressum vitæ æternæ impediens. Hoc autem obstaculum ex peccato causatur, tam originali quam actuali. A peccato autem originali redempti su-
C mus per mortem Christi, tam quantum ad culpam, quam quoad pœnæ reatum, ipso pretium pro nobis solvente. A peccatis vero actualibus passio Christi nos liberat, per hoc quod Christo et merito suæ passionis conjungimur per fidem et caritatem ac sacramenta. Idcirco per passionem Christi aperta est nobis janua regni. Nam ante passionem Christi nemo Sanctorum beatitudinem adipisci valebat, quamvis pro propriis culpis satisfecisset. Reatus enim totius naturæ ex originali
D peccato proveniens, non nisi per Christum deleri potuit.

3. Porro meritum quamdam æqualitatem justitiæ signat. Sicut autem justum est, ut qui sibi plus usurpat vel tribuit quam debitum est, diminutionem sustineat in his quæ sua sunt (quemadmodum in veteri lege, qui unam ovem furabatur, *Exod.* xxii,
reddidit quatuor) ; sic justum est, ut is 1.
qui minus sibi assumit vel tribuit quam possit et debitum est, additionem recipiat : sicut qui se humiliat, exaltationem

sortitur. Christus vero in sua passione humiliavit se infra suam dignitatem in quatuor : primo, quantum ad passionem et mortem, cujus debitor non fuit ; secundo, quantum ad locum : nam corpus positum est in sepulcro, anima in inferno ; tertio, quantum ad confusionem et opprobria ; quarto, quoniam traditus est potestati humanæ ac tenebrarum. Idcirco per suam passionem meruit exaltationem in quatuor : primo, quantum ad resurrectionem gloriosam ; secundo, quantum ad ascensionem in cœlum ; tertio, quantum ad consessum in dextera Patris, et manifestationem suæ divinitatis ; quarto, quoad judiciariam potestatem sibi collatam, quemadmodum Job tricesimo sexto habetur : Causa tua quasi impii judicata est ; causam judiciumque recipies.

ob xxxvi,

ARTICULUS LXIII.

1. *Quod conveniens fuerit Christum mori.* 2. *An per mortem fuerit soluta in eo unio divinitatis et carnis.* 3. *An unio quoque divinitatis et animæ.* 4. *An Christus in triduo mortis fuerit homo.* 5. *An corpus ejus fuerit idem numero vivum ac mortuum.* 6. *Utrum mors Christi operata sit aliquid ad nostram salutem.*

ÆSTIO 50.

1. AMPLIUS autem, Christus mortuus est : primo, ut sua nos morte satisfaciendo a debita morte redimeret (qui enim pro alio satisfacit, si pœnam alteri debitam ipse subit, plenissime satisfacit) ; secundo, ut veritatem naturæ humanæ ostenderet in se ; tertio, ut nos a mortis formidine liberaret ; quarto, ut daret nobis exemplum spiritualiter moriendi mundo ac vitiis.

2. Adhuc, quæ ex gratia conferuntur, sine culpa non auferuntur. Gratia autem unionis in Christo major fuit gratia adoptionis in aliis. Quum ergo unio quæ est per gratiam adoptionis, nulli sine peccati demerito auferatur : patet quod in Christo, qui omnis peccati est expers, non sit ablata per mortem unio divinitatis et carnis, quæ est unio secundum personam. Sed, anima a corpore separata, permansit caro Verbo secundum hypostasim seu divinitati unita, secundum Damascenum tertio libro.

3. Propter eamdem vero rationem, anima Christi divinitati unita remansit in triduo mortis. Quod autem Christus dixit Joannis decimo, Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam, secundum Augustinum, dixit ratione carnis, quæ in virtute Verbi cui fuit unita, animam suam posuit per separationem in morte. Divinitas enim non posuit animam, sed semper ei mansit conjuncta. Anima quoque Christi non posuit se ipsam, quia separata a se ipsa non fuit.

Joann. x, 18.

4. Præterea, remoto superiori, removetur inferius. Quum ergo Christi corpus in triduo mortis non fuerit animatum vel vivum, non fuit Christus tunc homo. Item, de ratione mortis est, quod auferat esse substantiale : et ergo Christus vere mortuus, non permansit homo. Et hujus oppositum dicere, error est contra fidem. Quidam vero verba erroris dixerunt sine sensu contrario fidei, ut Hugo de S. Victore, qui asserebat Christum in triduo mortis fuisse hominem, quia putavit hominem esse animam rationalem. Magister quoque Sententiarum tertio libro idem affirmat ; sed alia ratione. Æstimavit quippe sufficere ad hoc quod aliquid sit homo, ut habeat animam rationalem et corpus sibi unita, sive caro et anima sint sibi invicem counita, sive non.

5. Insuper, aliquid dicitur idem dupliciter. Primo, simpliciter : et sic illud est idem numero, quod est idem supposito. Sicque corpus Christi fuit idem simpliciter vivum ac mortuum, quia hypostasis Verbi permansit semper ejus persona seu subsistentia. Secundo, dicitur aliquid idem totaliter. Et sic corpus Christi ante passionem et in triduo mortis non fuit numero idem, quum vita sit aliquid de essentia corporis viventis : nam animatum est ejus essentiale prædicatum. Si ergo corpus

Christi fuisset totaliter idem, non esset Christus veraciter mortuus : quod est hæresis Gaianitarum, secundum Isidorum. Dicit autem Damascenus tertio libro, quod corruptio uno modo importat separationem carnis ab anima : et sic corpus Christi fertur corruptum ; alio modo, perfectam resolutionem in elementa : sicque caro Christi non vidit corruptionem.

6. At vero de morte Christi possumus loqui : vel, prout est *in fieri,* utpote secundum quod per passionem aliquis tendit in mortem. Sic vero idem est loqui de Christi passione ejusque morte. Et ergo sicut passio Christi fuit nostræ causa salutis, ita et mors hoc modo accepta. Secundo, consideratur mors Christi ut *in facto esse,* prout videlicet separatio animæ a corpore facta est. Et ita mors Christi est causa nostræ salutis, non per modum meriti, sed efficientiæ, propter unionem Verbi manentem. Unde propter virtutem divinitatis unitæ, salutiferum nobis fuit quidquid circa corpus Christi mortuum factum narratur. Proprie autem mors Christi est causa destructionis nostræ mortis, tam carnis quam animæ. Proprie enim consideratur effectus secundum similitudinem suæ causæ.

ARTICULUS LXIV.

1. *Utrum conveniens fuerit Christum sepeliri.* 2. *De modo sepulturæ Christi.* 3. *An corpus Christi fuerit in sepulcro resolutum.* 4. *De tempore quo fuit in sepulcro.*

Quæstio 51. 1. BENE quoque conveniens fuit ut Christus sepeliretur : primo, ut vere mortuus probaretur ; secundo, ut sepultis spes resurgendi daretur ; tertio, ut nos ejus exemplo spiritualiter sepeliamur.

2. Congruenter autem a nobilibus, utpote Joseph ab Arimathæa et Nicodemo principe Judæorum, Christus sepultus est,
Is. xi, 10. juxta illud Isaiæ : Erit sepulcrum ejus gloriosum. Sepelierunt autem eum, sicut moris est sepelire Judæis, scilicet aroma- A tibus conditum, ne caro ejus cito resolveretur. Per quæ mystice figuratur devotio Christifidelium. Et myrrha ac aloes, quæ amara sunt, amaritudinem pœnitentiæ præsignabant, per quam Christus manet in nobis et in mentibus nostris sepultus. Sepultus est etiam Christus in horto, ad insinuandum quod per mortem ipsius liberamur a peccato et morte Adæ, qui in horto paradisi transgressus est. Positus vero est in monumento novo, ne si cum aliis sepeliretur, non ipse, sed alius re- B surrexisse putaretur.

3. Denique non decuit corpus Christi in monumento resolvi. Resolutio enim hujusmodi ex infirmitate naturæ corporis contingit, quæ non sufficit corpus servare illæsum. Quoniam igitur corpus Christi post separationem mansit divinitati unitum, resolvi non potuit.

4. Porro in sepulcro jacuit corpus Christi per duas noctes, ad significandum quod per ejus mortem liberamur a duplici morte, videlicet carnis et animæ. Sed quia C mors Christi provenit, non ex peccato, sed caritate ipsius, idcirco per unam diem in sepulcro fuit. Quod vero dicitur Christus in sepulcro fuisse tribus diebus tribusque noctibus, intelligendum est ponendo partem pro toto. Secundum Augustinum vero quarto de Trinitate, Christus diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet atque de tenebris aliquid remanet. Unde quod Gregorius asserit Christum media nocte resurrexisse, non est referendum ad æqualem divisionem noctis in D suas partes ; sed propter has tenebras quæ ad noctem pertinebant, hoc dixit.

ARTICULUS LXV.

1. *Cur Christus ad infernum descenderit.* 2. *Ad quem infernum descenderit.* 3. *An totus ibi fuerit.* 4. *An aliquam moram ibi traxerit.*

1. CONGRUUM insuper fuit Christum ad infernum descendere : Primo, Quæstio 52.
quoniam ipse venit nostram pœnam por-

tare. Ex peccato autem meruit homo, non A solum mortem corporis, sed et descensum ad inferos. Sicut igitur Christus mori voluit ut nos a morte eriperet; sic ad infernum descendit quatenus nos ab hoc descensu redimeremur. Secundo, ut suos illic detentos educeret, juxta illud Zachariæ nono : Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Tertio, quatenus sicut potestatem suam ostendit in terra, docendo et operando, sic in inferno eamdem monstraret, ipsum spoliando.

Zach. IX, 11.

2. Præterea anima Christi solummodo ad infernum justorum descendit secundum essentiam; sed ad quemlibet infernum descendit quantum ad effectum, damnatos de sua incredulitate atque malitia confutando, in purgatorio exsistentes majori spe confortando. Sed sanctos qui pro solo originali peccato tenebantur in limbo, visitavit, infundens eis lumen gloriæ æternæ : quatenus sicut visitabat eos secundum deitatem per spiritualem gratiam, sic secundum animam visitaret eosdem per loci descensum.

3. Porro, secundum Augustinum, Christus totus fuit in sepulcro, totus in inferno : nam masculinum genus ad personam refertur. Ipsum autem Verbum est persona animæ et corporis Christi; et nec anima nec corpus pars est hujus personæ increatæ. Quoniam ergo Verbum mansit animæ corporique conjunctum in triduo mortis, Christus totus fuit in inferno, et totus in tumulo.

4. Amplius, propter eamdem rationem D qua dictum est corpus Christi jacuisse in sepulcro per duas noctes et integrum diem, credendum est animam ejus tantumdem in inferno fuisse. Mox tamen dum infernum ingressus est Christus, omnes sanctos in limbo luce gloriæ illustravit. Sed mansit cum eis, quatenus simul educeretur anima ejus de inferno et corpus de monumento. Unde quod Christus latroni promisit, Hodie mecum eris in paradiso, de spirituali paradiso est dictum, in quo omnes qui divina gloria perfruuntur, consistunt.

Luc. XXIII, 43.

ARTICULUS LXVI.

1. *Utrum Christus liberaverit sanctos patres de inferno.* 2. *An etiam damnatos.* 3. *An et pueros in originali peccato defunctos.* 4. *An eos quoque qui in purgatorio erant.*

1. SANCTOS præterea patres Christus de inferno redemisse dicitur : tum quia B de dolore qui ex dilatione boni optati causatur, eos eripuit; tum quia beatitudinem ipsis infudit merito suæ passionis, delens reatum pœnæ originalis peccati, propter quem dilationem gloriæ patiebantur, quamvis pro actuali peccato satisfecerant.

2. Insuper, patuit quod meritum passionis Christi applicatur hominibus per fidem caritate formatam et sacramenta. Et ideo Christus nec infideles nec injustos de inferno redemit : quamvis omnes aliquo C modo visitaverit. Nam visitatio quandoque accipitur in malum, secundum illud Sophoniæ primo : Visitabo super viros defixos in fæcibus suis. *Soph.* I, 12.

3. Rursus, quoniam nemo capax est fructus seu meriti passionis dominicæ, nisi aliquo modo sit Christo conjunctus; idcirco pueri in originali peccato defuncti, non sunt liberati per Christum : non enim caritatem vel gratiam habuerunt, nec fidem, quoniam nec fide propria, nec fide parentum, nec aliquo fidei sacramento Christo uniti fuerunt.

4. At vero passio Christi, non utique temporalem vel transitoriam habet virtutem, sed sempiternam, secundum illud ad Hebræos decimo : Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. *Hebr.* X, 14. Passio igitur Christi non habuit majorem liberandi efficaciam tunc quam nunc. Unde quos Christus tales in purgatorio reperit, quales sunt qui modo in ipso purgantur atque tenentur, non liberavit suo descensu, quia (ut dictum est) non operabatur

nisi in virtute meriti suæ passionis. Illos tamen de purgatorio eduxit, qui sufficienter purgati fuerunt, vel educi Christo veniente meruerunt dum in sæculo isto vixerunt, videlicet propter specialem devotionem, dilectionem ac fidem ad Christi passionem : sicut ex epistola Augustini ad Evodium elici potest.

ARTICULUS LXVII.

1. *De necessitate,* 2. *de tempore,* 3. *de ordine,* 4. *de causa resurrectionis Christi.*

Quæstio 53. 1. QUINQUE autem de causis necessarium fuit Christum resurgere : primo, propter commendationem divinæ justitiæ, cujus est eos erigere qui se ipsos propter Deum humiliant; secundo, propter fidei nostræ instructionem circa divinitatem Christi, quæ per ejus resurrectionem manifestata consistit; tertio, ad erigendam spem nostram, ut sperent id membra quod credunt completum in capite; quarto, ad informationem spiritualis vitæ, quatenus nos spiritualiter resurgendo, in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* vi, 4.); quinto, ad consummationem nostræ salutis : resurrexit enim propter justificationem nostram (*Ibid.* iv, 25.).

2. Præterea congruum fuit ad instruendum fidem, quatenus die tertia Christus resurgeret. Si enim ante surrexisset, posset videri quod vere mortuus non fuisset. Non enim potest esse, quin in homine non mortuo infra tres dies aliqua signa vitæ appareant. Si vero resurrectionem usque ad finem mundi distulisset, divinitatis suæ cognitio latuisset : et ergo ob eam declarandam oportuit eum cito resurgere. Ponitur quoque triplex status Sanctorum : primus, sub figuris legis; secundus, sub fidei veritate; tertius, in æterna jucunditate. Et ergo tertia die Christus surrexit. Quemadmodum autem ante Christi passionem dies a tenebris ad lucem computantur, propter futuram tunc hominis A reparationem ; sic post Christi mortem dies a nocte sumit initium.

3. Præterea resurrectio duplex est, scilicet : imperfecta, quæ est solum ab actuali morte, ut vivere incipiat quocumque modo qui mortuus fuit. Alio modo dicitur resurrectio perfecta, per quam mortuus non jam dumtaxat a morte, sed et a necessitate, imo et possibilitate moriendi eripitur. Christus ergo dicitur primitiæ resurgentium (1 *Cor.* xv, 20.) vel primus resurgens, loquendo de resurrectione perfecta, non autem loquendo B de resurrectione imperfecta. Nam Elias unum mortuum, et ipse Christus tres ante passionem, suscitaverunt, qui iterum omnes dormierunt. Sed de his qui cum Christo surrexerunt, est duplex opinio, an iterum mortui sint. Quod si dicantur non denuo mortui, tunc non surrexerunt ante Christum. Si autem quis asserat quod dormierunt iterum in morte, sicut Augustinus in epistola ad Evodium videtur sentire efficaciterque probare ; tunc dici potest, quod tempore mortis Christi surrexerint.

C 4. Amplius, quum Patris ac Filii una sit virtus, sicut Pater suscitavit Christum, sic et Christus in quantum Deus, suscitavit se ipsum. Loquendo autem de anima et corpore secundum virtutem eorum propriam et creatam, unum non reunivit se alteri. Sed considerando utrumque prout Verbo mansit unitum, sic corpus ratione divinitatis unitæ resumpsit animam quam deposuit, et anima resumpsit corpus quod dimisit.

D

ARTICULUS LXVIII.

1. *Utrum Christus post resurrectionem habuerit corpus verum.* 2. *An gloriosum.* 3. *An integrum.* 4. *De cicatricibus corporis sui.*

1. SICUT Damascenus testatur, illius est resurgere, quod cecidit. Sicut ergo Christus ante passionem verum corpus habebat; ita oportet quod cum vero corpore resurrexit, si vere resurrexisse credatur. Quod autem corpus ejus januis clausis ad Quæstio 5 Joann. x 26.

discipulos introivit, divina virtute fuit. Sciendum quoque, quod corpora Beatorum erunt spiritualia, id est spiritui per omnia subdita, ejusque voluntati in cunctis subjecta. Et ergo in potestate habentis corpus gloriosum est, ut se permittat videri, vel quod non videatur. Sic ergo Christus post resurrectionem, ratione corporis gloriosi, quando voluit, videbatur; et quando voluit, non videbatur, videlicet quia corpus ejus non immutavit visum alterius, quamvis præsentis : quod tamen habebat, non solum ex conditione corporis gloriosi, sed propter deitatem unitam, cujus virtute conferri potest corpori non glorioso, ut videatur et non videatur, secundum voluntatem propriæ animæ : sicut de B. Bartholomæo habetur. Unde Christus ex oculis discipulorum evanuit : non quod corrumperetur vel resolveretur in aliqua invisibilia; sed quoniam propria voluntate desiit ab eis videri, vel eo præsente, vel propter dotem agilitatis se abscondente. Rursus, Christus post resurrectionem non mutavit proprii vultus effigiem, quantum ad lineamenta naturalis figuræ. Accepit autem in resurrectione gloriæ claritatem. Non tamen discipulis in forma gloriosa apparuit; sed in ejus potestate fuit, ut ex suo adspectu formaretur in visu intuentium quæcumque forma ei placuerat.

Luc. xxiv, 1.

2. At vero Christus in corpore glorioso surrexit. Nam resurrectio ejus est nostræ futuræ resurrectionis (in qua corpora gloriosa habebimus) exemplar et causa. Secundo, quoniam per suam passionem meruit corporis glorificationem. Tertio, quia quod corpus Christi ante passionem gloriosum non fuit, anima ejus beata atque gloriosa exsistente, ex divina dispensatione fuit, quatenus impleretur nostræ redemptionis mysterium. Illo ergo completo per mortem, confestim gloria animæ Christi redundavit in corpus sibi denuo copulatum : et ergo gloriosum mox fuit in ipsa resurrectione. — Advertendum autem, quod dicitur corpus esse palpabile, A non solum ratione resistentiæ, sed ratione spissitudinis suæ. Ad rarum vero et spissum sequuntur grave et leve, calidum, frigidum, atque alia contraria, quæ ad corruptionem disponunt. Idcirco, ut ait Gregorius, necesse est corrumpi, naturaliter loquendo, quod tactu humano est palpabile. Si vero sit corpus tactui quidem resistens, sed prædictas qualitates, quæ sunt tactus objectum, non habens, ut est corpus cœleste, illud non potest dici palpabile. Sed corpus Christi post resurrectio- B nem ex elementis constabat, prædictasque qualitates habebat : et ideo naturaliter palpabile fuit. Quod autem incorruptibile fuit, ex beatitudine animæ redundavit : quoniam secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum, tam potenti natura fecit Deus animam, ut ex ejus plenissima fruitione seu beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor.

3. Adhuc autem, Christus in corpore integro, id est, cuncta habente quæ ad C naturalem hominis consistentiam veritatemque pertinent, resurrexit. Et ergo post resurrectionem carnem et ossa ac sanguinem habuit, sicut et ante. Cujus oppositum ponit Eutyches Constantinopolitanæ urbis episcopus, asserens corpora Beatorum vento ac aere subtiliora futura. Quod vero dicitur, Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, non de carnis sanguinisque natura, sed corruptione et culpa accipi par est. Unde totus sanguis qui de Christi corpore fluxit, in eo resurrexit : D similiter omnes particulæ corporis ejus. Sanguis autem qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conservatur, non emanavit de corpore Christi, sed de quadam imagine ejus percussa.

I *Cor.* xv, 50.

4. Præterea Christus in suo corpore cicatrices retinere manereque voluit : primo, in signum sui triumphi; secundo, ad confirmationem discipulorum ac fidei; tertio, ut Deo Patri pro nobis eas ostendat; quarto, ut omnes electi semper in patria videant quam misericorditer atque amo-

rose redempti sint; quinto, ut eas in die judicii ingratis ac perfidis ad eorum confusionem et ad suam commendandam justitiam repræsentet, secundum Ambrosium in libro de Symbolo. Hæ ergo cicatrices perfectioni et integritati corporis Christi non derogant, sed corpus ejus ornant atque perficiunt; et in æternum in Christo manebunt, secundum Gregorium.

ARTICULUS LXIX.

1. *Quibus Christus post resurrectionem apparere debuerit.* 2. *An discipulis videntibus eum resurgere decuerit.* 3. *Cur cum discipulis post resurrectionem conversatus sit.*

Quæstio 55. 1. LEX denique divinitus instituta hoc exigit, ut ea quæ naturalem cognitionem transcendunt, non immediate omnibus revelentur; sed primo quibusdam superioribus, et per illos aliis. Resurrectio autem Christi, quia ad futuram beatitudinem ordinatur, naturalem atque communem notitiam superat. Ideoque resurrectio Christi omnibus manifestari non debuit, sed quibusdam electis, testibus scilicet præordinatis a Deo, atque per illorum prædicationem aliis revelari. (*Act.* x, 40, 41.)

2. Propter eamdem quoque rationem non decuit, ut aliquis discipulorum Christum videret resurgere. Resurrexit enim ad vitam immortalem ac deiformem. Sed Dionysio teste, ea quæ supra hominem sunt, hominibus per angelos ex divinæ sapientiæ ordinatione panduntur. Et ergo angeli qui Christi resurrectionem conspexerunt, eam discipulis revelaverunt : primoque feminis, quatenus sicut femina viro mortis introitum intulit, sic a femina vitæ ostium, id est Christus resurgens, nuntiaretur viris. Ascensionem tamen Christi discipuli viderunt, quia ascensio quantum ad terminum a quo, non excedit naturalem notitiam, sed quoad terminum ad quem. Et ergo discipuli adspexerunt qualiter elevabatur a terra, non autem qualiter recipiebatur in cœlo. Sed resurrectio quantum ad utrumque terminum naturalem excessit notitiam. Quantum enim ad terminum a quo, anima rediit de inferno et corpus exivit de clauso sepulcro; terminus vero ad quem, erat vita gloriosa. Et ergo resurrectionem nullo modo viderunt.

3. Porro post resurrectionem Christi duo erant manifestanda discipulis, scilicet : veritas resurrectionis : et hæc satis ostensa est eis per hoc quod Christus frequenter apparuit; et gloria resurgentis : quæ et ipsa requirebat ut Christus non continue sed sæpe conversaretur ac esset cum suis, ne omnino putaretur ad talem vitam resurrexisse, qualem ante habebat quum esset cum eis, non solum per præsentiam corporalem, sed etiam per carnis mortalitatem. Et ideo Christus per illos dies quadraginta non semper erat cum discipulis. Verum, ubi interim corporaliter fuit, nescitur, quum Scriptura illud non asserat, atque in omni loco ac tempore sit dominatio ejus.

ARTICULUS LXX.

1. *An Christus in aliena effigie apparere debuerit.* 2. *An per argumenta probare debuerit suam resurrectionem.* 3. *De sufficientia argumentorum illorum.*

1. RESURRECTIO insuper Christi ita debuit manifestari hominibus, sicut revelantur divina, videlicet secundum capacitatem seu dispositionem ac modum illorum quibus revelabatur. Unde habentibus mentem bene dispositam revelantur divina secundum apertam veritatem; aliis vero cum quadam imperfectione, et ergo ipsi percipiunt eam cum quodam errore. Et ideo Christus post resurrectionem quibusdam apparuit in propria effigie; aliis qui jam hæsitabant et nutabant in fide, in effigie aliena : in qua tamen fallacia vel falsitas nulla fuit, quia per alienam effigiem introducti sunt ad veram Christi notitiam. Dicit autem Augustinus in epistola ad Hieronymum, quod si vel unum mendacium in sacra Scriptura recipiatur, infirmabitur tota Scripturæ auctoritas. Quod

Luc. xxiv, 28. vero de Christo habetur, Finxit se longius ire, falsitatem nullam continuit. Non enim quælibet fictio est mendacium, secundum Augustinum, sed illa quæ ad nihil significandum assumitur.

2. Denique argumentum uno modo vocatur ratio rei dubiæ faciens fidem. Sicque Christus resurrectionem suam non probavit argumentis, quoniam tale argumentum procedit ex aliquibus per se notis. Secundo, argumentum vocatur quodcumque sensibile signum inductum ad veritatis declarationem. Et ita Christus per varia argumenta discipulis se veraciter resurrexisse ostendit. Meritum autem fidei inde procedit, quod homo ex divino præcepto credit quæ non videt. Et ergo illa ratio fidei meritum tollit, quæ facit per scientiam videri id quod credendum proponitur : qualis est ratio demonstrativa.

3. Præterea Christus suam resurrectionem manifestavit testimonio et argumento : testimonio quidem, tam angelorum quam Scripturæ; argumento quoque, ostendens se habere corpus verum ac solidum, puta palpabile ; item, quod esset corpus humanum et idem numero, ostendendo propriam suam effigiem et cicatrices. Rursus, ex parte animæ corpori reunitæ idem ostenditur : primo, per opera animæ vegetativæ, comedendo atque bibendo; per opera quoque animæ sensitivæ, ad interrogata respondendo, et se ipsum ostendendo (in quo probavit se audire ac videre); item, per opera animæ intellectivæ, disserendo de Scripturis, et sensum eis aperiens. Divinam vero naturam suam ostendit in miraculis, captura piscium, ascensu in cœlum, atque similibus.

ARTICULUS LXXI.

1. *Quod resurrectio Christi sit causa nostræ resurrectionis.* 2. *Quod eadem causa sit nostræ justificationis.*

Quæstio 56. 1. Est autem primum in quolibet genere, causa secundorum ejusdem generis : sicut primum lucidum est causa lucis in aliis. Quum ergo sit Christus primitiæ resurgentium et primus resurgens ex mortuis, secundum Apostolum, I Cor. xv, 20. patet quod ejus resurrectio sit causa nostræ resurrectionis. Item, primus agens primitus agit in id quod sibi magis conjunctum est. Quoniam ergo Verbum Dei fons vitæ est, primo vivificat naturam quam assumpsit in unitatem personæ, et alios per eam. Unde divina voluntas seu virtus est causa prima ac principalis nostræ resurrectionis. Sed resurrectio Christi est causa secundaria ac instrumentalis ejusdem ; estque resurrectio Christi causa nostræ resurrectionis, non proprie meritoria, sed efficiens et exemplaris, cui configuranda erit resurrectio nostra futura.

2. At vero, quoniam resurrectio Christi agit ut instrumentum divinæ virtutis Verbi naturæ humanæ uniti; idcirco non solum est causa resurrectionis corporum, sed et animarum etiam exemplaris. Debemus enim spiritualiter cum Christo resurgere ad imitationem suam, erigendo nos ab inferioribus ad superna. Verbum enim Dei causa est gratiæ, per quam est vita atque resurrectio animæ : sicut et animæ, quæ est causa corporeæ vitæ.

ARTICULUS LXXII.

1. *An conveniens fuerit Christum ascendere.* 2. *Secundum quam naturam ascenderit.* 3. *An propria virtute ascenderit.* 4. *An ascenderit super omnes cœlos corporeos.* 5. *An super spirituales creaturas.* 6. *De effectu hujus ascensionis.*

1. Præterea locus proportionandus est locato. Quoniam ergo corpus Quæstio 57. Christi ad vitam immortalem et gloriosam surrexit, non competebat ei locus mansionis in terra, quæ est generationis corruptionisque locus ; sed in cœlo, quod est corpus incorruptibile atque perpetuum. Et ideo congruum fuit Christum cœlos ascendere; tum propter fidem augendam, propter spem roborandam, propter caritatem accendendam ad appetendum divi-

na. Et sicut per quadraginta horas mortuus jacuit, sic per totidem dies in terris post resurrectionem moratus est. A

2. At vero ascensio ista convenit Christo secundum divinam naturam, quantum ad causam ascensionis. Humana namque natura virtute divinæ naturæ ascendit. Sed quantum ad conditionem ascendentis, sic ipsa ascensio competit Christo ratione naturæ humanæ. Divinitas enim immobilis est atque immensa; nihil ergo est ea sublimius, quo ascendere valeat.

3. Insuper, in Christo est duplex natura. B Quod autem ascendit propria virtute, ex parte divinæ naturæ non est ambiguum. Virtus vero naturæ humanæ in Christo est duplex, videlicet : naturalis, quæ consequitur essentialia principia naturæ humanæ : et per hanc Christus nequaquam ascendit. Alia autem naturæ humanæ virtus in Christo est virtus gloriæ : quæ est ex redundantia beatitudinis animæ participative in corpore, ita quod corpus in omnibus subjectum est animæ et voluntati ejus ad omnem motum, ut ubi anima C esse voluerit, ibi protinus sit corpus. Et ergo secundum hanc virtutem potest Christus dici ascendisse in cœlum.

4. Porro, quo corpora divinam bonitatem magis participant, eo superior ea locus decet. Participatio autem gloriæ omnem naturalem perfectionem excedit. Unde corpora glorificata super cœlos locanda sunt. Quum igitur Christus excellentissime glorificatus sit, decuit ut super omnes cœlos ascenderet dignitate ac loco. Dicitur ta-
Ps. x, 5. men sedes Dei esse in cœlo, non quasi D in continente, quasi sit aliqua pars cœli superior corpore Christi ; sed quasi in contento, eo quod ipse eos sub se habeat atque contineat. Ascendit autem Christus sine divisione cœlorum, quia divina virtute in corpore glorioso penetratio fit dimensionum.

5. Adhuc autem, quamvis natura humana secundum naturam inferior sit natura angelica ; tamen Christus propter unionem cum Verbo, omni spirituali creatura præstantior est. Et ergo super eam ascendisse refertur secundum dignitatem. Angeli autem non sunt in loco circumscriptive, ut corpus Christi in cœlo sub propria dimensione.

6. Quemadmodum autem resurrectio Christi causa est nostræ resurrectionis ; ita ascensio ejus est causa nostræ ascensionis atque salutis : tum quia per ejus ascensionem fides in nobis roboratur, caritas ad cœlestia incalescit, spes quoque suspirat ; tum quia Christus ascendit, ut nobis locum pararet, Patremque cœlestem pro nobis interpellaret, atque ex cœlo velut ex propria sede cœlestia nobis dona transmitteret.

ARTICULUS LXXIII.

1. *Quod Christus sedeat ad dexteram Patris.* 2. *Secundum quam naturam hoc ei conveniat.* 3. *An id sit proprium Christo.*

1. SESSIO autem duo importare potest, Quæstio 58.
videlicet quietem, ac judiciariam potestatem. Et utroque modo Christus ad *Marc.* xvi, 19.
dexteram Dei Patris sedet : nam in æternum apud Patrem manet, atque ab eo judiciariam potestatem suscepit, et ei conregnat. Et ergo, secundum Augustinum, sedere accipitur hic pro habitare, quemadmodum dicimus : Ille sedit in tali regione per tres annos. Dextera vero Patris intelligitur beatitudo ipsius. Vel secundum Damascenum, Christus sedet ad dexteram Patris, id est, honorem et gloriam divinitatis habet sicut et Pater, velut Patri æqualis. Itaque per dexteram tria possunt intelligi, scilicet honor et gloria divinitatis, beatitudo Patris, judiciariaque potestas. Sedere autem ad dexteram Patris, est ei conregnare, et ista ab eo habere.

2. Ex quo patet, quod sedere ad dexteram Patris competat Filio secundum quod Deus : quidquid enim est Filius a Patre recepit. Imo, hoc modo Spiritus Sanctus dici potest sedere ad dexteram Patris vel Filii : quamvis hæc sessio appropprietur

Filio, quia secundum Augustinum, in Patre est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque connexio. — Denique, quum dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, hæc præpositio, *ad,* quemdam accessum designat, in quo intelligitur convenientia cum aliqua distinctione. Si ergo intelligatur convenientia in natura et distinctio in persona ; sic Christus secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris : est enim utriusque una natura, sed distincta persona. Secundo, intelligi potest prædictus accessus secundum gratiam unionis. Et ita in Christo accipitur unitas in persona et distinctio in natura. Sic vero Christus ut homo, est Filius Dei naturalis, non adoptivus, et per consequens ad Patris dexteram sedens. Tertio, secundum gratiam habitualem, quæ major fuit in Christo quam in omnibus creaturis : omnium enim constitutus est rex et judex. Sic igitur Christus secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris, id est in potioribus bonis ipsius, plus de beatitudine et perfectione ejus recipiens. — Si autem designetur unitas suppositi, sic etiam Christus secundum quod homo, sedet ad dexteram Patris secundum æqualitatem honoris, in quantum eodem honore veneramur Filium Dei cum natura assumpta, secundum intellectum præhabitum.

3. Elucescit autem ex his, quod sedere ad dexteram Patris utroque modo sit proprium Christo. Ipse enim solus Patri æqualis est et præ omnibus potiora ejus bona participans. Nulli ergo angelorum vel hominum competit sessio hæc, nisi Christo.

Ratio namque judicii est lex sapientiæ vel veritatis, secundum quam judicare oportet. Quum ergo Filius sit sapientia genita Patris, et veritas Patrem perfecte repræsentans, idcirco potestas judiciaria ei proprie competit. Nam secundum Augustinum libro de Vera religione, hæc est incommutabilis illa veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. Judiciaria ergo potestas Filio appropriatur : quamvis toti superbeatissimæ Trinitati communis sit.

2. Quamvis autem judiciaria potestas conveniat Filio secundum quod Deus auctoritative ; tamen competit ei ut homo, quoad exsecutionem actus : non in quantum homo dumtaxat, sed in quantum est caput omnium hominum, cujus pedibus omnia Deus subjecit. Et hoc est : Primo, propter affinitatem Christi ad homines. Decet enim ut Deus per Christum tanquam sibi viciniorem nobisque conjunctum ut caput, alios judicet. Secundo, quoniam decet ut homines judicem suum in finali judicio videant.

3. Præterea non est inconveniens aliquid alicui ex diversis causis competere : sicut gloria corporis convenit Christo, non solum ex redundantia animæ unioneque Verbi, sed et propter meritum passionis, ut dictum est. Conformiter, licet judiciaria potestas Christo conveniat, et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem ac gratiam habitualem ; nihilo minus meruit eam secundum quamdam decentiam. Nam decet ut qui propter justitiam injuste judicatus est, judex sit aliorum.

ARTICULUS LXXIV.

1. *Utrum Christo competat judiciaria potestas.* 2. *Secundum quam naturam conveniat ei.* 3. *An meruerit eam.*

Quæstio 59. 1. AD judicium vero faciendum tria exiguntur, videlicet : potestas subditos coercendi ; zelus quoque justitiæ ; et sapientia secundum quam proferatur judicium, in qua judicii forma consistit.

ARTICULUS LXXV.

1. *An Christo conveniat judiciaria potestas ad omnes.* 2. *An præter judicium quod agitur in præsenti tempore, sit exspectandum finale judicium.* 3. *An potestas judiciaria Christi extendatur ad angelos.*

1. CHRISTUS vero omnium hominum judex est. Ipse enim pro omnibus passus est, et per ipsum omnes electi sal-

vantur. Ipse quoque omnium cordium secreta cognoscit, et maxime divinæ sapientiæ est conjunctus.

2. Porro perfectum judicium ferri non potest de aliquo ante ejus consummationem, quando non est amplius timendum de periculis ante finem evenire potentibus. Et ergo post mortem fit statim uniuscujusque judicium. Sed post mortem permanet homo secundum aliquid, pluribus modis. Primo, prout vivit in memoriis hominum, in quibus interdum contra veritatem remanet bonæ malæve famæ; alio modo, in filiis, qui sunt quasi aliquid parentum : et tamen multorum bonorum sunt mali filii, atque econtra. Tertio, quantum ad effectum studiorum seu operum suorum : quemadmodum ex deceptione Arii et hæresiarcharum pullulat error usque ad terminum sæculi, et usque tunc proficit fides ex prædicatione et doctrina aliorum. Quarto, quantum ad corpus, quod quandoque honorifice sepelitur, sæpe inhumatum relinquitur. Quinto, quantum ad ea quæ homo dilexit, videlicet temporalia bona. Omnia autem hæc subduntur divino judicio. Unde de omnibus perfectum atque manifestum judicium nequit haberi, quamdiu hic status durat. Oportet igitur esse unum generale atque finale judicium, in quo omnia plenissime judicentur quæ ad homines qualitercumque pertinent. Verumtamen, sicut Nahum primo
Nahum I, 9, juxta LXX. habetur, Deus non judicat bis in id ipsum, id est secundum idem ; sed bene secundum diversa.

3. Præterea judiciaria Christi potestas ad angelos bonos ac malos se extendit, etiam ex parte naturæ assumptæ : Primo, propter unionem cum Verbo, propter quam Christus ut homo summos angelorum illuminat, secundum Dionysium. Secundo, propter meritum humiliationis passionisque suæ, per quam meruit ut
Philipp. II, 10. omne genu cœlestium, terrestrium, ac infernorum ei flectatur. Tertio, quia est ca-
Hebr. I, 14. put hominum, ad quorum ministerium angeli emittuntur. Propter quod de ministerio angelorum habet judicare sive discernere, et de accidentali præmio quod exinde consequuntur, et ita de accidentali pœna quam dæmones nos persequendo merentur.

ARTICULUS LXXVI.

1. *An sacramentum sit in genere signi.* 2. *An omne signum rei sacræ sit sacramentum.* 3. *An sacramentum sit solum unius rei signum.* 4. *An sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.*

1. OMNIA autem quæ ad aliquid unum ordinantur, ab illo possunt denominari, quamvis differenter : quemadmodum medicina, urina, diæta, potio amara, dicuntur sana, quia ad sanitatem referuntur ; sed diversimode. Medicina namque dicitur sana, quia est causa sanitatis; diæta, quia conservat sanitatem ; urina, quia significat eam. Pariformiter, sacramentum dici potest, vel quia continet sanctitatem occultam (sicque sacramentum aliud non est nisi sacrum secretum); vel quia ordinem habet ad sanctitatem, vel causæ, seu signi, aut similis habitudinis. Nunc vero de sacramentis fit sermo, prout habitudinem signi important : et ergo sacramentum in genere signi reponitur. Unde decimo de Civitate Dei ait Augustinus, quod sacrificium visibile invisibilis sacrificii est sacramentum, id est sacrum signum. Quæstio 60.

2. Præterea signa proponuntur hominibus, quorum est ex notis ad ignotorum notitiam pervenire. Et ideo omne signum rei sacræ ad homines pertinentis, dicitur sacramentum, prout nunc de sacramento tractatur, videlicet prout ad nostram sanctificationem refertur.

3. Tria autem considerantur in sanctificatione nostra, videlicet : causa ejus, quæ est passio Christi ; forma ejus, videlicet gratia et virtutes ; finis quoque ejus, qui est vita æterna. Et omnia ista per sacramenta signantur. Ideoque sacramentum

est signum rememorativum præteriti, scilicet passionis Christi ; demonstrativum præsentis, quod in verbis efficitur per virtutem passionis Christi, videlicet gratiæ ; et prænosticum futuri, scilicet gloriæ.

4. Denique, quoniam connaturale est homini ut per sensibilia ad spiritualia manuducatur ; sacramenta, quæ sunt signa spiritualium rerum, debent esse quædam sensibiles res. Et ergo sacramentum est signum sensibile.

ARTICULUS LXXVII.

1. *An ad sacramenta requiratur determinata materia.* 2. *An significatio quoque per verba.* 3. *An verba determinata.* 4. *An verbis illis possit aliquid addi vel subtrahi.*

1. SACRAMENTUM igitur in sanctificatione consistit. Sanctificatio autem a Deo est. Non autem est in potestate hominis id quod ad Deum pertinet atque ex ejus potestate dependet. Et ideo homo non potest suo judicio quascumque res quibus sanctificationem a Deo acquirat, assumere ; sed hoc ex divina institutione oportet esse determinatum in nova lege. Sacramenta ergo determinatas sensibiles res exigunt. — Verumtamen, ut ait Augustinus contra Faustum, diversa sacramenta diversis temporibus congruunt. Unde in statu legis naturæ, nulla exsistente lege exterius data, homines solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum. Et ergo ex instinctu interiori determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus uterentur in cultu divino. Postmodum vero, propter obscurationem legis naturalis, necesse fuit dari legem scriptam : præsertim propter manifestiorem significationem gratiæ Christi. Idcirco oportuit res determinari, quibus homines uterentur in sacramentis.

2. Præterea rebus sensibilibus oportet verba adjungi in ipsis sacramentis. Sacramenta enim considerantur tripliciter : primo, ex parte causæ sanctificantis, quod A est Verbum incarnatum ; secundo, ex parte hominis, qui sanctificatur ; tertio, ex parte significationis sacramentalis. Quolibet autem modo convenit verba adjungi rebus. Nam per additionem verbi cum re sensibili conformatur sacramentum Verbo Dei unito carni. Item, virtus sacramenti non agit sine fide ; fides vero est ex auditu, ad quem pertinent verba. Rursus, verba præcipuum locum obtinent inter signa. Fuit etiam opportunum ut significatio rei sensibilis determinetur per verba. B Nam res sensibilis plura potest signare : quemadmodum aqua propter humiditatem significat ablutionem, et refrigerium propter frigiditatem. Sed quum dicitur, Ego te baptizo, insinuatur quod aqua utimur in Baptismo ad designandum spiritualem emundationem. Per verba enim quorum significatio certior est, perficitur significatio rei : sicque in sacramento ex verbo et re fit unum quodammodo, sicut ex forma atque materia. Nam in veteri lege verba addebantur sacramentis.

Rom. x, 17.

C 3. Amplius, verba in sacramentis se habent per modum formæ, res autem per modum materiæ. Forma vero est quæ distinguit et separat atque determinat unumquodque : est enim finis materiæ. Magis ergo exiguntur in sacramentis determinata verba, quam res determinatæ. In qualibet autem lingua assumenda sunt talia verba in sacramentis, quibus homines linguæ illius principalius communiusque utuntur. Advertendum quoque, quod ille qui verba sacramentalia profert corrupte ex industria, non videtur intende- D re agere quod agit Ecclesia : unde nec ipsum sacramentum perfici videtur. Sed si hoc faciat ex errore aut lapsu linguæ, ut illitterati ac balbi : si sit tanta corruptio quæ penitus aufert sensum locutionis, non videtur perfici sacramentum : et hoc maxime accidit, quando principium dictionis corrumpitur. Si autem non omnino tollatur sensus locutionis per hujusmodi corruptionem, perficitur sacramentum : quod præcipue contingit, quando

circa finem corrumpitur dictio : tunc A enim propter accommodationem usus remanet idem sensus.

4. Porro circa mutationem verborum sacramentalium duo pensanda sunt : unum ex parte proferentis ; aliud ex parte significationis verborum. Quum enim ad sacramentum requiratur intentio : si quis per diminutionem vel additionem verborum intendat novum ritum ab Ecclesia non receptum inducere, non perfici videtur sacramentum. Non enim videtur intendere facere quod facit Ecclesia. — B Item, quum verba operentur in sacramentis quantum ad sensum quem faciunt : si per prædictam mutationem tollatur debitus sensus verborum, tollitur virtus sacramenti. Quod tunc contingit, quando minuitur aliquid ad substantiam formæ sacramentalis pertinens : ut si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii. Si vero per diminutionem verborum, non mutatur substantia formæ sacramenti, perficitur sacramentum, ac si conficiens dicat, Hoc est corpus meum, C veraciter consecrat : quamvis sic dicens peccat propter negligentiam vel contemptum.

Demum, si per appositionem sensus corrumpitur, non fit sacramentum : quemadmodum Ariani, qui dicebant, Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris, etc., non baptizabant. Si vero additio debitum sensum non auferat, non tollitur virtus sacramenti : et non refert utrum additio fiat in principio, medio, aut fine. Unde si baptizans diceret, Ego te D baptizo in nomine Patris omnipotentis, et Filii ejus unigeniti, et Spiritus Sancti paracleti, nihilo minus baptizaret. Sed si adderet, Et beatæ Mariæ virginis, non esset Baptismus : si tamen intelligeret in nomine Mariæ baptizari sicut in nomine Trinitatis. Dicitur enim prima ad Corin-
I Cor. I, 13. thios primo : Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Si vero adderetur, Et beatæ Mariæ virginis, ad hunc sensum quod ejus intercessio adsit baptizato, non tolleretur Baptismus.

Pariformiter, si sit tanta interruptio in prolatione verborum, quod intercipiatur proferentis intentio, tollitur sensus sacramenti, et per consequens virtus ipsius ; non autem, si sit interruptio parva intentionem non interrumpens. Et eodem modo de transpositione verborum intelligendum est. Si namque transpositio sensum impediat, non perficitur sacramentum : ut quum negatio præponenda postponitur, vel econtra. Si autem non tollitur sensus, tunc nomina et verba transposita idem significant atque efficiunt.

ARTICULUS LXXVIII.

1. *Utrum sacramenta necessaria sint ad humanam salutem.* 2. *An fuerint necessaria ante peccatum.* 3. *An ante adventum Christi.* 4. *De tempore gratiæ.*

1. NECESSARIA denique sunt saluti humanæ sacramenta : Primo, quoniam homo, qui ex corporali materia et anima constat, indiget per sensibilia signa ad spiritualia elevari. Deus autem singulis providet secundum capacitatem atque naturam ipsorum. Secundo : nam homo per peccatum corporalibus rebus se subdidit : et ergo spiritualia in sua puritate capere non valeret animus ejus corporalibus implicatus. Tertio, quoniam naturale est homini circa corporalia versari, durumque ei consisteret si omnino ab eis abstrahere se deberet. Et ergo hanc occupationem salubrem sacramentorum circa sensibilia dedit Deus hominibus : nam et per hoc revocantur a sacris idolorum ; et se ipsos humiliare coguntur, dum vident se sensibilibus rebus ad salutem indigere, et in illis opem requirere, quatenus sic virtus passionis Christi sibi applicetur, gratiamque adipiscantur divinam. Quæstio 61.

2. Porro in statu innocentiæ homo non indiguisset sacramentis, propter originalem justitiam, per quam subdita fuit ratio

Deo, sensualitas rationi, et caro spiritui : unde perfectio animæ in scientia vel virtute non dependebat ex applicatione sensibilium rerum, sed a Deo. Ex quo patet, quod matrimonium ante peccatum institutum fuit, non sicut sacramentum, sed sicut naturæ officium : quamvis ex consequenti aliquid circa Christum significaret futurum, quemadmodum omnia alia in ejus figura præcesserunt.

3. Denique post peccatum nemo sanctificari potest nisi per Christum, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justitiæ suæ. (*Rom.* III, 25.) Oportuit ergo ante Christi adventum esse quædam sensibilia signa, quibus homines protestarentur fidem de futuro Salvatoris adventu. Hæc autem signa sacramenta vocantur. Et ergo mox post peccatum oportuit aliqua esse sacramenta.

4. At vero, sicut antiqui salvabantur per fidem Christi venturi, sic nos salvamur per ejusdem Christi præteritum adventum. Quum ergo sacramenta sint signa fidem Christi justificantem protestantia, necesse est in nova lege alia esse sacramenta a sacramentis priscorum. Aliter enim significatur futurum, aliterque præteritum. Unde Augustinus nonodecimo contra Faustum dicit, quod prima sacramenta legis erant prænuntia Christi venturi. Et iterum inquit : Sacramenta veteris legis sunt ablata ; et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et Dionysius quinto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ asserit, novam legem esse medium inter veterem legem et statum futurum. Sicut enim figuræ veteris legis implentur et veritatem sortiuntur in nova lege ; sic illa quæ nunc per speculum videmus et in ænigmate gerimus, clare ac nude in patria conspiciemus. (*I Cor.* XIII, 12.) Propter quod ad Galatas quarto, Apostolus veteris legis sacramenta appellat infirma atque egena elementa, quia nec gratiam continebant, nec dabant. (*Galat.* IV, 9.) Et igitur utentes illis dicit Apostolus sub elementis hujus mundi Deo (*Ibid.* 3.) servisse : non enim aliud erant nisi elementa.

ARTICULUS LXXIX.

1. *An sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ.* 2. *An gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum.* 3. *An sacramenta contineant gratiam.*

1. PER sacramenta præterea novæ legis Christo incorporamur, juxta illud Apostoli ad Galatas tertio : Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. (QUÆSTIO 62.) (*Galat.* III, 27.) Hæc autem incorporatio sine gratia fieri nequit. Et ergo sacramenta novæ legis, non solum sunt signa, sed etiam causa gratiæ, non autem principalis, sed instrumentalis. Solus namque Deus est causa efficiens principalis omnis gratiæ. Sacramenta vero tanquam instrumenta divinæ virtutis, causa gratiæ nominantur, in quantum ex divina ordinatione ad gratiam inducendam applicantur. Quidam tamen affirmant, quod non sunt causa gratiæ aliquid operando : quod multis Sanctorum auctoritatibus dissonat. Nam communiter dicitur, quod efficiunt quod figurant. Et Augustinus ait : Aqua corpus tangit, et cor abluit.

2. Præterea gratia secundum se considerata, immediate perficit essentiam animæ ; et sicut ab anima fluunt ejus potentiæ, ita a gratia fluunt virtutes ac dona, quibus perficiuntur potentiæ ad suos actus. Sacramenta vero ad speciales actus in vita christiana necessarios ordinantur : quemadmodum Baptismus ad spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitiis et Christi membrum efficitur : qui effectus est aliquod sacramentale speciale præter actus potentiarum animæ. Sicut ergo virtutes ac dona superaddunt gratiæ communiter dictæ quamdam perfectionem determinate ordinatam ad proprios actus potentiarum ; sic gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, et supra virtutes ac dona, quod-

dam divinum auxilium ad consequendum sacramenti finem. Sicque gratia sacramentalis addit super gratiam virtutum atque donorum.

3. Insuper, sacramenta novæ legis continent gratiam eo modo quo gratia est in eis. Est autem in eis non sicut in subjecto, sed sicut in signo et causa instrumentali ; non sicut in causa univoca, scilicet secundum similitudinem speciei ; neque secundum aliquam formam propriam permanentem ad effectum talem proportionatam, sicut effectus sunt in causis non univocis, ut generabilia in sole.

ARTICULUS LXXX.

1. *Utrum in sacramentis sit virtus gratiæ causativa.* 2. *Quod hæc virtus derivetur a passione Christi.* 3. *An sacramenta veteris legis gratiam causarent.*

1. EST ergo in sacramentis novæ legis virtus causalis gratiæ Christi, proportionata instrumento : quod non procedit in actum nisi moveatur a principali agente. Hæc ergo vis gratiæ causativa, quum sit spiritualis et instrumentalis, non habet in sacramento sensibili nisi esse fluens et incompletum ; in Deo autem habet esse completum ac fixum, in cujus virtute spiritualem effectum producit : quemadmodum vox sensibilis excitat intellectum et spiritualiter agit in eum, secundum quod ex conceptu proferentis mentali procedit. Unde hæc imperfecta virtus non est secundum se in genere, sed reducitur ad genus virtutis perfectæ.

2. Amplius, instrumentum est duplex, videlicet : separatum, ut baculus ; et conjunctum, ut manus. Instrumentum vero conjunctum movet separatum : quemadmodum manus baculum. Causa igitur principalis gratiæ sacramentalis est ipsa divinitas ; sed Christi humanitas est causa instrumentalis conjuncta ; sacramenta vero sunt causa instrumentalis separata. Et ergo a Deo per Christi humanitatem virtus sanctificativa ad sacramenta derivatur. Sacramenta autem præcipue ordinantur ad duo, videlicet : ad tollendum defectum præteritorum peccatorum, actu transeuntium et reatu manentium ; secundo, ad perficiendum animam in his quæ ad cultum christianæ pertinent religionis. Christus autem per passionem suam potissime liberavit nos non solum efficienter et meritorie, sed et satisfactorie ; initiavitque ritum hunc, offerendo [*Ephes.* v, 2.] se ipsum pro nobis. Et ergo virtus sacramentorum a passione Christi causatur : in cujus figuram de latere ejus fluxe- [*Joann.* xix, 34.] runt sanguis ad Eucharistiam pertinens, et aqua ad Baptismum respiciens, quæ sunt duo principalia sacramenta. Et quia per fidem Christus in nobis habitare asse- [*Ephes.* iii, 17.] ritur, ideo virtus sacramentorum quæ ordinatur ad delenda peccata, præcipue operatur ex fide passionis Christi.

3. Adhuc autem, sacramenta veteris legis propria virtute conferre non poterant gratiam, ut sacramenta novæ legis. Alias namque passio Christi necessaria non fuisset, secundum illud ad Galatas secundo : Si ex lege justitia, ergo Christus [*Galat.* ii, 21.] gratis mortuus est. Item, sacramenta vim justificandi recipiunt a passione Christi, secundum quod virtus passionis Christi applicatur hominibus per usum exteriorum rerum in genere causæ efficientis. Sed sic applicari non potest quod nondum fuit vel est : causam enim efficientem oportet præcedere suum effectum. Sacramenta vero veteris legis erant quædam fidei protestationes, secundum quod significabant passionem Christi, effectusque ejus. — De circumcisione quoque fuit diversa opinio. Quidam enim dixerunt, quod per eam non dabatur gratia, sed auferebatur dumtaxat peccatum. Sed hoc non valet, quia remissio culpæ non fit nisi per gratiam, juxta illud ad Romanos tertio : Justificati gratis per gratiam ipsius. [*Rom.* iii, 24.] Alii ergo dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remotivos peccati, sed non quo-

ad effectus positivos. Hoc vero stare non potest, quia per circumcisionem dabatur facultas perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus positivus effectus. Alii vero dixerunt, quod per circumcisionem præstabatur gratia quantum ad aliquem effectum positivum, videlicet ut dignum faceret vita æterna ; non autem ad hoc quod est reprimere concupiscentiam ad peccandum impellentem. Et hoc mihi, ait S. Thomas, aliquando visum est ; sed diligentius consideranti apparet hoc verum non esse, quoniam minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, atque æterna vita condignum efficere. Melius ergo dicendum est, quod circumcisio erat signum fidei justificantis, sicut ad Romanos quarto Apostolus asserit : Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. Ideoque in circumcisione dabatur gratia, prout signum erat passionis Christi futuræ.

Rom. IV, 11.

ARTICULUS LXXXI.

1. *An sacramenta causent characterem.* 2. *Quid sit character.* 3. *Cujus sit.* 4. *De subjecto ejus.* 5. *An indelebiliter insit.* 6. *Utrum omnia sacramenta characterem imprimant.*

QUÆSTIO 63. 1. AD duo, ut tactum est, sacramenta ordinantur, videlicet ad remedium contra peccatum, et ad perficiendum hominem in vita christiana. Quicumque autem deputantur ad aliquid, solent aliquo insigniri charactere, tanquam consignati ac deputati ad aliquid certum : quemadmodum antiquitus qui adscribebantur militiæ, quodam corporali charactere consignabantur. Verumtamen sacramenta veteris legis quoniam gratiam non conferebant, spiritualem characterem non requirebant ; sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio legis.

2. Præterea cultus Dei in christiana religione, ad quem sacramenta ordinant hominem, consistit in duobus, videlicet in recipiendo divina, et in tradendo ea aliis.

A Ad quorum primum exigitur potestas passiva, ad secundum virtus activa. Idcirco character importat spiritualem potentiam ad ea quæ divini cultus sunt ordinatam. Sed hæc potentia instrumentalis est, et quid incompletum in genere : sicut de virtute quæ in sacramentis consistit, præhabitum est. Unde non est secundum se in genere, sed reducitur ad genus qualitatis, et ad secundam speciem ejus. Quandoque tamen character dicitur figura vel signaculum. Nam ad Hebræos primo, ubi *Hebr.* I, 3.
B Filius vocatur figura substantiæ Patris, in Græco habetur χαρακτήρ. Character quoque est signum distinctivum fidelium ab infidelibus.

3. Denique fideles ad duo ordinantur. Primo atque finaliter, ad gloriæ fruitionem : et ad hoc insigniuntur signaculo gratiæ, juxta illud Ezechielis nono : Signa *Ezech.* IX, 4.
Thau super frontes virorum gementium et dolentium. Secundo, ad recipiendum vel tradendum aliis ea quæ ad cultum religionis pertinent christianæ : ad quod
C proprie deputatur character sacramentalis. Totus autem christianæ religionis cultus a sacerdotio Christi derivatur. Ideoque character sacramentalis specialiter Christi character vocatur : cujus sacerdotio configurantur fideles per sacramentales characteres, qui aliud nihil sunt quam participationes sacerdotii Christi ab eo derivatæ. — Character quoque si comparetur ad sacramentum exterius, est res quædam ; si vero referatur ad ultimum effectum, scilicet gratiam, sic dicitur signum.
D Quidam vero hoc modo definiunt characterem : Character est distinctio a charactere æterno impressa animæ rationali, secundum imaginem, configurans trinitatem creatam Trinitati creanti, et distinguens a non configuratis. Character autem æternus est Filius Dei, qui est figura substan- *Hebr.* I, 3.
tiæ Patris.

4. Porro, quia character immediate ordinatur ad actum, ut dictum est ; ideo ejus subjectum non ponitur essentia animæ, sed potentia ejus. Ordinatur vero cha-

racter ad cultum divinum, qui est quædam protestatio fidei per exteriora signa. Propterea illa vis animæ est subjectum characteris, in qua fides consistit, videlicet ratio. Et sicut essentia animæ perficitur gratia, sic naturalis potentia charactere, quoad actus divini cultus.

5. Insuper, quum character sit participatio sacerdotii Christi, ideo Christo non competit. Sacerdotium autem Christi æter-
Ps. cix, 4. num est, sicut in Psalmo habetur : ideo omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium Christi, semper durat, re consecrata in esse manente : quemadmodum in rebus inanimatis videmus. Nam templum ac vasa semel consecrata non denuo consecrantur, nisi primitus destruantur. Quum igitur anima rationalis secundum partem intellectivam, quæ immortalis est, sit subjectum characteris : palam est quod character indelebiliter insit. Quum enim character sit virtus instrumentalis, immobilitas ejus attenditur ex immobilitate principalis agentis : quod est virtus divina. Remanet quoque character post vitam hanc, in malis ad eorum tormentum, in bonis ad eorum lætitiam. Manet autem in bonis non quoad actus quos nunc exercent, sed per comparationem ad finem ultimatum.

6. Amplius, sacramenta, ut dictum est, ordinantur ad duo, videlicet : in remedium contra peccatum : et hoc est commune omnibus sacramentis, eo quod gratiam conferant. Et item, ad cultum divinum. Hoc vero omnibus directe non competit : nam per Pœnitentiam homo a peccato eripitur, atque per gratiæ refusionem ad pristinum statum reducitur; non autem exhibetur homini aliquid novum ad divinum pertinens cultum. Pertinet quoque sacramentum ad cultum divinum tripliciter. Primo per modum actionis : ut Eucharistia, in qua principaliter divinus cultus consistit, secundum quod est Ecclesiæ sacrificium. Non tamen per eam character imprimitur, quoniam per hoc sacramentum non ordinatur homo ad aliquid ulterius agendum vel recipiendum : præsertim
A quum ipsum sit finis atque consummatio omnium sacramentorum, secundum Dionysium tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo. Secundo, per modum agentis : ut sacramentum Ordinis, per quod fiunt homines idonei ad hoc quod aliis sacramenta tradant. Tertio, per modum recipientis : ut Baptismus, per quem datur potestas recipiendi alia sacramenta : propter quod janua sacramentorum vocatur. Ad idem quoque ordinatur quodammodo Confirmatio. Ideo per tria dumtaxat sacramenta,
B videlicet Ordinem, Baptismum, Confirmationem, character imprimitur : qui est res et sacramentum, ut dictum est.

ARTICULUS LXXXII.

1. *An solus Deus operetur intus in sacramentis.* 2. *An institutio sacramentorum sit solum a Deo.* 3. *De potestate Christi in sacramentis.* 4. *An potuerit illam aliis communicare.* 5. *Utrum malis conveniat potestas ministerii in sacramentis.*

C 1. DENIQUE interior sacramentorum effectus a solo Deo est, sicut a principali agente : tum quoniam gratia seu justificatio, quæ est interior sacramentorum effectus, a solo Deo præstatur; tum quoniam solus Deus essentiæ animæ, in qua gratia est, illabitur (nil enim agit ubi non est); tum quia character, qui est aliquorum sacramentorum effectus, est instrumentalis virtus divinæ potentiæ ab ea immediate dependens. Minister autem Christi est causa instrumentalis atque dis-
D positiva effectus sacramentalis. Quæstio 64.

2. Porro, quoniam Deus est prima principalisque causa in operatione sacramentorum; idcirco omnia sacramenta a Deo institutionem sortita sunt quantum ad ea quæ de necessitate sunt sacramentorum. Quæ vero ad solennitatem ac reverentiam pertinent, ab hominibus instituta esse possunt. Et quamvis institutio aliquorum non habeatur in Scriptura canonica, fideles tamen a familiari Apostolorum traditione eam adepti sunt. Unde prima ad Corin-

I Cor. xi, 34. thios undecimo ait Paulus : Cetera, quum A venero, disponam.

3. At vero Christus ut Deus, agit interius in sacramentis principaliter, et auctoritative : sed secundum quod homo, agit meritorie et efficienter, prout passio ejus meritoria fuit et effectiva gratiæ justificationisque nostræ : et tamen ut homo, hæc agit instrumentaliter. Sed quoniam natura humana Christi est instrumentum Deo conjunctum, idcirco instrumentalis potestas sibi eminentius convenit : primo, quoniam ex passione sua sacramenta sunt B ad operandum efficacia ; secundo, quia in nomine Christi sacramenta sanctificantur ; tertio, quia ipsemet ea instituit ; quarto, quoniam interiorem sacramenti effectum sine exteriori signo tribuere potuit.

4. Præterea potestatem auctoritativam, quæ competit Christo ut Deus est, ipse non potuit aliis communicare, sicut nec divinam essentiam. Aliam autem potestatem poterat communicare secundum quatuor prædicta. Non autem hoc fecit, ne in alio quam in ipso speremus, et ne essent C diversa Ecclesiæ sacramenta.

5. Insuper, quum minister non sit nisi causa instrumentalis in effectu sacramentorum, quæ non agit virtute sua, sed principalis agentis ; ideo sive minister sit bonus sive malignus, sacramentum conficere potest, quemadmodum Augustinus super Joannem dicit : Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus ? Nam et per instrumenta muta ac mortua artifex agere potest, ut faber per malleum : et similiter Christus per ministrum spirituali- D ter mortuum.

ARTICULUS LXXXIII.

1. *Utrum mali peccent sacramenta dispensando.* 2. *An angeli possint ea ministrare.* 3. *An in sacramentis exigatur intentio.* 4. *An recta fides.* 5. *An recta intentio.*

1. DEBENT autem ministri Domino suo conformari, cumque revereri, et opera ejus honorabiliter contrectare. Maligni igitur ministri, qui Christum non sequuntur neque honorant, dispensando sacramenta peccant. Unde primo capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ Dionysius asserit, quod malis fas non est vel tangere symbola, id est sacramentalia signa. A malo autem ministro Ecclesiæ recipi potest sacramentum, quamdiu ab Ecclesia toleratur. Non enim ab ipso recipitur in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ.

2. Præterea virtus sacramentorum derivatur a Christo ad homines, tanquam a capite ad membra ejusdem secum naturæ exsistentia. Quum ergo angeli in natura humana Christo nequaquam communicent, sequitur quod dispensare vel ministrare sacramenta ad ipsos non attinet. Verumtamen, sicut Deus non alligavit suam virtutem sacramentis, quin sine eis queat effectum sacramentorum conferre ; ita non alligavit suam virtutem ministris. Unde si angeli sancti, qui veritatis sunt nuntii, aliquod ministerium sacramentale exhibeant, quemadmodum quædam templa ab angelis consecrata dicuntur : tale ministerium firmum ac ratum habendum est.

3. Porro ea quæ se habent indifferenter ad multa, oportet per aliquid limitari ad unum, si illud effici debet. Quæ autem in sacramentis fiunt, diversimode agi possunt : quemadmodum ablutio, quæ fit in Baptismo, referri potest ad corporalem munditiam vel alias causas. Necesse est ergo ut determinetur ad unum, scilicet sacramentalem effectum, per intentionem abluentis : quæ explicatur per verba sacramentalia, quum dicitur, Ego te baptizo, etc. Minister namque est animatum instrumentum, quod aliquo modo movet se ipsum. Quamvis vero certa non sit baptizantis intentio et an intentionem habeat, non tamen est dubium an homo sacramentum recipiat. Minister namque Ecclesiæ agit in persona totius Ecclesiæ : et ergo intentio Ecclesiæ, quæ per verba exprimitur, sufficit, nisi contrarium exprimatur exterius ex parte ministri vel

recipientis. Quidam vero affirmant quod requiratur mentalis intentio in ministro : cujus defectum in pueris baptizatis supplet Christus baptizans interius; in adultis vero supplet propria fides atque devotio. Sed quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum, videtur quod prima responsio melior sit. Item, non requiritur intentio actualis, sed sufficit habitualis : ut scilicet homo id operari intendat in sacramento, quod facit Ecclesia, saltem in ipso accessu ad exhibitionem sacramenti.

4. Amplius, sicut in ministro, quoniam instrumentaliter agit in sacramentis, non exigitur caritas, ut sit bonus; ita nec fides qua sit fidelis, dummodo alia requisita adfuerint. Unde si minister de ipso sacramento perfidiam habet, non tamen ignorat quod Ecclesia christiana intendit, per id quod foris agitur, sacramentalem effectum inducere seu sacramentum impendere : talis quoque intentio sufficit, quoniam minister non agit nisi in persona Ecclesiæ, per cujus fidem suppletur quod deest ministro. Item, hæretici si formam Ecclesiæ servent, conferunt sacramentum, sed non rem sacramenti. Nam recipiens peccat ab eis sacramentum recipiendo : et ergo gratiæ obicem ponit. Si autem formam non servent, nec sacramentum nec rem sacramenti impendunt. Cyprianus vero martyr putavit, quod licet formam servarent, non tamen sacramentum conferrent. Sed in hoc ejus sententia non tenetur : imo per passionis falcem, in eo deletum est quod deliquit, secundum Augustinum.

5. Insuper, intentio in sacramentis dupliciter potest perverti. Primo, respectu sacramenti : ut si quis non intendat sacramentum conficere, sed delusorie aliquid agere. Et talis perversitas aufert vim sacramenti, præsertim si intentio illa exterius manifestetur. Secundo, respectu alicujus consequentis sacramentum : ut si quis intendat corpus Christi conficere, quatenus eo ad veneficia abutatur. Talis

A autem perversitas veritatem sacramenti non impedit : posterius enim non aufert prius. Prædicta demum perversitas ministri pervertit opus intendentis, non autem opus alterius. Ideo ex perversitate intendentis pervertitur opus quod agit, in quantum est opus ejus, non in quantum est opus Christi, cujus est minister.

ARTICULUS LXXXIV.

1. *De numero.* 2. *De ordine.* 3. *De comparatione sacramentorum ad invicem.* 4. *An omnia sint de necessitate salutis.*

B

1. SACRAMENTA itaque perficiunt hominem ad spiritualem vitam : in qua homo perficitur dupliciter, scilicet quoad se ipsum, et quantum ad alios. Sicut autem in vita corporali primo requiritur rei generatio; secundo, ejus ad debitam quantitatem deductio; tertio, sui esse conservatio : sic sacramentum quo homo spirituale esse acquirit seu spiritu- Quæstio 65.
C aliter generatur, vocatur Baptismus, quod est lavacrum regenerationis; Confirmatio vero, in qua baptizatis confertur Spiritus Sanctus ad robur, perducit ipsum esse spirituale ad debitam quantitatem; per Eucharistiam autem conservatur in esse. Perficitur quoque homo quoad se ipsum per accidens, removendo prohibentia spiritualem vitam, videlicet culpas, contra quas est sacramentum Pœnitentiæ. Unctio autem Extrema est contra peccatorum reliquias : est enim restitutio valetudinis
D pristinæ, reddens paratum ad gloriam finalem. Perficitur quoque homo quantum ad alios quibus convivit, dupliciter. Primo, per hoc quod recipit potestatem alios gubernandi atque publicos actus exercendi : quod fit per sacramentum Ordinis. Secundo, per naturalem propagationem : ad quod ordinatur Matrimonium, tam in corporali quam in spirituali vita : est enim non solum sacramentum, sed et naturæ officium. — Rursus, sacramenta sunt remedia contra peccata. Unde Baptismus

ordinatur contra carentiam spiritualis vitæ; Confirmatio, contra infirmitatem animi quæ in nuper renatis invenitur; Pœnitentia, contra actuale peccatum post Baptismum peractum; Eucharistia, contra labilitatem animi ad peccandum; Extrema Unctio, contra reliquias peccatorum quæ per Pœnitentiam non sunt sufficienter ablatæ; Ordo, contra dissolutionem multitudinis; Matrimonium, contra concupiscentiam et defectum multitudinis ex morte provenientem. — Quidam autem accipiunt numerum sacramentorum per coaptationem ad virtutes atque defectus culparum ac pœnalitatum, dicentes quod fidei correspondet Baptismus, et ordinatur contra culpam originalem; spei, Unctio Extrema, quæ est contra peccatum veniale; caritati, Eucharistia, quæ ordinatur contra pœnalitatem malitiæ; prudentiæ, Ordo, qui ordinatur contra ignorantiam; justitiæ, Pœnitentia, quæ est contra peccatum mortale; temperantiæ, Matrimonium, quod est contra concupiscentiam; fortitudini, Confirmatio, quæ est contra infirmitatem. — Aqua vero benedicta et similes consecrationes non sunt sacramenta, sed dispositiones ad ea. Non enim conferunt gratiam, sed præparant aliquo modo ad eam. Sacramenta autem legis naturæ, quæ secundum Hugonem, sunt tria, videlicet oblationes, decimæ, sacrificia, non sunt amplius sacramenta, quoniam non sunt nunc figuralia, ut tunc.

2. Præterea, sicut unum præcedit multa, sic sacramenta perficientia hominem circa se ipsum priora sunt. Et ideo Ordo et Matrimonium ultimo ponuntur inter sacramenta. Ordo quoque præcedit Matrimonium, quoniam spiritualior est. Rursus, sacramenta quæ per se ordinantur ad perfectionem, priora sunt illis quæ ordinantur ad eam per accidens : cujusmodi sunt Extrema Unctio, et Pœnitentia, quæ Unctionem præcedit. Inter illa vero quæ per se ad perfectionem ordinantur, præcedit Baptismus, per quem spirituale esse acquiritur; hunc sequitur Confirmatio, quæ ad formalem perfectionem virtutis refertur; tertio, Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finalem.

3. Porro sacramentum Eucharistiæ omnium sacramentorum est dignissimum : Tum, quoniam Christum substantialiter continet. Tum, quia alia omnia ordinantur ad ipsum : nam et Matrimonium sua significatione ipsum attingit, designando unionem Christi et Ecclesiæ. Tum, quoniam omnia in ipso consummantur : nam ordinati communicant, similiter baptizati, si sint adulti. Aliorum vero sacramentorum comparatio multipliciter potest attendi. In via enim necessitatis Baptismus est potior; sed secundum viam perfectionis Ordo excedit : inter quæ Confirmatio medio modo se habet. Pœnitentia autem Extremaque Unctio inferioris sunt gradus : non enim ordinantur ad perfectionem, nisi per accidens, quum secundum se non sint nisi in remedium contra peccatum vel infirmitatem. Et sicut se habet Confirmatio ad Baptismum, qui magis necessarius est quam Confirmatio; ita se habet Extrema Unctio ad Pœnitentiam : nam sacramentum Pœnitentiæ magis est necessarium quam Unctio Extrema.

4. Adhuc autem, necessarium respectu finis, de quo nunc sermo, dupliciter dicitur : primo, simpliciter et absolute, videlicet sine quo finis haberi non valet, ut cibus vitæ humanæ; secundo, necessarium dicitur id sine quo finis tam competenter adipisci non potest, ut equus ad viam. Primo igitur modo tria sacramenta sunt ad salutem necessaria, duo cuilibet personæ : quorum unum, puta Baptismus, necessarium est absolute; aliud vero, scilicet Pœnitentia, ex suppositione peccati mortalis. Sacramentum autem Ordinis multitudini Ecclesiæ est necessarium : nam ubi non est gubernator, populus corruet, *Prov.* XI, 14.
ut dicitur Proverbiorum undecimo. Alia demum sacramenta non sunt necessaria, nisi secundo modo. Confirmatio enim est perfectiva Baptismi : quemadmodum Unctio Extrema, Pœnitentiæ. Matrimonium

quoque materialem Ecclesiæ multitudinem conservat.

ARTICULUS LXXXV.

1. *An Baptismus sit ipsa ablutio, vel aqua.* 2. *De institutione Baptismi.* 3. *De materia Baptismi.* 4. *An requiratur ad eam aqua simplex.* 5. *De forma sacramenti hujus.*

QUÆSTIO 66. 1. TRIA porro considerantur in sacramento Baptismi : quorum unum est tantum sacramentum, videlicet ipsum signum sensibile foris exsistens ; aliud est tantum res, scilicet ipsa interior sanctificatio ; tertium est sacramentum et res, puta character : qui relatus ad signum sensibile, est res ; comparatus autem ad gratiam regenerantem, est signum. Quidam ergo dixerunt, quod aqua sit sacramentum in Baptismo. Unde Hugo de S. Victore Baptismum definiens : Baptismus, inquit, est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei. Hæc autem positio vera non est. Quum enim sacramenta novæ legis sanctificationem efficiant, in illo consistit sacramentum, in quo sanctificatio ipsa perficitur. Hæc autem non in aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem perficitur. Ideo, sicut Magister quarto libro, distinctione 3, asserit : Baptismus est ablutio corporis exterior, sub forma verborum præscripta. Baptismus ergo est usus aquæ, non aqua.

2. At vero sacramenta ex institutione divina sortiuntur virtutem. Tunc ergo instituuntur, quando virtutem sanctificandi recipiunt. Christus autem in suo baptismo contulit tactu suæ purissimæ carnis vim regenerativam aquis. Idcirco in Christi baptismo sacramentum Baptismi institutum est. Sed utendi necessitas post resurrectionem incepit : tunc enim omnia figuralia in Christo impleta consummataque sunt. Item, per Baptismum Christo morienti ac resurgenti configuramur per intinctionem corporis in aquam et elevationem ex aqua. Et ergo usus Baptismi post passionem ac resurrectionem incepit.

3. Denique aqua conveniens est Baptismi materia. Baptismus enim est spiritualis regeneratio ; aqua autem est causa generationis terræ nascentium, et semina rerum sunt humida. Item, per gratiam Baptismi peccata lavantur, et calor concupiscentiæ refrenatur ; aqua vero sua humiditate lavat immunda, sua quoque frigiditate refrigerat calida. Per aquam quoque corpus facilius quasi sepelitur atque resurgit, quum in ea immergitur atque lavatur : ac per hoc Christi passioni ac resurrectioni assimilatur. Item, aqua est ubique communis et prompte habetur : idcirco huic sacramento, quod maxime necessarium est, optime competit. Aqua itaque propter suas proprietates rationabiliter a Deo instituta est Baptismi materia. Quod autem Joannes Baptista de Christo dixit, Ille vos baptizabit Spiritu Sancto et igni, secundum Chrysostomum, per ignem intelligitur tribulatio præsens ; vel, secundum Hieronymum, per ignem accipitur Spiritus Sanctus, qui caritas dicitur, atque in igneis linguis apparuit super discipulos. *Matth.* III, 11. *Act.* II, 3.

4. Præterea aqua suæ naturæ puritatem ac speciem potest amittere : uno modo per admixtionem alterius corporis ; alio modo per alterationem. Quorum utrumque fieri potest a natura et arte, quæ quandoque utitur naturali agente. Quomodocumque autem aqua mutetur, dummodo species seu forma substantialis ipsius non solvatur, potest in ea dari Baptismus : sicut in aqua per solem calefacta, vel turbida, aut simili modo disposita. Non ergo requiritur omnimoda puritas aquæ, sed veritas suæ naturæ. Unde admixtio chrismatis non tollit speciem aquæ. In luto autem, quia plus habet de terra quam aqua, non potest fieri Baptismus : qui tamen fieri potest in aqua ex luto expressa. In lixiviis quoque et balneis sulfureorum humorum potest dari Baptismus : tales namque aquæ aliis corpo-

ribus non incorporantur, sed transeunt per ea, solamque alterationem qualitatis recipiunt. In aqua autem rosacea, quum sit liquor rosæ resolutus, et aquis alchimicis, fieri non potest Baptismus, sicut nec in vino; sed bene in aqua pluviali.

5. Amplius, Baptismus per suam formam consecratur, secundum illud Apostoli *Ephes.* v, 6. ad Ephesios quinto : Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. Et ergo in forma Baptismi causa ejus explicanda est. Causa vero Baptismi est duplex, scilicet : principalis, qui est Deus Trinitas ; et instrumentalis, puta minister. Quum ergo hæc forma, Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, utramque causam contineat, patet quod ipsa conveniens sit. Tamen hæc dictio, Ego, non est de substantia formæ, sed propter declarationem adjungitur. Græci vero ad excludendum antiquorum errorem, qui virtutem Bapti- *Cor.* I, 12. smi adscripserunt baptistis (dicentes : Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ), alia forma utuntur, dicendo, Baptizetur servus Christi in nomine Patris, etc., ne videatur homini Baptismus attribui. Et quia in hac forma exprimitur actus per ministrum exercitus cum invocatione Trinitatis, verum præstatur Baptisma. Oportet enim, secundum Alexandrum Papam, ut actus baptizandi pronuntietur, quoniam in aqua multa fieri possunt præter Baptismum : et ergo per explicationem hujus actus determinatur quid in ea fiendum sit. Et quoniam verba sacramentalia non solum sunt significativa, sed etiam effectiva, dirigi possunt ad ea quæ non intelligunt, sive sint homines, ut surdi ac pueri, sive inanimata, sicut quum dicitur : Exorcizo te, aqua.

Sciendum quoque, quod in casu necessitatis possunt plures simul baptizari ab uno, quia singulus recipit unum Baptismum; sed tunc dicendum est : Ego baptizo vos. Nec tamen forma mutatur, quum *vos* non sit aliquid nisi *te et te*. Quamvis ergo istud fieri possit, non tamen fieri valet ut plures simul unum baptizent, videlicet

A mutus, et manibus carens : quorum unus non potest loqui, sed corpus movere ; alter non potest movere, sed loqui. Cujus ratio est, quoniam actus multiplicantur secundum diversitatem agentium, si ab unoquoque perfecte procedant ; et iterum, quia illos oporteret dicere, *nos*. *Nos* autem, non est tantum dicere, sicut *ego et ego*, sed *ego et tu*. — Si vero tres Personæ aliis nominibus exprimerentur quam continet forma præscripta, non fieret Baptismus verus. Sicut enim ad baptizandum B assumitur aqua, quoniam usus ejus est communior ; sic illa nomina divinarum Personarum oportet assumere, quibus communius consueverunt nominari.

ARTICULUS LXXXVI.

1. *An possit dari Baptismus in nomine Christi.* 2. *An ad Baptismum requiratur immersio.* 3. *An trina immersio.* 4. *Utrum reiterari possit.*

C 1. SACRAMENTA igitur ex Christi institutione sortiuntur virtutem. Si ergo aliquid a Christo circa sacramenta institutum prætermittatur, non erit verum sacramentum : nisi ex speciali dispensatione Dei, qui virtutem suam sacramentis non alligavit. Quoniam ergo Christus instituit dari Baptismum in nomine Trinitatis, aliter dari non valet, nisi tres Personæ sensibiliter atque distincte exprimantur. Verumtamen, quod Apostoli in nomine Christi baptizabant, ex familiari Spiritus D Sancti instinctu fecisse credendi sunt : quatenus nomen Christi odiosum Judæis, fieret honorabile gentibus.

2. Denique in Baptismo aqua assumitur ad ablutionem corporalem, qua interior designatur ablutio. Ablutio autem exterior fieri potest, non solum per immersionem, sed etiam per effusionem atque aspersionem. Quamvis ergo propter communem consuetudinem (quæ vim obtinet juris) tutius sit per immersionem baptizare ; nihilo minus aliter fieri potest, videlicet ad-

spergendo, vel effundendo : quemadmodum B. Laurentius legitur baptizasse. Et hoc quandoque necessarium est, ut quum magna est multitudo baptizandorum, aut aquæ inopia, aut baptizandi seu sustentatoris ejus debilitas. Per immersionem vero signatur expressius mysterium sepulturæ Christi, cui Baptismum recipiens configuratur. Si autem aliter fit, adspergendum est caput, quia in ipso vigent opera animæ, ad cujus emundationem ordinatur Baptismus. Et quamvis Baptismus detur præcipue contra originale peccatum, non tamen specialiter perfundenda sunt membra generationi servientia, sed caput, ob causam prædictam. Sed in veteri lege in membro generationis circumcisio conferebatur, quoniam nasciturus erat ex semine Abrahæ, qui originale peccatum auferret.

3. Amplius, modus immersionis non est de necessitate Baptismi. Et ideo, sive baptizandus ter immergatur, vel semel, æqualiter baptizatur, ut scribit Gregorius Leandro episcopo. Nam per ternam immersionem signatur trinitas Personarum, triduumque sepulturæ dominicæ. Per unam autem immersionem unitas divinitatis passionisque Christi. Interdum tamen ordinavit Ecclesia ut fieret trina immersio, propter eos qui Trinitatem negabant, et Christum purum hominem asserebant : ut patet in canonibus Apostolorum. Interdum vero instituit ut fieret una dumtaxat immersio, ad detestationem eorum qui rebaptizabant.

4. At vero Baptismus iterari non potest : tum, quia est spiritualis generatio; unius autem rei non est nisi una generatio. Tum, quia in morte Christi baptizamur, per hoc quod ejus morti per Baptismum
Rom. VI, 9. assimilamur. Sicut ergo Christus resurgens non amplius moritur, sic semel baptizatus non denuo baptizatur. Tertio, quia Baptismus characterem imprimit qui indelebilis est, atque cum quadam consecratione confertur. Dictum est autem, quod semel consecrata non iterum consecran-
A tur. Quarto, quia Baptismus est contra originale peccatum, quod non reiteratur. —Pauliani quoque et Cataphrygæ Trinitatem negantes Christumque purum hominem affirmantes, verum Baptismum non dabant ; sicut nec Bonosiani, qui cum eis idem senserunt. Cataphrygæ autem ponebant Spiritum Sanctum purum hominem, utpote Montanum magistrum suum. Et ergo ab eis sine debita forma baptizati rebaptizabantur. Si autem de aliquo dubium habeatur an sit baptizatus, rebaptizandus
B est cum conditione, ut dicatur : Si non es baptizatus, ego te baptizo.

ARTICULUS LXXXVII.

1. *De ritu.* 2. *De divisione.* 3. *De comparatione Baptismatum.*

1. ALIQUA demum in sacramento Baptismi concurrunt quasi de necessitate : ut forma verborum, et aqua, atque
C minister. Cetera sunt de solennitate, quæ sacramento adhibetur ad excitandum devotionem ac reverentiam populi ; et propter coercitionem adversariæ potestatis, quæ per orationes et benedictiones frenatur. Specialiter vero agitur in Ecclesia solennis Baptismus in vigilia Paschæ, quia tunc fit memoria dominicæ sepulturæ ac resurrectionis, quibus in Baptismo conformamur ; item, in vigilia Pentecostes, quoniam tunc incipit solennitas Spiritus Sancti, qui in Baptismo confertur. Usus
D vero olei et chrismatis ad solennitatem pertinent. Primo enim baptizatus ungitur oleo in pectore atque in scapulis, quasi Christi athleta, secundum Ambrosium ; vel ut donum Spiritus Sancti recipiat et vitia exuat, secundum Innocentium. Postmodum signatur in cerebro chrismate sacro, ut regni Christi particeps fiat, et a Christo christianus dici possit.

2. Præterea Deus non alligavit virtutem suam sacramentis, nec virtus causæ ab effectu dependet. Et ergo potest aliquis

a Deo effectum Baptismi recipere sine aqua, patiendo pro Christo, vel per hoc quod cor a Spiritu Sancto movetur in Deum per caritatem. Idcirco triplex ponitur Baptismus, videlicet aquæ, sanguinis, et flaminis. Sed solus Baptismus aquæ est sacramentum. Ponit quoque Damascenus quarto libro quædam baptismata figuralia, scilicet diluvium, per quod paucæ animæ sunt salvatæ, et transitum maris Rubri, ablutiones quoque legales. (I Petr. III, 20.)

3. Insuper, omnia Baptismata a Christi passione vim sumunt. Nam Baptismus flaminis seu pœnitentiæ ex merito passionis Christi operatur. Maxime autem conformatur quis Christo per sanguinis effusionem pro ipso, atque per hoc Christo vehementiori affectu probatur uniri. Idcirco Baptismus sanguinis est potissimus inter Baptismata, quantum ad effectum Baptismi : sed non in ratione sacramenti : non enim est sacramentum, quia non signat directe spiritualem purgationem seu ablutionem.

ARTICULUS LXXXVIII.

1. *Cujus sit dare Baptismum.* 2. *An laicus eum conferre possit.* 3. *An mulier.* 4. *An non baptizatus.*

QUÆSTIO 67. 1. QUEMADMODUM autem cœlestium ordinum proprietates atque officia ex eorum insinuantur nominibus, secundum Dionysium septimo capitulo Cœlestis hierarchiæ; sic ecclesiasticorum ordinum nomina innuunt quid ad unumquemque ordinem spectet. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri, quia eorum officium non est aliquod sacramentum ex proprio præbere officio, sed exhibentibus sacerdotibus ministrare atque adsistere. Non est ergo diaconi quempiam baptizare, sicut Gelasius Papa in Decretis testatur. Possunt tamen in articulo necessitatis baptizare : quemadmodum Laurentius fecit. Item diaconi est purgare, secundum Dionysium, A non docere, id est perficere. Baptismus vero habet vim purgativam et illuminativam, secundum eumdem secundo capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ. Propterea gradum diaconi excedit ipsum conferre. — Porro per Baptismum fit homo idoneus ad perceptionem corporis Christi, secundum Dionysium. Sicut igitur sacerdotis officium est corpus Christi conficere, ita et baptizare. Presbyteri enim locum tenent septuaginta discipulorum, sicut episcopi duodecim Apostolorum.

B 2. Amplius, Deus qui vult omnes homines salvos fieri, omnium saluti sufficienter, imo et copiose providit. Baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis, quoniam pueris aliter subveniri non potest. Adulti quoque sine eo plenam adipisci nequeunt remissionem. Idcirco, sicut Deus instituit aquam hujus sacramenti esse materiam, quia facillime potest haberi ; ita et quilibet etiam laicus hujus sacramenti esse potest minister ac dator. Non tamen a laico recipi debet, nisi in C casu necessitatis : quamvis veraciter conferatur a laico etiam extra necessitatem ; sed peccaret, si tunc daret. Quod enim a presbytero detur, ad solennitatem attinet, non ad necessitatem.

3. Adhuc autem, Christus est qui principaliter baptizat. In Christo autem non est masculus et femina, secundum Apostolum. Quemadmodum igitur laicus, ita et femina potest baptizare : quod tamen non debet peragere, si adsit copia viri. (Galat. III, 28.)

D 4. Utrum autem illi qui nunquam christiani seu baptizati fuerunt, baptizare possint, Augustinus insolutum dubiumque reliquit. Postmodum vero determinavit Ecclesia, quod ab infidelibus, sive Judæi sint sive pagani, conferri queat Baptismus, dummodo forma Ecclesiæ observetur : quemadmodum Nicolaus Papa ad Bulgarorum consulta respondendo asseruit. Sicut enim ex parte materiæ sufficit ad Baptismum quæcumque aqua; ita ex parte ministri, quilibet homo.

ARTICULUS LXXXIX.

1. *An plures simul possint baptizare eumdem.* 2. *An requiratur aliquis levans baptizatum de sacro fonte.* 3. *An etiam ille levator teneatur ad instructionem ejus quem levat.*

1. PAULO ante responsio data est, cur plures non possunt unum baptizare : et nunc id tantum addatur, quod sicut Christus est unus, sic ille qui confert Baptismum tanquam ejus vicarius atque minister, non nisi unus esse debet respectu ejusdem.

2. Denique spiritualis regeneratio, quæ per Baptismum fit in aliquo, carnali generationi est similis. Sicut igitur infans nuper natus eget nutrice atque pædagogo; sic spiritualiter regeneratus indiget aliquo qui circa se vicem nutricis pædagogique gerat in spiritualibus, docendo ac dirigendo. Hoc vero ad eum pertinet qui baptizatum de sacro fonte levat, cujus est in fide novicium informare. Et hoc Dionysius secundo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo asserit : quem modum affirmat ab Apostolis institutum, ultimo capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ.

3. Præterea iste levans tenetur instruere filium spiritualem, si locus et causa requirant, videlicet si baptizatus inter infideles conversetur, vel a parentibus negligatur : alias excusatur ab instructione. Potest enim verisimiliter æstimare, quod parentes non negligunt proprios filios informare in fide ac moribus. Quamvis autem non baptizatus possit baptizare, non tamen de sacro fonte levare : quia levatio illa non est necessaria, ut in Moguntino concilio dicitur. Dionysius quoque ait, quod levans debet esse doctus, ut instruere valeat. Quod tunc necesse videtur, quando fideles inter perfidos conversantur; alii a propriis parentibus possunt instrui. Sic ergo patet quomodo Augustinus dicat : Vos omnes viros ac feminas, qui filios in Baptismate suscipitis, ante omnia moneo ut cognoscatis vos fidejussores exstitisse apud Deum pro illis.

A

ARTICULUS XC.

1. *Utrum omnes teneantur Baptismum recipere.* 2. *An aliquis sine Baptismo possit salvari.* 3. *An debeat differri.* 4. *An peccatores sint baptizandi.* 5. *An eis baptizatis sit pœnitentia injungenda.* 6. *An ad Baptismum exigatur peccatorum confessio.*

1. NUNQUAM præterea fuit possibile quemquam salvari, nisi fuisset Christo aliquo modo unitus et incorporatus, juxta illud Actuum quarto : Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Et ad Romanos quinto : Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem. Nemo autem Christo potest incorporari nisi regeneretur in eo : quod per Baptismum efficitur. Ideoque nullus sine Baptismo salvari valet. Uniuntur quippe homines Christo primo per fidem, adjuncto quodam sensibili signo, quod sacramentum vocatur. Hoc vero sacramentum sub lege fuit circumcisio; ante legem, sacrificiorum oblatio, secundum Gregorium, quibus antiqui fidem suam profitebantur pro se ipsis et filiis. Nunc autem Baptismus ponitur fidei sacramentum. — Illi autem qui sanctificantur in utero, consequuntur gratiam sanctificantem et ab originali purgantem, non autem characterem quo Christo configurentur. Idcirco, si nunc quispiam sanctificaretur in utero, necesse esset eum baptizari, quatenus per susceptionem characteris aliis Christi membris conformaretur.

Quæstio 68. Act. IV, 12. B Rom. V, 18. C D

2. Præterea, si alicui desit Baptismus re et voto, salvari non valet. Si vero re desit, et non voto, ut si quis baptizari desideret, sed propter necessitatis casum non potest : talis salvatur ex fide per dilectionem operante, quemadmodum de Valentiniano qui catechumenus obiit, ait Ambrosius : Quem regeneraturus eram, amisi ; verumtamen ille gratiam quam poposcit, non perdidit. Talis tamen non evolat, sed salvatur, sic quasi per ignem. I Cor. III, 15.

3. Præterea Baptismus non est differendus A quantum ad pueros, quia in eis non exspectatur major instructio, estque periculum in mora, quoniam aliter eis subveniri non potest. Sed adulti conversi, quia per solum Baptismi affectum possunt salvari, non sunt protinus baptizandi : quatenus vita eorum et mores examinentur, ne forte ficte accedere velint, et ut interim de his quæ fidem concernunt, informentur ; item propter reverentiam sacri Baptismatis, quod propter solennitatem decentius datur in vigilia Paschæ et Pentecostes. B Sed ista dilatio propter duo prætermittenda videtur : primo, si baptizandus sit satis instructus et Baptismo satis idoneus, sicut Philippus mox baptizavit Eunuchum, et Petrus Cornelium ; secundo, si ex infirmitate mortis immineret periculum. — De Judæis vero specialiter institutum est in concilio Agathensi, ut per octo menses catechumeni maneant propter cautelam : ne si non plene crediderint, simplicium fidem corrumpant. Eorum namque perfidia frequenter ad vomitum rediit. C Si tamen necessitatis articulus instaret, ante baptizari possent.

4. Amplius, quamvis peccatores pœnitentes sint baptizandi, peccatores tamen voluntatem peccandi atque in peccatis manendi habentes, baptizari non debent : primo, quia ut sic Christo uniti non sunt, nec ei incorporari queunt ; secundo, quoniam frustra baptizarentur, quia emundationem peccati, quæ est finis Baptismi, suscipere nequeunt; tertio, quia exterior aquæ ablutio interiorem ablutionem designat ; hæc D vero significatio exterioris ablutionis falsa esset in illo qui abstinere non curat a vitiis.

5. At vero, quoniam homines in morte Christi et in virtute passionis ejus baptizantur, nulla eis, quantumcumque mali fuerunt, satisfactio est injungenda. Passio namque Christi suo merito sufficientissima est cuncta peccata diluere. Imo, qui pœnitentiam baptizato injungeret, Christi passionis merito derogaret, quasi non per se ipsam sufficeret.

6. Denique confessio peccatorum est duplex, videlicet : interior, quæ fit coram Deo. Et hæc necessaria est ante Baptismum. Non enim potest quis inchoare vitam novam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, secundum Augustinum libro de Pœnitentia. Alia autem est confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti. Et ista ante Baptismum non est necessaria, quum ad sacramentum Pœnitentiæ spectet. Baptismus vero omnium sacramentorum est janua atque principium. Secundo, quia confessio quæ fit sacerdoti, ordinatur ad absolutionem, ac per opera ad satisfactionem, quæ baptizatis non injungitur. Tertio, quoniam particularis confessio est confitenti pœnosa propter communem verecundiam. Baptizando autem nulla pœna injungitur. Et ideo generalis confessio ei sufficiens est, quam tunc facit, dum secundum ritum Ecclesiæ abrenuntiat Satanæ. Si vero quispiam talis ex devotione confiteri specialiter vellet, esset quidem audiendus : non propter satisfactionem injungendam, sed propter instructionem contra vitia abneganda.

ARTICULUS XCI.

1. *Utrum in Baptismo requiratur intentio in recipiente.* 2. *An etiam fides.* 3. *An pueri sint baptizandi.* 4 *An pueri Judæorum sint baptizandi invitis parentibus.* 5. *An pueri in utero materno sint baptizandi.* 6. *An furiosi et amentes baptizandi sint.*

1. BAPTISMUM ergo recipiens Christo configuratur, per hoc quod veteri vitæ renuntians, de cetero in novitate spiritus ambulare intendit. *Rom.* VI, 4. Quoniam igitur, secundum ostensa, oportet ut eum veteris vitæ pœniteat, sequitur quod in baptizando exigatur intentio seu voluntas recipiendi Baptismum : quæ si deesset, rebaptizandus foret. Si vero de hoc dubium haberetur, deberet addi conditio, scilicet : Ego te baptizo, etc., si non es baptizatus.

2. Præterea constat ex dictis, quemad-

modum duo fiant in anima per Baptismum, videlicet : gratia, et quantum ad hoc exigitur fides in baptizato ; atque character : et hic imprimi potest sine fide tam baptizantis quam baptizati, dummodo alia adsint quæ ad sacramenti spectant essentiam. Non enim sacramentum perficitur per justitiam hominis dantis aut suscipientis, sed Dei.

3. At vero, secundum Apostolum ad Romanos quinto, sicut per unius delictum omnes moriuntur, sic per Christum omnes justificantur. (*Rom.* v, 18.) Quemadmodum itaque infantes originale peccatum a primis parentibus contrahunt, ita in Christo regenerari, id est baptizari, possunt. Item, ut ab infantia in his quæ fidei sunt enutriti, firmiores fiant in fide, quemadmodum scriptum est : Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit, non recedet ab ea. (*Prov.* xxii, 6.) Et hanc rationem assignat Dionysius ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo : ubi etiam ait, quod divini nostri duces, id est sancti Apostoli, probarunt infantes recipi ad Baptismum. Sufficit autem pro eis intentio Ecclesiæ et fides fidelium, quamvis parentes eorum infideles consistant. Sicut enim per alterius peccatum damnationem adepti sunt, ita per aliorum subsidium sortiuntur salutem.

4. Denique pueri Judæorum ante usum rationis baptizandi non sunt invitis parentibus. Puer enim ante usum rationis naturaliter subest curæ parentum. Propter quod pueri antiquorum salvabantur fide parentum. Unde qui pueros hujusmodi contra voluntatem parentum suorum baptizaret, contra naturale jus ageret.

5. Insuper, de necessitate Baptismi est ablutio aquæ exterior, qua corpus lavatur. Hoc vero pueris in utero matrum clausis nequit competere, quia nec subdi possunt actioni humanæ : idcirco baptizari non possunt. Propter quod in epistola ad Dardanum Augustinus testatur : Nemo renascitur, nisi primo nascatur. Si vero aliqua pars pueri egrediatur, sitque periculum mortis; tunc illa pars baptizanda est : et maxime, si caput primo egrediatur, in quo sensus fundantur. Si autem sic caput baptizetur, non est puer postea baptizandus, si manserit vivens. Sed si alia pars fuerit solum baptizata, apparet quibusdam quod denuo baptizandus sit, sub hac conditione : Si non es baptizatus, ego te baptizo.

6. Porro de amentibus ac furiosis a nativitate, qui rationis usum nunquam habent, est idem judicium sicut de pueris : et ideo baptizandi sunt, quamvis inviti. Alii qui autem amentiam et furiam incidunt ex sana mente : et tales videntur judicandi secundum id quod in eis tempore sanæ mentis apparuit. Unde si tunc in eis apparuit appetitus Baptismi, sunt baptizandi, quamvis insani : alias enim non essent baptizandi. Quidam vero a nativitate sunt furiosi, sive amentes, qui tamen sæpe habent lucida intervalla. Si igitur tempore intervalli voluerint baptizari, baptizandi sunt, quamvis mox insaniam animi incidant. Melius tamen est exspectare aliquod lucidum intervallum, si absque periculo fieri possit. Verum si tempore lucidi intervalli non apparet in eis affectus Baptismi, non sunt baptizandi. Dormientes quoque baptizandi non sunt, nisi periculum mortis immineat : in quo baptizandi sunt, si prius voluntatem Baptismi habuerant : sicut de amentibus dictum est; et ut Augustinus quarto Confessionum de amico suo narrat, qui quum desperaretur, baptizatus est nesciens, propter periculum mortis, habuitque in eo efficaciam suam Baptismus.

ARTICULUS XCII.

1. *An per Baptismum deleantur omnia peccata.* 2. *An omnes quoque pœnæ.* 3. *An pœnalitates præsentis vitæ.* 4. *An etiam in eo conferantur virtutes et gratiæ.* 5. *De effectibus virtutum qui adscribuntur Baptismo.*

1. QUAMVIS vero Baptismus specialiter ordinetur contra originale peccatum, aufertur tamen per eum omne pec- (Quæstio 69.)

catum, tam actuale (mortale et veniale) A quam originale. Per Baptismum enim regeneramur in Christo, morientes peccatis et sæculo. Est enim Baptismus quædam universalis medicina, operans in virtute passionis Christi, sine qua nullum peccatum remittitur : quia secundum Apostolum ad Hebræos, Sine sanguinis effusione (*Hebr.* ix, 22.) non fit remissio. Passioni vero Christi per fidem conjungimur atque communicamus.

2. Denique per Baptismum non solum tollitur omnis culpa, sed omnis etiam pœna. Per ipsum namque Christo incorpora- B mur, sic quod passio Christi nobis conjungitur et communicatur ac si simul cum Christo passi mortuique essemus. Verumtamen reatus pœnæ quæ debetur peccato, quantum ad homines qui per peccatum scandalizati vel læsi sunt, non aufertur per Baptismum; sed justum est homines per satisfactionem et pœnam nocentis placari ac ædificari : sicut in homicida baptizato. Princeps tamen potest pie in talibus remittere pœnam.

3. Præterea, quamvis Baptismus virtute C meriti Christi sufficiens sit præsentis vitæ pœnalitates auferre, non tamen aufert eas in hac vita; sed in resurrectione futura, quando mortale hoc induet immortalitatem. (I *Cor.* xv, 53, 54.) Nam per Baptismum Christi membra efficimur. Christus autem corpus passibile habuit. Convenit ergo ut membra ejus passibilia corpora habeant. Secundo, propter exercitium spirituale, videlicet ut contra concupiscentiam et pœnalitates pugnando, gloriæ coronam atque triumphi adipiscamur. Tertio, ne homines ad Bapti- D smum allicerentur potius propter præsentis vitæ impassibilitatem, quam futuræ felicitatis amorem.

4. Insuper, certum est quod prædicta hominum incorporatio in Christo sine gratia atque virtutibus fieri nequeat : ideo per Baptismum virtus et gratia infunduntur. Nam et gratiæ ac virtutis splendorem aqua sua naturali claritate designat. Sacramenta autem novæ legis efficiunt quod figurant.

5. At vero, secundum Dionysium, Baptismi effectus est illuminatio; secundum Augustinum, Christi incorporatio; secundum alios, fecundatio. Hi ergo effectus Baptismo conveniunt. Nam homo per Baptismum christiformiter conversatur, et Christi vitam sectatur. Membra autem non vivunt nisi capiti copulentur. Primo igitur per Baptismum necesse est Christo incorporari, sicque ab eo velut a capite sensum ac motum, id est illuminationem et spiritualem fecunditatem, sortiri.

ARTICULUS XCIII.

1. *An in Baptismo gratia et virtutes parvulis conferantur.* 2. *An janua regni aperiatur.* 3. *An Baptismus æqualem in omnibus habeat effectum.* 4. *An per fictionem impediatur.* 5. *An ea remota, proprium effectum sortiatur.*

1. OPINATI sunt quoque quidam antiqui, quod pueris in Baptismo non infundantur virtutes et gratia, sed character, cujus virtute reciperent virtutes ac gratiam, quum ad ætatem perfectam advenerint. Hoc autem stare non potest. Pueri enim in Baptismo membra Christi fiunt; et si moriuntur, salvantur : quorum nullum sine gratia atque virtutibus fieri valet, quum ad Romanos sexto dicat Apostolus : Gratia Dei vita æterna. (*Rom.* vi, 23.) Recipiunt ergo habitus virtutum et gratiæ, quamvis actum ante pleniorem ætatem exercere non possint.

2. Denique apertio januæ regni cœlestis est remotio obstaculi regni. Quoniam ergo Baptismus omnem culpam pœnamque removeat, constat quod januam regni reserat baptizatis. Quamvis enim pœnalitates et vulnera naturæ permaneant, non tamen morientibus imputantur, quia per Christi passionem ablata sunt quantum ad pœnæ reatum : pro natura enim humana Christus satisfecit.

3. Amplius, duplex ponitur effectus Baptismi : unus, ad quem proprie ordina-

tur, qui est regeneratio in spiritualem vitam; et hic vocatur effectus Baptismi per se. Alius vero effectus Baptismi per accidens dicitur, quem in quibusdam baptizatis divina virtus quasi miraculose producit, ut scilicet lex peccati quæ est in membris, penitus exstinguatur, ne ultra serviat quis peccato. (*Rom.* VII, 23; VI, 6.) Baptismus ergo primum effectum omnibus pueris æqualiter donat, quoniam pueri ad hunc effectum se æqualiter habent, eo quod non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ Baptismum recipiant. Adulti vero istum effectum magis vel minus recipiunt, secundum quod magis vel minus se propria devotione et voto disponunt. Alius autem Baptismi effectus, non omnibus, etiam æqualiter dispositis, æqualiter datur, sed secundum divinæ providentiæ ordinem dispensatur.

4. Præterea, secundum Augustinum, quatuor modis dicitur aliquis fictus : primo, quia non credit; secundo, quia sacramentum contemnit; tertio, quoniam ritu alio quam Ecclesia ipsum celebrat; quarto, quoniam indevote accedit. Quoniam ergo Deus hominem ad justitiam non cogit, oportet ut homo propria voluntate Baptismum et ejus effectum amplectatur atque recipiat, si justificationem recipere debet. Et ideo fictio impedit Baptismum, quantum ad gratiam, non quoad characteris impressionem. Fictus autem dicitur proprie, qui demonstrat se aliquid velle quod non vult.

5. Denique, sicut in generatione naturali res simul recipit formam et proprium ejus effectum seu actum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto forma generati perficit suum actum (ut quum grave generatur, mox deorsum movetur, nisi impediatur); conformiter Baptismus imprimendo characterem quasi formam, simul tribuit gratiam, quæ concomitatur characterem, nisi sit aliquid impediens, utpote fictio : quo impediente sublato, gratia dabitur. Itaque fictione cessante, Baptismus effectum suum consequitur, scilicet gratiam atque omnis præteriti mali et pœnæ remissionem. Fictio autem per pœnitentiam deletur ac cessat.

ARTICULUS XCIV.

1. *Utrum circumcisio fuerit præparativa et figurativa Baptismi.* 2. *De institutione,* 3. *de ritu,* 4. *de effectu circumcisionis.*

1. BAPTISMUS itaque fidei sacramentum vocatur, quia per eum baptizatus fidem profitetur atque fidelium collegio connumeratur. (QUÆSTIO 70.) Eadem autem est fides nostra et veterum, juxta illud Apostoli secundæ ad Corinthios quarto : Habentes eumdem spiritum fidei, credimus. (II *Cor.* IV, 13.) Quoniam ergo antiquitus per circumcisionem homines fidem suam testabantur, et inter credentes computabantur, certum est quod circumcisio erat præparatoria ad Baptismum et figurativa ejusdem. Omnia enim in figura contingebant illis, secundum Apostolum. (I *Cor.* X, 11.)

2. Porro, quoniam Abrahæ primo facta est de Christo promissio, In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII, 18.); et ipse quoque se primo ab infidelibus segregavit obediens Deo sibi dicenti, Egredere de terra tua, etc. (*Ibid.* XII, 1.); idcirco ipsi Abrahæ convenienter data est circumcisio, quæ erat fidei sacramentum. Nec erat necessarium eam dari statim post primi parentis peccatum. Adam enim, quoniam plene instructus fuerat de divinis, sufficienter alios docuit. Naturalis quoque ratio et fides diu vigebant. Sed circa tempora Abrahæ naturalis ratio et fides videbantur pene exstinctæ, declinantibus ad idololatriam plurimis.

3. Præterea convenienter fiebat in membro generationis : primo, quoniam fuit signum fidei qua Abraham credidit Christum ex semine suo nasciturum; secundo, quia ordinabatur contra originale peccatum, quod per hoc membrum diffunditur; tertio, quia dabatur contra carnalem concupiscentiam, ut minueretur. — Sciendum quoque, quod cultellus lapideus de

necessitate circumcisionis non fuit. Non A enim præceptum erat ut tali instrumento uterentur; nec communiter Judæi eo utebantur, sicut nec modo utuntur. [Josue v, 2.] Josue tamen præcepit Deus ut cum cultellis lapideis circumcideret Israelem; [Exod. iv, 25.] et Sephora Moysis conjux cum petra acutissima filium suum circumcidit : ad figurandum quod spiritualis circumcisio per Christum ageretur, de quo ait Apostolus : [I Cor. x, 4.] Petra autem erat Christus. — Rursus, circumcisio octavo die fiebat, ratione mysterii : quia videlicet in octava ætate, id est in resur- B rectione Beatorum, omnes pœnalitates ex peccato secutæ, per Christum plenissime ab electis tollentur. Secundo, propter teneritudinem puerorum ante diem octavum. [Lev. xxiii, 37.] Nam et animalia offerri non poterant ante hunc diem. Quamvis autem octava dies fuit de necessitate præcepti, non tamen sacramenti. Nam qui octava die circumcisus non erat, postmodum circumcidi valebat. Quidam etiam asserunt, quod propter imminentis mortis periculum anticipari poterat dies octavus. Sed C quum hoc non habeatur, nec auctoritate Scripturæ, nec ex Judæorum consuetudine, melius dicitur cum Hugone de S. Victore, quod propter nullam necessitatem hæc dies potuit præveniri.

4. Quæstio autem an circumcisio contulerit gratiam, [art. lxxx, 3.] prætacta est atque soluta. Dictum est enim, quod contulit gratiam, non ex propria ratione, sed in quantum fuit signum fidei passionis Christi. Ex quo patet, quod gratiam præstitit propter fidem, non propter significationem. — Le- D gitur vero Josue quinto, [Josue v, 5, 6.] quod populus Judæorum, qui per quadraginta annos in desertis morabatur et in eis natus fuit, circumcisionem non accepit. A quo tamen excusantur, quoniam ignorabant quo tempore castra essent movenda; et quia inter infideles non manebant : unde nec signo distinctivo egebant. Probabile etiam est nullum illorum qui in desertis natus est, obisse intra hoc tempus, et antequam circumciderentur a Josue, quia in Psalmo habetur : Non erat in tribubus eorum infirmus. [Ps. civ, 37.] Verumtamen si ibi mortui sunt aliqui incircumcisi, eadem ratio est de his ut de illis qui moriebantur ante circumcisionis institutionem : quod et de pueris ante octavam diem tempore legis decedentibus intelligendum est. — Adulti autem in circumcisione omnium peccatorum, etiam actualium, remissionem perceperunt. Non tamen liberabantur a pœnæ reatu quemadmodum in Baptismo, in quo copiosior gratia datur.

ARTICULUS XCV.

1. *An catechismus,* 2. *et exorcismus Baptismum præcedere debeant.* 3. *An ea quæ in ipsis fiunt aliquid efficiant.* 4. *Quorum sit baptizandum catechizare et exorcizare.*

1. QUUM ergo sit Baptismus fidei sacramentum, [Quæstio 71.] catechismus, id est instructio rudimentorum fidei, ipsum præcedere debet. Fides enim ex auditu est. [Rom. x, 17.] Unde et Christus discipulis formam Baptismi ostendens, de docendi actu ita præmisit : Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. [Matth. xxviii, 19.] Et sicut pueri baptizantur in fide Ecclesiæ, ita et fidem audiunt atque docentur in persona Ecclesiæ, quæ eis aures ac sensus aliorum accommodat.

2. Amplius, qui intendit aliquod opus efficaciter sapienterque agere, primo impedimenta agendi tollit a se. Convenienter igitur ante Baptismum expelluntur a baptizandis diaboli, qui in eis potestatem propter peccata habebant. Hoc autem fit per exorcismum, qui contra energumenos ordinatur. Sunt enim saltem interius arrepticii, qui diabolicæ potestati subduntur. Hanc vero expulsionem diaboli signat exsufflatio exorcistæ. Benedictio quoque fit, ne adversarius redeat. Sal vero missum in nares et os, auriumque cum sputo linitio, significat acceptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures; approbationem, quantum ad nares; confessionem, quantum ad os. Olei vero inunctio signat apti-

tudinem hominis ad pugnandum adversus Zabulum. Dicuntur autem energumeni, quasi interius laborantes.

3. Porro aliqui asserunt ea quæ in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare. Hoc autem stare non potest, quia Ecclesia in exorcismo utitur verbis imperativis, dicendo : Ergo exi ab eo, maledicte diabole. Habent ergo aliquem effectum : aliter tamen quam Baptismus. Est enim duplex impedimentum gratiæ percipiendæ, videlicet : extrinsecum, ex potestate diaboli ; et intrinsecum, propter præclusionem sensuum ex infectione originalis peccati. Quorum primum aufertur in exorcismis per exsufflationes ; secundum, per salivam typicam, sacerdotisque tactum. Exorcismus ergo non aufert peccata : et ideo pueri post exorcismum ante Baptismum defuncti, non salvantur. Sed tollit impedimenta gratiæ percipiendæ. Verumtamen exorcismus non necessario requiritur ad Baptismum, quamvis omitti non debet sine necessitatis articulo : quo sublato supplendum est, ut uniformitas in Baptismo servetur, et ne gratia amittatur. Potest enim effectus Baptismi impediri, etiam postquam receptus est. In baptizato quoque quædam fiunt post Baptismum, quæ solum significant : sicut traditio candidæ vestis, quæ vitæ novitatem spiritualem figurat. Quædam vero tunc fiunt, quæ aliquid efficiunt, utpote inunctio verticis, quæ designat conservationem gratiæ baptismalis.

4. Præterea ministri comparantur ad sacerdotes, ut agens secundarium et instrumentale ad primum principaleque agens, sine quo operari non potest. Ad actiones autem nobiliores exiguntur instrumenta perfectiora. Idcirco diaconorum, qui sunt majores ministri, est sacerdotibus in ipsa sacramentorum collatione adsistere et cooperari ; aliorum vero, in his quæ sunt præparatoria ad sacramentum, sicut lectores in catechismo, exorcistæ in exorcismo. Sacerdoti tamen omnia ista conveniunt sicut principali agenti. Unde Nicolaus Papa ait, quod catechismi a sacerdotibus uniuscujusque Ecclesiæ fieri possunt. Et secundum Gregorium, sacerdotes per exorcismi gratiam manum imponunt credentibus. Dicit quoque Dionysius, quod instructio conversiva ad fidem, atque de profundis mysteriis fidei, christianæque vitæ perfectione, ad episcopos pertinet.

ARTICULUS XCVI.

1. *Utrum Confirmatio sit sacramentum.* 2. *De materia ejus.* 3. *An oporteat chrisma per episcopum consecrari.* 4. *De forma ipsius.*

1. PORRO sacramenta novæ legis ad speciales effectus gratiæ ordinantur : idcirco oportet esse speciale sacramentum ubi occurrit specialis operatio gratiæ. Quemadmodum autem in corporali vita, primo aliquis generatur recipiendo formam specificam, deinde eget augmento quo roboretur, perfectamque ætatem adipiscatur ; sic in spirituali vita, post Baptismum, qui est spiritualis regenerationis principium et gratiam præstans, sequitur Confirmatio, per quam homo in gratia confortatur, et perfectam spiritualem ætatem seu spirituale augmentum sortitur, quemadmodum Melchiades Papa affirmat. Et igitur Confirmatio ponitur speciale sacramentum. Hoc autem sacramentum Christus instituit, non exhibendo, sed promittendo, dum dixit : Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quoniam enim in hoc sacramento confertur plenitudo gratiæ Spiritus Sancti, ideo non fuit instituendum* nisi post Christi ascensionem. Propter eamdem etiam rationem, nullum legale sacramentum Confirmationi correspondet, quia nihil ad perfectum adduxit lex, secundum Apostolum ad Hebræos septimo.

(Quæstio 72. — *Joann.* xvi, 7. — * promulgandum — *Hebr.* vii, 19.)

2. Materia denique hujus sacramenti est chrisma, quod ex oleo constat et balsamo. Oleum enim Spiritus Sancti significat gratiam, sicut de Christo cantatur : Unxit *Ps.* xliv, 8.

te Deus oleo lætitiæ. Balsamum vero bonum odorem et incorruptionem perfectæ vitæ designat. Solebant namque Apostoli hac uti materia in sacramento hoc : nisi quando divinitus sensibilia signa ostendebantur, *Act.* x, 44. ut quum Spiritus Sanctus cecidit super Cornelium et sibi adjunctos, vel super alios, cum signo sensibili. Unde Dionysius quarto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ testatur : Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri (id est, Apostoli) chrismatis hostiam nominant.

3. At vero quibusdam sacramentis, videlicet Baptismo et Eucharistia, usus est Christus. Et ergo horum sacramentorum materia alia consecratione non eget, nisi propter solennitatem. Sed sensibili unctione Christus usus non est, ne suæ invisibili unctioni injuria fieret. Ideo chrisma et oleum sanctum, oleum quoque infirmorum, prius benedicuntur, antequam sacramenti usui adhibeantur. Sic ergo oportet chrisma per episcopum consecrari, ut sit apta ac propria sacramenti materia.

4. Amplius, sicut forma naturalis dat speciem rei, sic forma sacramenti ea includit quæ ad rationem ac speciem sacramenti respiciunt. Forma igitur Confirmationis, qua dicitur, Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, conveniens est. In hoc enim sacramento sunt tria necessaria, scilicet : causa conferens spirituale robur, quæ est sancta Trinitas; et hæc explicatur, quum dicitur : In nomine Patris, etc. Secundum est ipsum robur ad spiritualem pugnam, quod in Confirmatione præstatur. Et hoc exprimitur, quum dicitur : Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum quod pugnatori datur, quemadmodum milites quodam signo solent ornari. Et hoc tangitur, quum dicitur : Consigno te signo crucis. Hæc autem forma a Christo instituta est, quamvis in Scripturis digesta non sit. Dicit enim Dionysius ultimo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, consummativas invocationes (id est verba quibus

A perficiuntur sacramenta) non decuisse in commune deducere.

ARTICULUS XCVII.

1. *An Confirmatio imprimat characterem.* 2. *An character Confirmationis characterem baptismalem præsupponat.* 3. *An Confirmatio conferat gratiam.* 4. *Cui competat eam recipere.*

1. EST autem, juxta præinducta, character quædam spiritualis potestas B ad aliquas sacras actiones ordinata. Quemadmodum vero in Baptismo datur potestas agendi ea quæ propriam concernunt salutem, sic in Confirmatione datur potestas agendi ea quæ pertinent ad pugnam contra fidei hostes. Unde Apostoli hac potestate ex missione Spiritus Sancti accepta, mox sine timore ad pugnam egressi sunt, qui ante clausi sedebant. In sacramento ergo Confirmationis character imprimitur, sicut in quolibet sacramento quod non iteratur.

C 2. Insuper, ut tactum est, sicut se habet augmentatio ad generationem, ita se habet Confirmatio ad Baptismum. Sicut igitur augeri non potest, nisi qui genitus est; sic confirmari non valet, nec Confirmationis characterem recipere potest, qui baptizatus non est. Character ergo Confirmationis characterem baptismalem præexigit. Divina tamen virtus præstare potest alicui effectum sacramentorum sine sacramentis, quantum ad actualem susceptionem, et sine prædicti ordinis obD servatione.

3. Præterea, sicut in die Pentecostes dabatur Apostolis Spiritus Sanctus ad robur, et baptizatis in primitiva Ecclesia per impositionem manuum Apostolorum, *Act.* viii, 17. ut dicitur Actuum octavo; sic in Confirmatione confertur Spiritus Sanctus ad robur. Unde innotescit, quod sacramentum Confirmationis gratiam gratum facientem impendit. Sed dandum non est nisi gratiam habentibus : Confirmatio namque id roborat quod invenit. Et ideo in

Aurelianensi concilio dicitur, ut jejuni ad Confirmationem veniant, et moneantur confessionem facere.

4. Porro Deus, quantum in se est, nihil in opere suo imperfectum relinquit. Dei enim perfecta sunt opera. (*Deut.* XXXII, 4.) Quoniam ergo Confirmatio ad spiritualem quantitatem ac robur gratiæ ordinatur, patet quod omnibus danda sit, etiam pueris. Qui si confirmati decedant, majorem gloriam consequentur, sicut ampliorem gratiam habuerunt. Propter quod etiam morientibus danda est, quatenus et in resurrectione perfecti appareant. Unde Hugo de S. Victore dicit omnino periculosum esse ab hac vita sine sacramento Confirmationis decedere : non propter necessitatem salutis, sed detrimentum perfectionis.

ARTICULUS XCVIII.

1. *Cur sacramentum Confirmationis detur in fronte.* 2. *An oporteat esse aliquem qui teneat confirmandum.* 3. *An Confirmatio per solos episcopos danda sit.* 4. *De ritu hujus sacramenti.*

1. FRONS autem pudoris seu verecundiæ atque timoris est locus, propter propinquitatem ejus ad imaginationem. Est quoque frons locus maxime manifestus, semper manens intectus. Quoniam igitur confirmandi signantur signo crucis velut vexillo sui regis, quatenus nomen ejus publice et absque timore confiteantur, etiam inter adversarios veritatis ; idcirco confirmandi in fronte signantur, ut sine verecundia atque pavore Christum aperte denuntient, pro eoque pugnent ac viriliter agant.

2. Insuper, quoniam illi qui ad pugnam deputantur, maxima egent cautela ac instructione ; idcirco confirmatus tenetur ab aliquo, quasi erudiendus in his quæ modum concernunt sacri certaminis ; sicut in bello corporali ponuntur centuriones et duces, qui alios dirigant. Item, qui ad Confirmationem accedit, adhuc quasi tener ac debilis est. Et igitur merito sustentatur ab aliquo : quem tamen oportet esse confirmatum, ut repræsentet eum episcopo tanquam principi christianæ militiæ, cui militiæ confirmatus adscribitur in hoc sacramento.

3. At vero in omni negotio ipsa consummatio seu ultimata perfectio a suprema virtute inducitur. Quum ergo sit Confirmatio Baptismi perfectio, Spiritus Sancti plenitudinem præstans (sicut enim per Baptismum homines fiunt quasi domus Dei, sic per gratiam Confirmationis consecrantur Deo, ut sint quasi templum ipsius) ; idcirco dari non debet nisi ab episcopis, qui locum Apostolorum nunc supplent : quamvis summus Pontifex possit hanc potestatem concedere simplici sacerdoti, quemadmodum B. Gregorius fecit ad tollendum scandalum aliquorum. Sciendum quoque, quod sacramentum Baptismi efficacius est sacramento Confirmationis quoad remotionem mali : est enim spiritualis generatio ; generatio vero est mutatio de non esse in esse. Sed quantum ad promotionem in bono, Confirmatio excedit.

4. Adhuc autem, quoniam Matthæi octavodecimo Dominus suis promisit, Ubi fuerint tres vel duo congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum ; (*Matth.* XVIII, 20.) ideo certissime est tenendum, ordinationes Ecclesiæ a spiritu Christi procedere atque a sapientia ejus formari. Rationabiliter ergo ordinavit Ecclesia, ut sacramentum Confirmationis non solum præstetur in vigilia Paschæ ac Pentecostes, quando solennis datur Baptismus, Confirmatio quoque solennis ; sed etiam tempore alio, quoniam episcopi non semper habentur præsentes ad nutum. Quod autem institutum est, ut a jejunis recipiatur et detur, non obligat debiles ; et propter multitudinem confirmandorum, imminentia quoque pericula, dari et recipi potest a non jejunis. Item, chrisma in die Cœnæ conficitur : quatenus destinari queat ad alia loca ante vigiliam Paschæ, quando datur solennis Baptismus, et quoniam Christus tunc Eucharistiam consecravit.

ARTICULUS XCIX.

1. *Utrum Eucharistia sit sacramentum.* 2. *An sit unum vel plura.* 3. *An sit de necessitate salutis.* 4. *De nominibus ejus.* 5. *De ejus institutione.* 6. *De figuris ipsius.*

Quæstio 73. 1. AGNOSCENDUM præterea, quod sicut in corporali vita ille qui genitus est et augendus est, cibo potuque indiget ; sic spiritualiter in Christo renatus, spirituali alimonia eget, per quam conservetur in vita. Hoc autem est Eucharistia. Quum igitur sacramenta ad spiritualem vitam ordinentur secundum speciales gratiæ operationes : patet quod sicut Baptismus, qui est spiritualis renatio, et Confirmatio, quæ est spirituale augmentum, sunt sacramenta, sic Eucharistia, quæ est spirituale nutrimentum, sit sacramentum. Dicitur autem sacramentum, quoniam continet aliquid sacrum. Eucharistiæ autem sacramentum continet aliquid quod est simpliciter sacrum, videlicet Christum ; alia vero sacramenta continent aliqua sacra in ordine ad aliud. Ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione materiæ ; alia autem, in applicatione ad aliud. Ex quo ultra consequitur, ut in Eucharistia id quod est sacramentum et res, sit in ipsa materia, scilicet corpus Christi. Id autem quod est res tantum, utpote gratia, est in recipiente. Sed in Baptismo utrumque est in recipiente, videlicet tam character quam gratia.

2. Præterea unum dicitur, vel quia continuum, vel quia indivisibile, vel quia est integrum, omnia scilicet habens quæ ad ejus integritatem concurrunt, et quæ ad finem ejus requiruntur, quemadmodum homo ex membris componitur. Eucharistia autem ad spiritualem refectionem ordinatur, in qua duo sunt necessaria, sicut in refectione corporali. Et ideo ad Eucharistiæ perfectionem duo exiguntur, videlicet spiritualis cibus, spiritualisque potus, juxta illud Joannis sexto : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est (Joann. VI, 56.) A potus. Hoc ergo sacramentum materialiter est multa, sed formaliter perfectiveque unum. Et ideo in collecta dicitur, Purificent nos, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus, pluraliter, ad insinuandum materialem diversitatem ; et subditur, Et præsta, ut hoc tui corporis sacramentum, singulariter, propter unitatem formalem.

3. Præterea in Eucharistia duo possunt attendi, videlicet sacramentum, et res sacramenti, quæ est unitas corporis mystici. B Hoc ergo sacramentum, quantum ad actualem perceptionem, non est de necessitate salutis, quoad id quod est sacramentum ; sed quantum ad id quod est res sacramenti. Sine unitate enim mystici corporis, id est extra Ecclesiam Christi, nulli reponitur salus. Potest autem homo a Deo recipere rem sacramenti ante sacramentum, ut dictum est, dummodo habeatur sacramentum in voto. Unde Augustinus contra Pelagianos Bonifacio scribens : Nec id, inquit, cogitetis, parvulos vitam ha- C bere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi. Dicitur autem Eucharistia sacramentum caritatis, quia est sacramentum passionis, prout homo perficitur in unione ad Christum passum.

4. Præterea hoc sacramentum, prout significat passionem Christi præteritam, dicitur sacrificium. Sed prout designat præsentem Ecclesiæ unitatem in electis, vocatur communio vel synaxis. In quantum autem figurat fruitionem futuram, nominatur viaticum, et Eucharistia, id est D bona gratia, quia per gratiam ejus datur facultas pertingendi ad patriam. Dicitur quoque hostia, secundum quod continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris vera et viva.

5. Convenienter autem Christus hoc sacramentum in Cœna instituit : primo, quia tunc corporaliter discipulos suos reliquit, et ergo sub sacramentali specie cum eis permanere disposuit ; secundo, quoniam in ipso veteris legis sacramenta consummantur ; tertio, ut memoriæ fortius im-

primeretur, quasi ultimum memoriale ac donum recedentis amici.

6. Porro in sacramento Eucharistiæ tria pensantur : unum, quod est sacramentum tantum, videlicet panis et vinum ; aliud, quod est res et sacramentum, scilicet corpus Christi verum; tertium, quod est res tantum, puta effectus sacramenti istius. Quantum ergo ad primum, potissima hujus sacramenti figura fuit oblatio Melchisedech, qui panem et vinum obtulit. Quantum ad secundum, omnia sacrificia legis fuerant ejus figura, potissime vero sacrificium expiationis, quod solennissimum fuit : quando pontifex introivit semel in anno in Sancta Sanctorum cum sanguine, sicut Apostolus ait ad Hebræos nono. Quantum autem ad effectum Eucharistiæ, sic manna erat potissima ejus figura. Nam sicut manna omnis saporis dulcedinem continebat, sic hujus sacramenti gratia mentem ad omnia reficit. Agnus vero paschalis, quantum ad omnia tria hæc, sacramentum Eucharistiæ figurat. Nam agnus ille edebatur cum azymis panibus. Offerebatur quoque ab omni populo Israel luna quartadecima in figuram Christi passionisque ejus, qui propter innocentiam appellatus est agnus. Item, per sanguinem agni paschalis protecti sunt Judæi in Ægypto ab angelo devastante, id est primogenita occidente, atque ex Ægyptiaca servitute erepti : quemadmodum nos per sanguinem Christi redimimur. Ideo agnus paschalis non immerito dicitur potissima hujus sacramenti fuisse figura.

Gen. XIV, 18.

Lev. XVI, 2 *et seq.*

Hebr. IX, 7.

Exod. XII, 8.

ARTICULUS C.

1. *De materia sacramenti Eucharistiæ.* 2. *An requiratur ad eam determinata quantitas.* 3. *An panis triticeus.* 4. *An panis azymus, vel fermentatus.* 5. *An vinum uvæ sit propria ejus materia.*

QUÆSTIO 74. 1. APTE præterea instituit Christus sacramentum hoc sub specie panis ac vini, ex quibus conficitur. Materia enim A sacramentorum correspondere debet effectui eorum : quemadmodum aqua Baptismi spirituali lotioni. Quum ergo sit hoc sacramentum spiritualis refectio et manducatio, sub specie panis, qui maxime cibat, et vini, quod reficit, confici debuit : seorsum tamen, quia in passione Christi separatus est sanguis a corpore ejus. Item, panis figura est corporis, et sanguis animæ. Hoc autem sacramentum tuetur corpus et animam. Rursus, hoc sacramentum est causa ecclesiasticæ unitatis, quæ ex B multorum collectione in Christo consurgit. Et ergo sub formis panis, qui ex multis granis, et vini, quod ex diversis uvis, constant, celebrandum consistit.

2. Amplius, in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem : quemadmodum determinatio materiæ serræ est ut sectioni sit apta. Finis vero Eucharistiæ est usus fidelium. Determinatio ergo quantitatis materiæ sacramenti istius accipitur in comparatione ad fideles : non qui occur- C runt in præsenti (alioqui sacerdos paucos habens parochianos, non posset consecrare hostias multas) ; sed in ordine ad fideles absolute, quorum numerus indeterminatus est. Propter quod quantitas materiæ hujus sacramenti non est determinata ; sed quantuscumque panis ac vinum consecrari possunt simul a sacerdote, sicut et materia quantumlibet modica.

3. Porro ad usum sacramentorum assumitur materia magis communis in usu vitæ humanæ. Pane autem triticeo homi- D nes communius uti consueverunt : nam in hujus panis defectum alii panes introducti videntur. Idcirco propria hujus sacramenti materia est panis triticeus : nam et Christus in hac materia istud sacramentum instituit.

4. Verumtamen non est differentia, quantum ad veritatem sacramenti, utrum fiat in azymo vel in fermentato; sed debet unusquisque suæ Ecclesiæ ritum servare. Unde sicut peccaret Latinus, si in fermentato conficeret ; ita Græcus peccaret, con-

secrando in azymo. Conficitur enim in azymo, ad designandum quod Filius Dei sine omni commixtione carnem assumpsit; in fermentato autem, quia Verbum Patris induit carnem. Convenientius vero est, ut fiat in azymo : quoniam Christus in azymo corpus proprium consecravit, videlicet primo die Azymorum post esum agni paschalis, quo die non licuit in domibus Judæorum esse fermentatum; secundo, ad designandum quod caro Christi sine virili commixtione atque corruptione concepta et nata est; tertio, ad insinuandum sinceritatem vitæ eorum qui hoc sacramentum sumere debent, quemadmodum ait Apostolus : Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. Græci autem in fermentato conficiunt, propter detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miscuerunt.

1 Cor. v, 8.

5. Sanguis insuper Christi non nisi in vino vitis confici valet : tum, quia Christus in tali vino confecit, juxta illud Matthæi : Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Tum, quia hoc vinum dumtaxat est verum vinum ; alii autem liquores non nisi propter similitudinem quamdam vinum dicuntur. Tum, quia effectus hujus sacramenti est spiritualis lætitia. De vino autem scriptum est : Vinum lætificat cor hominis. In vino igitur mororum vel malorum granatorum non potest consecratio fieri, neque in aceto quod per corruptionem vini generatur. In musto autem, et si necesse esset, etiam in liquore ex botro expresso, sacramentum hoc confici potest, secundum Julium Papam ; non tamen in agresta, quum sit in via generationis.

Matth. xxvi, 29. — *Ps.* ciii, 15.

ARTICULUS CI.

1. *An aqua sit vino miscenda.* 2. *An aquæ admixtio sit necessaria.* 3. *De quantitate aquæ apponendæ.*

1. VINO insuper admiscenda est aqua in sacramento Eucharistiæ. Primo, quia probabiliter creditur Christus in vino lymphato confecisse, secundum morem Terræ sanctæ, in qua vina sunt fortia. Unde in Proverbiis dicitur : Bibite vinum quod miscui vobis. Secundo, propter repræsentationem passionis Christi, de cujus latere fluxit sanguis et aqua. Tertio, ad designandum effectum hujus sacramenti, videlicet unionem populi christiani cum Christo : nam per aquam exprimitur populus; per vinum, Christi sanguis.

Prov. ix, 5. — *Joann.* xix, 34.

2. Denique ista admixtio non est de necessitate sacramenti, quum fiat propter significationem prædictam : cujus significatum, scilicet unio populi cum Christo, non est de necessitate sacramenti istius. Hoc namque sacramentum perficitur in consecratione materiæ, non in applicatione ad hominem, ut alia sacramenta.

3. Præterea, ut Innocentius Papa refert, circa aquam quæ vino miscetur, triplex fuit opinio. Prima dixit, quod aqua per se manet, vino consecrato. Sed hoc stare non potest, quoniam post consecrationem nihil est in Sacramento altaris nisi corpus et sanguis Christi, secundum Ambrosium. Alii ergo dixerunt, quod sicut vinum convertitur in Christi sanguinem, sic aqua in aquam quæ de ejus latere emanavit. Sed hoc dici non debet : nam secundum hoc, aqua seorsum consecraretur a vino. Tertia itaque opinio, ut Innocentius asserit, rationabilior est : quæ ponit aquam primo converti in vinum, sicque totum simul consecrari. Et ideo aqua in parva quantitate miscenda est, ne species vini mutetur, præsertim, si vinum sit debile.

ARTICULUS CII.

1. *Utrum in hoc sacramento sit verum corpus Christi et sanguis.* 2. *An substantia panis et vini post consecrationem remaneat.* 3. *An annihiletur.* 4. *An panis convertatur in corpus Christi.* 5. *An accidentia maneant.*

1. PORRO verum Christi corpus ac sanguinem in hoc sacramento consistere, sola divina sanctaque fide credi-

Quæstio 75.

mus. Convenit quoque sic esse. Nam sacrificia veteris legis verum Christi sacrificium continebant dumtaxat figuraliter. Quum ergo lex nova perfecta sit, convenit ut sacrificium ejus contineat Christum realiter. Secundo, ad insinuandum ardentissimam caritatem Christi ad nos. Proprium enim amicorum videtur, convivere et simul velle uniri. Tertio, quoniam fides est non solum de Christi divinitate, sed et de ejus humanitate. Sicut igitur divinitatem nobis suam Christus invisibiliter exhibet, sic humanitatem suam in hoc sacramento nobis invisibili modo proponit. Corpus quippe Christi non est in sacramento sicut in loco, sed spirituali, speciali atque ineffabili modo huic sacramento proprio.

2. Denique corpus Christi in sacramento esse non incipit per motum localem, seu descensum a cœlis (desineret enim esse in cœlo, nec in instanti sub hostia esse inciperet, nec simul in pluribus hostiis esset), sed per conversionem panis in ipsum, et vini in sanguinem. Ideo opinio dicentium in hoc sacramento remanere substantiam panis ac vini, omnino absurda est, et cavenda tanquam hæretica.

3. Ex quo etiam sequitur, quod substantia panis et vini, nec annihiletur, nec in præjacentem materiam resolvatur; sed vere in Christi corpus ac sanguinem convertitur : sicque transsubstantiatur. Conversio enim accipit nomen et speciem a termino ad quem. Et secundum Augustinum, Deus non est causa tendendi in non esse.

4. Insuper, ista conversio omnino supernaturalis est, et soli omnipotenti divinæ potestati possibilis. Omne enim agens creatum, ad genus ac speciem est limitatum. Et ergo actio ejus non fertur nisi ad aliquem determinatum actum, subjecto supposito. Potest ergo ad immutationem formæ agere, ut una forma alteri in eodem subjecto succedat. Propter quod omnis naturalis conversio nominatur formalis. Sed Deus, qui est infinitus et purus

A actus, cujus virtus immensa exsistens nihil supponit, totam substantiam rei mutare potest, convertendo unum in aliud præexsistens. Quæ conversio, non formalis, sed substantialis vocatur. Sicque in Sacramento dignissimo tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi ; et item tota substantia vini, in totam substantiam sanguinis ejus. Hæc ergo supernaturalis conversio non est in uno subjecto, sed est in utraque substantia sicut in subjecto, quemadmodum ordo

B et numerus : nam et ipsa ordinem substantiarum, quarum una in aliam transit, importat. Itaque per infinitam Dei potentiam converti potest forma in formam, atque materia in materiam, quoniam utrique formæ atque materiæ est natura entis communis. Id ergo entitatis quod est in una, potest auctor totius entis convertere in id quod est entitatis in alia, sublato illo per quod ab illa distinguebatur.

5. Amplius, accidentia in hoc sacramento manent : primo, ne abhorreamus

C Christi carnem sub propria specie manducare ; secundo, ne infideles Christianos derideant, quod proprium Dominum edant ; tertio, ut fides meritum habeat.

ARTICULUS CIII.

1. *An post consecrationem forma substantialis panis permaneat.* 2. *An conversio hæc fiat in instanti.* 3. *An sit miraculosior omni alia mutatione.*

D 1. DIXERUNT quoque nonnulli formam substantialem panis post consecrationem manere. Sed hoc dici non potest. Sic enim nihil converteretur in corpus Christi, nisi sola materia, quæ converti non potest in totum corpus Christi, sed in solam ejus materiam : quo concesso, non fieret conversio in totum corpus Christi, sed in solam materiam ejus. Sed hoc formæ sacramenti repugnat, qua dicitur : Hoc est corpus meum. Item, si forma substantialis manet, vel manet in propria ma-

teria, vel in alia, vel stat per se separata. Primum horum dici non valet, quum materia panis convertatur ; nec secundum, quoniam propria forma non est nisi in propria materia ; nec tertium, quia secundum hoc illa esset forma actu intelligibilis. Itaque forma substantialis panis convertitur in animam Christi, secundum quod dat esse corporeum, non prout dat esse animatum anima tali.

2. Denique mutatio instantanea est triplici ratione. Primo, ex parte formæ, ad quam terminatur mutatio : sicut in formis non recipientibus magis et minus. Tales enim subito introducuntur. Secundo, ex parte subjecti, quod in ultima dispositione consistit ad formam : quemadmodum diaphanum ad illuminationem. Tertio, ex parte virtutis agentis : ut quum virtus est infinita. Hæc ergo conversio propter omnes has rationes instantanea est. Nam substantia corporis Christi, ad quam terminatur conversio, non recipit magis aut minus ; virtus quoque quæ efficit conversionem hanc, immensa est ; nec ipsum subjectum conversionis successive disponitur ad conversionem hujusmodi. Unde ultimum instans prolationis verborum, est primum instans in quo sub sacramento est corpus Christi ; et in toto tempore præcedenti est ibi substantia panis : cujus temporis non est accipere aliquod instans proxime præcedens ultimum. Sic enim ex instantibus tempus compositum foret. Est ergo dare primum instans in quo est ibi corpus Christi ; non autem est dare ultimum instans in quo est ibi substantia panis, sed est dare ultimum tempus. Et idem est in mutationibus naturalibus, sicut octavo Physicorum probatur. In talibus quippe sunt simul fieri et factum esse, ut illuminari et illuminatum esse. Dicitur enim factum esse, prout nunc est ; et fieri, secundum quod ante non fuit.

3. Præterea in conversione hac est ordo terminorum, sicut in creatione ac naturali mutatione. Non autem est hic sub utroque termino idem subjectum. Possumus

A igitur dicere, Ex pane fit corpus Christi, sicut, Ex non ente fit ens : quia præpositio *ex* ordinem signat. Non autem dicendum est, quod panis sit corpus Christi, vel fieri possit corpus Christi ; vel quod de pane fiat corpus Christi : quia præpositio *de* consubstantialitatem seu causam consubstantialem significat : quæ consubstantialitas extremorum in transmutatione naturali attenditur secundum convenientiam in subjecto. — Est præterea ista conversio omni alia mutatione miraculosior.

B Nam sicut creatio excedit quamlibet aliam mutationem, sive sit substantialis, sive accidentalis, in hoc quod attingit ipsam materiam, quam aliæ mutationes præsupponunt : ita et ista conversio usque ad ipsam essentiam materiæ pertingens, habet hoc quidem commune cum creatione, quod excellat reliquas omnes mutationes ; sed ex parte termini ad quem est mutatio, quæ est unio humanæ naturæ ad divinam, ipsam quoque creationem superat in difficultate : unde est et ipsa miracu-

C lorum omnium miraculum.

ARTICULUS CIV.

1. *An totus Christus sit in hoc sacramento.* 2. *An totus sit sub qualibet specie.* 3. *An sub qualibet parte specierum.* 4. *An dimensiones corporis Christi sint totæ in hoc sacramento.*

1. PRÆTEREA in hoc sacramento est aliquid ex vi sacramenti, id scilicet ad quod directe conversio panis ac vini Quæstio 76.

D terminatur, utpote corpus Christi et sanguis ; et aliquid concomitanter, videlicet anima Christi atque divinitas : quæ quum realiter sint conjunctæ corpori Christi et sanguini, ibi necessario sunt ubi est caro sanguisque Christi. Hoc igitur modo totus Christus est in sacramento. In hac namque conversione, non convertuntur dimensiones panis vel vini in dimensiones corporis et sanguinis Domini, sed substantia in substantiam. Tota autem substantia rei est æque in magna et parva quanti-

tate : quemadmodum natura aeris est vere tam in parvo quam in magno aere. Tota ergo substantia corporis et sanguinis Christi continetur in hoc sacramento sub qualibet dimensionis particula, sicut antea substantia panis et vini contenta fuit. Nam corpus Christi est in hoc sacramento, non per modum quantitatis, sed substantiæ.

2. Ex istis innotescit, quod sub specie panis est totus sanguis Christi, atque sub specie vini totum corpus Christi, et ipse totus Christus sub utraque specie : difformiter tamen. Nam sub specie panis est sanguis Christi concomitanter, eo quod non sit separatus realiter a corpore Christi; corpus vero, ex vi sacramenti. Similiter sub specie vini est sanguis ex vi sacramenti, quia directe convertitur substantia vini in ipsum; corpus autem concomitanter. Quum vero Christus dixit, Caro mea vere est cibus, ponitur pars pro toto, videlicet caro pro toto corpore nervos et ossa habente, eo quod caro sit comestioni magis accommoda.

Joann. VI, 56.

3. Porro, sicut tota substantia seu natura panis continetur sub qualibet particula dimensionis ; ita et totus Christus continetur sub qualibet specie panis ac hostiæ, non solum quum actu dividitur, ut aliqui asserunt (ponentes simile de speculo, quod integrum manens unam imaginem continet), sed etiam ante actualem divisionem. Non tamen est sub partibus infinitis, quoniam numerus sequitur divisionem in actu. Habet quoque Christi corpus distantiam et ordinem partium suarum in sacramento, non prout comparatur ad dimensiones sacramenti, sed proprias, quas semper æqualiter habet.

4. Insuper, quoniam dimensiones Christi propriæ suo corpori semper conjunctæ sunt, nec a corpore ejus separabiles sunt ; idcirco tota quantitas dimensiva corporis Christi in isto sacramento consistit concomitanter, atque per modum substantiæ : non per modum dimensionum, ut scilicet sit tota in toto, et singulæ partes

A in singulis partibus ; sed tota in toto, et tota in qualibet parte, sicut substantia.

ARTICULUS CV.

1. *An corpus Christi sit in hoc sacramento localiter.* 2. *An mobiliter.* 3. *An visibiliter.* 4. *An maneat in hoc sacramento, quando miraculose videtur sub specie carnis vel pueri.*

1. SICUT nunc dictum est, corpus Christi est in hoc sacramento, non secundum modum quantitatis dimensivæ, scilicet per commensurationem ad aliquid extra se ; sed per modum substantiæ, quæ quum secundum se indivisibilis sit, in qualibet parte quantitatis consistit. Nihil autem corporeum in loco est, nisi per commensurationem ad locum, et secundum dimensionum extensionem. Corpus igitur Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum quo natura rei sub propria quantitate continetur. Corpus enim Christi succedit substantiæ panis. Unde, sicut natura panis ante consecrationem non erat sub suis dimensionibus sicut in loco ; ita nec postea corpus Christi. Verumtamen substantia panis localiter ibi erat, quoniam comparabatur ad locum mediantibus dimensionibus propriis tanquam subjectum earum ; sed corpus Christi illarum subjectum non est dimensionum. Et ergo non comparatur ad locum illum nisi per dimensiones alienas ; non autem per proprias, quum illæ non sint ibi nisi concomitanter. Nullo itaque modo Christus est in sacramento localiter. Imo, sicut aliarum rerum substantia comparatur ad locum per dimensiones suas, sic dimensiones corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia : quod est contra rationem corporis locati.

2. At vero eidem possunt convenire diversa secundum diversas rationes. Imo, quod subjecto est unum et idem, tamen secundum esse multa, potest secundum aliquid moveri, et simul quiescere secun-

dum aliud : ut res quæ colorata et magna A est, potest secundum colorem mutari sine magnitudinis mutatione seu motu. Similiter, Christus secundum esse proprium potest quiescere, et simul moveri secundum id in quo est atque per accidens, scilicet ad motum formarum sub quibus in sacramento continetur : sub quibus desinit esse sine sua mutatione, quum habeat esse indeficiens et immortale : quemadmodum Deus desinit esse in creatura corruptibili per mutationem, non suam, sed creaturæ. Et sicut Deus desinit esse B Dominus alicujus creati, non quod ipse mutetur, sed quoniam habitudo ejus ad creaturam aufertur per mutationem creaturæ ; sic Christus desinit esse sub sacramento, quoniam habitudo ejus ad hunc locum tollitur propter mutationem seu corruptionem creatarum specierum sacramenti.

3. Porro Christus secundum quod in hoc sacramento est, a corporali oculo nequit videri. Substantia enim non nisi per accidentia visum immutat. Dictum est au- C tem quod accidentia Christi sunt in hoc sacramento concomitanter et mediante substantia. Non ergo visum immutant. Item, corpus Christi in hoc sacramento consistit per modum substantiæ, non per modum dimensionis. Substantia vero secundum se invisibilis est. Intellectus autem Beatorum, tam angelorum quam hominum, spirituali oculo vident corpus Christi prout in sacramento est, secundum participatam claritatem divini intellectus per visionem divinæ essentiæ. Dæ- D mones vero ipsum non vident, nisi per fidem : cui non assentiunt bona voluntate, sed evidentium convicti necessitate signorum, quemadmodum Jacobi secundo
Jacob. II, 19. habetur : Dæmones credunt, et contremiscunt.

4. Præterea, quod in hoc sacramento interdum conspicitur quasi caro, vel sanguis, seu puer : quandoque contingit propter solam immutationem sensuum videntis, cujus sensus ita afficitur atque formatur, ac si hujuscemodi aliquid præsens videret. Quod tunc præcipue fit, quando unus conspicit hostiam in propria specie, alius in forma prædicta. Secundo, istud contingit propter immutationem factam circa species sacramenti, quæ ita qualificantur ut videantur sub specie carnis vel sanguinis. Quidam vero dixerunt hoc esse propriam speciem corporis Christi. Sed hoc non dicitur recte, quoniam corpus secundum propriam speciem non videtur nisi in uno loco. Itaque quamdiu remanent dimensiones, quæ sunt in sacramento aliorum accidentium fundamentum, manet sub eis corpus Christi ac sanguis.

ARTICULUS CVI.

1. *An accidentia maneant sine subjecto in hoc sacramento.* 2. *An quantitas sit eorum subjectum.* 3. *An illa accidentia possint immutare corpus extrinsecum.* 4. *An possint corrumpi.*

1. ACCIDENTIA insuper sine subjecto in hoc sacramento consistunt, quia substantia panis non manet ; nec transeunt in corpus Christi ; nec sunt, ut aliqui æstimant, in aere circumstante, quoniam accidens non migrat de subjecto in subjectum, nec aer susceptivus est accidentium talium. Quæstio 77.

2. Porro, quum quantitas immediate sequatur substantiam ratione materiæ, ipsa quantitas fundamentum est aliorum accidentium quæ posterius consequuntur substantiam, scilicet colorum, saporum, etc. Et ideo quamvis virtute divina quantitas panis et vini maneat sine subjecto, alia tamen accidentia manent in ea tanquam in fundamento atque subjecto. Patet quoque ad oculum in sacramento aliquod quantum esse coloratum, aliisque accidentalibus formis affectum.

3. Præterea agere sequitur ipsum esse agentis. Unumquodque enim operatur se-

eundum quod est in actu. Quemadmodum ergo divina virtute confertur accidentibus in isto sacramento sine substantia esse ; sic et agere possunt sine subjecto proprias actiones, sicut et ante consecrationem. Possunt ergo immutare extrinseca corpora.

4. Rursus, corrumpi possunt sicut et ante : sive per se, ut a qualitatibus contrariis per alterationem ; vel propter diminutionem dimensionum in tam modicas partes, quod corrumperetur substantia panis ac vini.

ARTICULUS CVII.

1. *An ex formis seu speciebus sacramenti possit aliquid generari.* 2. *An aliquis possit ex eis nutriri.* 3. *De fractione panis consecrati.* 4. *An vino consecrato aliquid possit misceri.*

1. CORRUPTIO autem unius, generatio est alterius. Quum ergo species sacramentales possint corrumpi, ut dictum est, oportet aliquid ex eis generari (non enim rediguntur in nihilum) : præsertim quum ad oculum pateat aliquid generari per corruptionem earum, videlicet vermes aut cineres. Quidam autem dixerunt talia quidem non generari ex formis prædictis, sed ex aere circumstante. Quod irrationabiliter dicitur. Primo, quia in aere nulla apparet facta corruptio vel alteratio. Generatur autem aliquid ex eo quod ante alteratum est atque corruptum. Secundo, quia natura aeris talis non est ut possint ex eo talia generari. Alii ergo dixerunt substantiam panis ac vini in corruptione prædictarum specierum reverti, sicque ex ea generari quæ fiunt. Sed hoc non videtur possibile. Quum namque substantia panis et vini sit conversa in corpus et sanguinem Christi, non potest redire, nisi corpus Christi et sanguis denuo convertantur in eam. Melius ergo apparet, ut dicamus quantitati miraculose conferri ut

A suppleat vicem materiæ, aliis formis substando, et subjectum generationis atque corruptionis exsistendo sicut materia : non quidem novo miraculo, quum nihil miraculosum sit in hoc sacramento nisi ex vi consecrationis ; sed virtute miraculi prius facti.

2. Ex quo facile constat, quod species istæ hominem nutrire possunt, non solum confortando, sicut odore aliquis confortatur, sed vere cibando. Ostensum est enim, quod converti possunt in substantiam aliB quam quæ ex eis generatur. Dicitur autem panis esse in Sacramento altaris post consecrationem, vel quia species panis manent, vel quoniam corpus Christi, quod est panis mysticus, ibi vere exsistit.

3. Præterea vera fractio est in hoc sacramento, sicut ad sensum cognoscitur. Hujus autem fractionis subjectum non est corpus Christi, sed ipsa dimensio, quæ secundum se habet partium quantitativarum extensionem atque distinctionem. Unde quemadmodum species sacramentales C sunt sacramentum corporis Christi, sic fractio hæc ponitur sacramentum passionis Christi, quæ fuit in corpore ejus.

4. Porro, ut tactum est, quemadmodum species in hoc sacramento permanentes, sortiuntur virtute consecrationis modum essendi substantiæ ; sic adipiscuntur et modum agendi et patiendi substantiæ : ita ut agere patique possint quidquid ageret et pateretur substantia panis et vini, si præsens adesset. Quemadmodum ergo ante consecrationem vino alius liquor miD sceri potest, tam ejusdem speciei, videlicet aliud vinum, quam alterius, ut aqua vel simile quidpiam ; sic post consecrationem fieri potest permixtio. Et si illa permixtio sit tanta, quod species vini consecrati corrumpatur, non manebit sub formis illis Christi sanguis. Imo, quum mixtum non sit aliquod miscibilium, sed tertium quoddam, illa pars vini consecrati quæ alio liquore perfunditur, desinit continere sanguinem Christi, dum ejus species accidentalis destruitur.

ARTICULUS CVIII.

1. De forma hujus sacramenti. 2. De convenientia formæ consecrationis corporis Christi. 3. De convenientia formæ consecrationis sanguinis Christi. 4. De virtute utriusque formæ. 5. De veritate locutionis. 6. De habitudine harum formarum ad invicem.

QUÆSTIO 78. 1. DIFFERT vero hoc sacramentum a ceteris. Primo, quia hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ; alia autem, in usu materiæ consecratæ. Secundo, quia in aliis consecratio materiæ in sola benedictione consistit materiæ, per quam recipit instrumentalem sanctificandi virtutem, quæ a ministro ad inanimata potest procedere. Sed istud sacramentum consistit in supernaturali conversione. Unde in consecratione materiæ sacramenti istius sacerdos alium actum non habet, nisi prolationem verborum. Conformiter, forma hujus sacramenti, qua dicitur, Hoc est corpus meum, ab aliorum formis sacramentorum in duobus distinguitur. Primo, quoniam illæ formæ important usum materiæ, ut quum dicitur, Ego te baptizo; hujus autem sacramenti forma solam materiæ consecrationem designat. Secundo, quia aliorum sacramentorum formæ dicuntur a ministro per modum agentis vel deprecantis, ut quum dicitur, Ego te consigno; vel, Per istam unctionem, etc. Hujus vero sacramenti forma profertur ex persona Christi loquentis : ad insinuandum quod sacerdos in confectione hujus sacramenti nihil aliud agit, nisi quod verba Christi pronuntiat.

Est autem diversa opinio quomodo Christus hoc sacramentum confecerit. Quidam enim affirmant, quod sola divina virtute consecravit, et postea formam consecrandi aliis dedit. Alii dicunt, quod aliis verbis et nobis ignotis consecravit. Quidam autem, quod eadem verba bis protulit : primo, in occulto conficiendo; secundo, aperte aliis dando. Sed melius dicitur, quod A verbis quibus nunc consecratio fit, ipse Christus consecravit, non in occulto prolatis, vel bis, sed semel. Nam et Evangelistæ, secundum Augustinum, non semper servant eumdem ordinem recitando, secundum quem gesta est res. — Sciendum quoque, quod si sacerdos sola verba quæ ad hujus sacramenti formam pertinent, proferret cum intentione consecrandi, vere conficeret. Nam ejus intentio faceret ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata : quamvis verbis præ- B cedentibus id non exprimatur. Sic tamen conficiens graviter peccaret, utpote ritum Ecclesiæ non observans.

2. Præterea in consecratione ista consideranda sunt tria, videlicet ipsa conversio, terminus a quo, et terminus ad quem. Et quia conversio ista fit in instanti, significatur non ut in fieri, sed ut in facto esse, quum dicitur, Hoc est corpus meum; terminus quoque a quo, designatur per pronomen demonstrativum, quum dicitur, Hoc; sed et terminus ad C quem exprimitur, quum additur, Corpus meum. Hæc autem conjunctio, *enim*, adjungitur secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ a B. Petro derivatam. Adjungitur vero propter continuationem ad præcedentia verba. Unde non est de forma sacramenti.

3. At vero quidam dixerunt, quod ad formam consecrationis calicis non pertinent nisi hæc verba : Hic est calix sanguinis mei. Sed quoniam verba sequentia sunt determinationes hujus prædicati, San- D guinis; ideo alii melius dicunt, quod verba quoque sequentia ad formam consecrationis vini pertineant, usque dum dicitur, Hæc quotiescumque feceritis : quæ non sunt de forma, sed spectant ad usum sacramenti istius. Per hæc itaque verba, Hic est calix sanguinis mei, significatur conversio vini in sanguinem. Verba vero sequentia designant virtutem sanguinis Christi pro nobis effusi : valet nempe ad tria, scilicet ad perceptionem vitæ æternæ, ad justificationem gratiæ, et ad de-

lenda peccata. Propter primum dicitur, A Novi et æterni testamenti; propter secundum apponitur, Mysterium fidei; propter tertium autem adjicitur, Qui pro vobis et pro multis effundetur, etc. — Quum vero dicitur, Hic est calix sanguinis mei, ponitur continens pro contento; et est sensus: Hic est sanguis meus contentus in calice. Testamentum quoque aliud nihil est, nisi dispositio hereditatis. Et quia per sanguinem Christi adipisci possumus hereditatem æternam, dictum est : Calix sanguinis mei novi et æterni testamenti. Dicitur B etiam in consecratione sanguinis, Mysterium fidei, ad designandum occultum modum quo sanguis Christi vere in sacramento consistit, quod sola fide tenetur. Unde et ipsum mysterium est quasi fidei objectum. — Quamvis vero non omnia verba consecrationis calicis in Scriptura legantur, eo quod Apostoli et Evangelistæ nolebant formas sacramentorum publice tradere propter infidelium derisionem, secundum Dionysium in fine Ecclesiasticæ hierarchiæ; omnia tamen verba illa a C Christo prolata sunt et Apostolis tradita : per quos hæc forma a Christo ad Ecclesiam venit, juxta illud primæ ad Corinthios undecimo : Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis. (I *Cor.* XI, 23.)

4. Insuper, sicut de verbis ad aliorum sacramentorum formam spectantibus dictum est, quod in eis sit quædam virtus activa ad effectum sacramenti, non principalis vel prima, sed instrumentalis et secundaria; ita de verbis formalibus hujus sacramenti credendum est : quoniam D quum ex persona Christi dicuntur, per hoc quod ex ejus mandato proferuntur, consequuntur instrumentalem virtutem ad consecrationem : et hoc, in ultimo instanti prolationis ultimi verbi in ordine ad verba præcedentia.

5. Præterea hæc locutio, Hoc est corpus meum, vera est, intelligendo eam secundum ultimum instans prolationis verborum. Istud autem pronomen demonstrativum, Hoc, non demonstrat panem, nec etiam corpus Christi, sed aliquid sub speciebus sacramenti contentum, utpote quod prius fuit panis, et postmodum corpus est Christi. Pronomen enim significat substantiam in communi, sine qualitate, id est proprietate determinante. Et ideo verba prædicta, quæ sunt forma hujus sacramenti, quamvis recitative a sacerdote dicuntur, non tamen sumuntur materialiter solum, sed etiam significative : imo et factiva sunt ejus quod significant. Sed significatio præintelligitur conversioni seu rei significatæ, ordine naturæ, non temporis : nam causa naturaliter prior est suo effectu.

6. Amplius, consecratio corporis statim perficitur verbis prolatis quæ ad hanc pertinent consecrationem. Non enim consecrationes panis ac vini se invicem exspectant. Alioqui diceretur, Hoc erit corpus meum; nec corpus Christi elevaretur ante consecrationem sanguinis.[1]

ARTICULUS CIX.

1. *An hujus sacramenti effectus sit collatio gratiæ.* 2. *An adeptio gloriæ.* 3. *An remissio quoque peccati mortalis.* 4. *An venialis peccati remissio.*

1. HOC autem sacramentum superdignissimum gratiam confert : tum quoniam Christum realiter continet; tum quia ejus passionem figurat; tum quoniam cibus est animæ. Et ergo quidquid agit cibus corporalis in corpore, qui sustentat, auget, reparat, et delectat : hoc totum facit hoc sacramentum spiritualiter in anima. Unde Ambrosius : Iste, inquit, panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. (QUÆSTIO 79.)

2. Amplius, ex eisdem rationibus patet, quod causet gloriæ adeptionem. Nam et Christus januam regni aperuit ; et per usum hujus sacramenti efficimur meriti ejus participes, sicque tandem consummato cursu viæ introducemur ad gloriam.

3. Præterea virtus sacramenti istius con-

sideratur dupliciter. Primo, secundum se : sicque ad omnium peccatorum remissionem sufficiens est. Secundo, per comparationem ad sumentem. Et ita in eo qui spiritualiter non vivit, id est non caritatem qua Christo jungatur habet, non operatur mortalium peccatorum indulgentiam, sed gravamen, quoniam obicem ponit peccator gratiæ Dei. Nutrimentum namque non est alicui aptum nisi viventi. Quum ergo sacramentum, spirituale dicatur nutrimentum, ei non competit ipsum recipere, qui non vivit spiritualiter et caritative. Operatur vero remissionem peccati mortalis obliti, per hoc quod gratiam caritatis infundit, quæ contritionem complet.

4. Denique peccata venialia per hoc sacramentum dimittuntur : tam ratione sacramenti, quod est spirituale alimentum per quod restauratur deperditum in spirituali vita, quemadmodum cibus corporeus illud restaurat quod in animali per actionem naturalis caloris deperditur : peccata vero venialia caritatis fervorem diminuunt, atque ex concupiscentia naturali procedunt. Idcirco, ut Innocentius III asserit, hoc sacramentum veniale delet et cavet mortale. Propter quod Ambrosius ait : Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Item, res hujus sacramenti est caritas, quæ in hoc sacramento augetur, non solum in habitu, sed etiam in actu accenditur, sicque peccatorum labem consumit.

ARTICULUS CX.

1. An per hoc sacramentum tota pœna peccati dimittatur. 2. An per ipsum homo a peccatis futuris prœservetur. 3. An prosit soli sumenti. 4. De impedimentis effectus hujus sacramenti.

1. EST vero sacramentum Eucharistiæ sacrificium, in quantum offertur; et sacramentum, in quantum sumitur. Itaque prout est sacramentum, duplicem sortitur effectum : unum per se atque di-

A recte ; alium concomitanter. Quum enim hoc sacramentum institutum sit, non ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum atque Ecclesiam, ideo per se efficit spirituale augmentum. Sed quoniam tale augmentum per caritatem efficitur, quæ operit multitudinem peccatorum, concomitanter (1 Petr. iv, 8.) inducit remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ, non totius, sed tanto majoris, quo fuerit devotio et caritas major. In quantum vero est sacrificium, habet

B satisfaciendi virtutem. In satisfactione autem magis pensatur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Quanquam igitur ista oblatio ex sua quantitate sufficiat cuncta auferre delicta omnemque pœnam ; tamen fit satisfactoria illis qui offerunt, vel pro quibus offertur, secundum quantitatem suæ devotionis, et non pro tota pœna.

2. Præterea, quoniam sacramentum hoc est spiritualis alimonia Christo conjungens, atque signum victoriæ Christi, præ-

C servat a malis futuris ab intra et foris emergentibus. Unde Chrysostomus : Sicut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.

3. Denique sacramentum hoc sub ratione sacramenti et sacrificii prodest sumentibus : nam pro omnibus qui sumunt, offertur. Sed prout est sacrificium, prodest etiam illis qui non sumunt, dum pro eorum offertur salute, dummodo sint Christo per fidem et caritatem conjuncti.

4. Insuper, peccata venialia, secundum

D quod jam præterita sunt, hujus sacramenti effectum nequaquam impediunt. Potest namque aliquis post multa peccata venialia ad hoc sacramentum devote accedere, ejusque effectus plene participare. Peccata vero venialia prout sunt actu exercita, effectum hujus sacramenti partim impediunt, scilicet quoad actualem spiritualis dulcedinis refectionem, quam is qui mente distracta accedit, non percipit. Non autem impediunt effectum sacramenti hujus in toto, quia non tollunt neque

impediunt augmentum gratiæ habitualis, vel caritatis.

ARTICULUS CXI.

1. *De duplici modo manducandi hoc sacramentum.* 2. *An soli homini competat manducare spiritualiter.* 3. *An soli justo conveniat manducare sacramentaliter.* 4. *An peccator sacramentaliter manducans peccet.*

Quæstio 80. 1. ATTENDITUR autem in hoc sacramento ipsum sacramentum, et sacramenti effectus. Illa ergo manducatio qua quis sacramentum sumit non consequendo effectum ipsius, videlicet gratiam, propter suam malitiam, sacramentalis vocatur. Quum vero consequitur prædictum effectum, manducatio dicitur spiritualis. Hæc quoque distinctio in aliis sacramentis locum sortitur, secundum quod in eis recipi potest sacramentum sine receptione effectus, scilicet gratiæ. Interdum autem manducat aliquis spiritualiter, non sumendo ipsum sacramentum in re, sed in voto : sive post institutionem sacramenti, ut tempore gratiæ ; sive propter figuram, quemadmodum de antiquis patribus ait Apostolus : Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt. (I Cor. x, 2-4.)

2. Denique angeli spiritualiter manducant Christum, sub propria specie eum cernentes, ejusque beata contemplatione fruentes. Sed non competit eis manducare spiritualiter Christum secundum quod formis sacramentalibus velatur ac tegitur ; sed hoc hominibus proprium est, qui per fidem atque affectum se in hoc sacramentum extendunt. Et ideo angelis non congruit spiritualiter manducare hoc sacramentum.

3. Præterea quidam antiqui dixerunt quoniam statim quum peccator Christi corpus ore contingit, desinat corpus Christi esse sub speciebus sacramenti. Hoc A autem prædictis non consonat. Ostensum est enim tamdiu sub sacramento manere Christi corpus et sanguinem, quamdiu species illæ sacramenti perdurant : imo tamdiu sicut substantia panis maneret, si adesset. Non ergo soli justo, sed et peccatori potest competere hoc sacramentum sacramentaliter manducare.

4. Porro in hoc sacramento est aliquid quod est solum signum ; aliquid quoque quod est signatum atque contentum, videlicet corpus Christi verum ; tertium, B quod est signatum et non contentum, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Itaque quicumque hoc sacramentum accipit, ipsa sua acceptione designat se Christo unitum, membrisque ejus incorporatum : quod fit per fidem formatam. Et ideo qui cum mortali peccato de quo sibi conscius est, hoc sacramentum sumit, falsitatem ostendit et mendacium in sacramentum committit, sacrilegiumque incurrit tanquam sacramenti violator. Et ergo mortaliter peccat. Pro- C pter quod admittendi non sunt ad hoc sacramentum, qui in mortali peccato sciuntur.

ARTICULUS CXII.

1. *De quantitate peccati manducantium indigne.* 2. *An peccator ad hoc sacramentum accedens sit repellendus.* 3. *An nocturna pollutio a communione impediat.* 4. *An a solis jejunis sit sumendum sacramentum.*

D 1. PECCATUM insuper peccato gravius dicitur dupliciter, scilicet per se, id est ratione objecti, et per accidens. Per se igitur tanto peccatum est gravius, quo major est ille in quem peccatur. Quemadmodum ergo Christi divinitas dignior est ejus humanitate, humanitas quoque ipsius sacramentis præstantior est : tanto gravius est peccatum quod contra divinitatem committitur, quam contra humanitatem ; et quod fit contra humanitatem Christi, quam contra sacramenta suæ hu-

manitatis; et deinde sequuntur peccata quæ sunt contra puras creaturas. Unde patet, quod licet peccatum indigne manducantis sit gravius multis peccatis, non tamen omnium est gravissimum. Secundo autem, dicitur peccatum magis vel minus grave per accidens. Nam qui ex ignorantia vel debilitate illicite agit, minus peccat, quam qui ex certa scientia vel contemptu peccat. Et ergo per accidens gravari potest prædictum peccatum.

2. At vero peccatori publice perseveranti in peccato mortali, ut usurario vel raptori, neganda est sacra communio, donec confiteatur atque pœniteat ac reconcilietur Ecclesiæ. Sed si peccator sit occultus, non est denegandum Eucharistiæ sacramentum. Nam eo quod baptizatus est Christianus, admissus videtur ad hoc sacramentum. Non ergo eo carere privarique debet, nisi publice confiteatur vel convincatur de crimine.

3. Porro nocturna pollutio, quamvis secundum se non sit peccatum mortale, tamen propter causam suam potest habere mortale peccatum annexum. Interdum namque contingit ex illusione dæmonum, quandoque ex cogitationibus præcedentibus, quandoque ex superfluitate cibi et potus, sæpe quoque ex superfluitate vel debilitate naturæ. Quælibet autem causarum harum esse potest cum mortali peccato, et item cum veniali, et etiam sine omni peccato. Illusio namque diaboli fieri potest ex sola ejus malitia : et sic nullum erit peccatum. Quandoque vero contingit ex præcedenti negligentia præparandi se ad sacramentum : quæ negligentia esse potest mortalis vel venialis. Similiter cogitationes præcedentes lascivæ esse possunt sine peccato, ut quum gratia lectionis aut disputationis assumuntur. Quandoque sunt mortales, ut si assensus in peccatum sit plenus; si autem ratio perfecte non consensit, erit veniale peccatum. Item, superfluitas cibi et potus esse potest mortalis et venialis : et similiter ipsa superfluitas naturæ. Infirmitas autem naturæ quandoque sine peccato est : unde et aliqui vigilando sustinent fluxum seminis sine peccato. — Quandocumque ergo nocturna pollutio habet causam mortalem præcedentem, de necessitate a sacramento abstinere oportet, nec sine peccato mortali acceditur. Dum vero caret peccato, vel veniale peccatum habet, tunc abstinendum est propter congruentiam : tam ratione immunditiæ corporalis, ob quam propter sacramenti reverentiam a susceptione ejus cessandum est; quam propter mentis evagationem, quæ pollutionem nocturnam consequi solet, præsertim quando ex imaginatione turpi causatur. Et hoc modo decet a communione cessare, etiam propter maritalem concubitum, quamvis peccato carentem, dempto necessitatis articulo. Sed et somnium homicidii, si ex causa quæ est mortale peccatum procedit, a communione impedit.

4. Ordinavit autem Ecclesia a jejunis debere accipi sacramentum : primo, propter ejus reverentiam; secundo, propter mysterium, scilicet ut ipsum primo in cordibus nostris fundetur; tertio, ad vitandum periculum ebrietatis ac vomitus. Si tamen reliquiæ ciborum in ore remanentes trajiciantur per guttur, non impeditur sumptio sacramenti, quia nihil accipitur per modum cibi vel potus. — Sciendum quoque, quod secundum antiquos canones a Papa Clemente I erat statutum (ut habetur De consecratione, distinctione 2) : Si mane dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri; et si tertia vel quarta acceperint, jejunent usque ad vesperum. Hoc tamen nunc per contrariam consuetudinem sublatum est, quia nunc frequentius Missarum celebrantur solennia. Debet tamen esse aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti et reliquos cibos.

ARTICULUS CXIII.

1. *An hoc sacramentum dandum sit non habentibus usum rationis.* 2. *An sit quotidie*

sumendum. 3. An liceat omnino abstinere. 4. An liceat corpus sine sanguine sumere.

1. At vero qui nunquam usum rationis habuerunt, communionem sumere non debent, nec eis illam præstari licet, quia hujus sacramenti devotionem nunquam habuerunt. Si vero aliquem usum rationis quamvis debilem habent, communicari possunt; et si illum usum amittant, nihilo minus in articulo mortis possunt sacramentum recipere, si ante ejus affectum habuerant, licet tunc in phrenesim aut similem incidant morbum, nisi timeatur periculum exspuitionis seu vomitus. De baptizatis vero qui corporaliter a dæmonibus vexantur, eadem ratio est. Unde Cassianus refert, quod eis qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam a senioribus nostris nunquam invenimus interdictam.

2. Præterea istud sacramentum spiritualis alimonia est, et maxime virtuosa atque salubris. Duo igitur in communione pensanda sunt : unum, ex parte sacramenti, sicque expedit sacramentum quotidie recipere; aliud, ex parte recipientis, videlicet, ut cum magna reverentia et devotione accedat. Si ergo quis se quotidie paratum invenerit ad sic accedendum, securus accedat quotidie. Sed quia quotidie multa impedimenta devotionis istius occurrunt propter indispositionem mentis et corporis, non expedit omnibus quotidie sumere, sed eis qui paratos se exhibent, quemadmodum ait Augustinus : Ille panis quotidianus est ; accipe quotidie, quod tibi quotidie prosit. Et ut insinuet quibus hoc dixerit, addit : Sic vive, ut quotidie merearis accipere. — Demum in primitiva Ecclesia, vigente devotione fidei christianæ, fideles quotidie communicabant. Sic enim statuerunt Apostoli, ut Anacletus Papa testatur. Postea, hac devotione refrigescente, Fabianus Papa instituit, ut saltem ter in anno communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste et Natali Christi. Postremo, propter abundantiam iniquita-

A tis emergentem, Innocentius III statuit, ut saltem semel in anno, scilicet in Pascha, communicent.

3. Amplius, non est necesse hoc sacramentum sacramentaliter sumere; sed sufficit spiritualis sumptio, dummodo adsit votum recipiendi ipsum sacramentum : quod etiam implere oportet, dum opportunitas adest, non solum ex ordinatione Ecclesiæ, sed et ex mandato Christi dicentis : *Luc.* xxii, 19.
Hoc facite in meam commemorationem.

4. Adhuc, quantum est ex parte sa-
B cramenti, non decet corpus Christi sine sanguine, maxime a sacerdotibus, sumi. Sed ex parte recipientium, ordinatum est in quibusdam Ecclesiis, ut non bibat populus qui communicatur, sanguinem Christi seorsum, ad vitandum irreverentiæ et effusionis periculum.

ARTICULUS CXIV.

1. An Christus sumpserit proprium corpus et sanguinem. 2. An dederit illud Judæ.
C *3. Quale corpus dederit discipulis. 4. Quomodo habuisset se in triduo mortis sub hoc sacramento.*

1. Melius insuper dicunt, qui asserunt Christum proprium corpus et sanguinem sub sacramento in Cœna sumpsisse : quemadmodum ipse quoque baptizari volebat, ut nos suo exemplo ad Baptismum induceret. Cœpit enim Jesus facere et docere. Unde quod aliis agere commendavit, ipse primo implevit. Pro-
D pter quod quidam metrice dicunt :

(Quæstio 81. — *Act.* i, 1.)

Rex sedet in Cœna turba cinctus duodena ;
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

2. Denique Hilarius super Matthæum affirmat, quod corpus suum Christus Judæ non dedit in Cœna. Sed hoc non conveniebat magisterio Christi, cujus omnis actio est nostra instructio. Non enim debuit occultum peccatorem publicare, vel tali discretione Judam exasperare. Dicendum ergo, quod Judas cum aliis discipu-

lis corpus et sanguinem Christi accepit : quemadmodum in Ecclesiastica hierarchia Dionysius, et Augustinus super Joannem, testantur : quod etiam Chrysostomus asserit. Non est tamen putandum, quod dedit illi corpus suum sub pane intincto, sed ante cum aliis, secundum Augustinum.

3. Præterea Hugo de S. Victore asserit Christum in hac vita diversis temporibus omnes dotes corporis glorificati assumpsisse, scilicet : subtilitatem, in nativitate ex utero clauso ; agilitatem, ambulando super aquas ; claritatem, in transfiguratione; impassibilitatem, in Cœna, tradendo corpus suum discipulis. Et ita, secundum eum, Christus dedit Apostolis corpus impassibile. Sed hoc stare non valet. Idem namque corpus dedit in sacramento, sicut in propria specie fuit. Et ergo tale dedit quale habuit, scilicet passibile : quod tamen fuit sub speciebus sacramenti impassibili modo, quia secundum quod ibi erat, non erat tangibile vel sensu perceptibile, quia non comparatur ad aliquid extra se per propria accidentia.

4. Ex quo etiam sequitur, quod ea quæ Christo secundum se attribuuntur, poterant dici de Christo si fuisset corpus ejus servatum in pyxide tempore passionis, vel in triduo mortis ; non autem illa quæ sibi conveniunt per comparationem ad agens extrinsecum. Unde verum fuisset, quod Christus in pyxide mortuus fuisset et dolens, etc. Crucifigi autem, irrideri, et talia, sibi non competebant, nisi per comparationem ad aliquid extra se : et ergo prout sub sacramento fuisset, sibi non convenissent. Et quoniam in triduo mortis separata erant anima, corpus et sanguis ; idcirco sub sacramento separata fuissent. De quo metrice dicitur :

> Pyxide servato poteris sociare dolorem
> Innatum ; sed non illatus convenit illi.

ARTICULUS CXV.

1. *Utrum consecrare hoc sacramentum sit proprium sacerdoti.* 2. *An plures possint* A *eamdem hostiam consecrare.* 3. *An dispensatio hujus sacramenti sit solius sacerdotis.* 4. *An consecrans possit a communione abstinere.* 5. *An malus sacerdos conficere queat.*

1. NEMO præterea agens aliquid quod Quæstio 82. suam propriam transcendit virtutem, operari potest, nisi in potestate illius qui sibi agendi potentiam præstitit. Consecratio autem hujus sacramenti omnem naturalem atque humanam potentiam superat. Nemo igitur ipsum conficere potest, B nisi cui a Christo potestas hæc data est, utpote sacerdos.

2. Porro, dum ordinatur sacerdos, ponitur in gradu eorum quibus Christus in Cœna dedit consecrandi virtutem. Quemadmodum ergo Christo cœnanti concœnaverunt Apostoli, ita secundum quarumdam consuetudinem Ecclesiarum, sacerdotes dum ordinantur, concelebrant episcopo ordinanti. Omnium enim intentio ad idem instans refertur, et omnes sunt unum in Christo, ut Innocentius III dicit.

C 3. Amplius, quoniam sacerdos consecrat in persona Christi : idcirco sicut ipse Christus personaliter hoc sacramentum confecit et aliis dedit; sic sacerdotis est non solum conficere, sed et dispensare hoc sacramentum. Secundo, quoniam sacerdos est medius inter Deum ac populum. Sicut igitur preces populi offert Deo, sic sacramenta Dei dispensare habet populo. Tertio, quia sacramentum non contingitur, propter suam reverentiam, nisi a re consecrata. Nam et corporale et calix con- D secrantur : similiter manus sacerdotis, et non aliorum. Unde nulli alii, nec diacono, illud tangere licet, nisi in casu necessitatis, ut si caderet super terram. Sed quoniam sanguis Christi tenetur in vase, potest diaconus propter propinquitatem suam ad sacerdotem sanguinem dispensare, non autem corpus, nisi necessitate ingruente, aut certe episcopo vel presbytero præcipiente. Unde De consecratione, distinctione 2, habetur : Presbyter per semetipsum infirmos communicet.

4. Insuper, quandocumque sacerdos hoc A sacramentum conficit, debet ipsum accipere, quatenus particeps ejus fiat. Hoc enim sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Omnis autem qui sacrificium offert, particeps ejus consistere debet. Exterius namque sacrificium signum est sacrificii interioris quo quis se ipsum Deo interius offert, secundum Augustinum decimo de Civitate Dei. Verumtamen si in altari corpus Christi sub specie carnis, vel sanguis in specie sanguinis, appareret, non esset sumendum B a sacerdote, ut ait Hieronymus. Nec ideo fieret sacerdos mandati transgressor. Sed consulendum ei esset, quod denuo corpus Domini Jesu consecraret et sumeret.

5. Præterea, quoniam sacerdos hanc consecrationem non facit ut homo ille, sed ut Christi minister; nec suo merito, sed divina virtute : idcirco sive sit bonus, sive malignus, veraciter consecrat : quia et malus exsistens non desinit esse servus. Habet enim Deus servos bonos et reprobos. Nam et dominorum quidam sunt pii, C quidam vero tyranni.

ARTICULUS CXVI.

1. *An Missa mali sacerdotis minus valeat quam boni.* 2. *An hæretici, schismatici, vel excommunicati possint conficere.* 3. *An etiam degradati.* 4. *An peccent a talibus communionem recipientes.* 5. *An liceat sacerdoti omnino a celebratione cessare.*

1. CONSIDERANTUR quoque in Missa D duo, videlicet ipsum sacramentum, et orationes quæ dicuntur in ea pro vivis et mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet Missa sacerdotis mali, quam boni. Orationes vero considerantur dupliciter. Primo, prout efficaciam sortiuntur ex orantis devotione ac merito : et sic Missa mali sacerdotis minus valet, quam boni. Unde causa 1, quæstione 1, habetur : Quanto sacerdotes fuerint digniores, tanto facilius in necessitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur. Secundo, prout dicuntur in persona totius Ecclesiæ, cujus personam gerit sacerdos, etiam malus : sicque orationes sacerdotis mali sunt validæ et fructuosæ, non solum quas dicit in Missa sed et in toto ecclesiastico Officio. Orationes vero ejus privatæ inanes sunt, quemadmodum Proverbiorum vicesimo octavo dicitur : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. *Prov.* xxviii, 9.

2. Præterea aliud est, aliquid non habere, et non recte habere; vel non dare, et non recte dare. Itaque qui ordinantur extra Ecclesiam, scilicet ab hæreticis et schismaticis, vel excommunicatis, vere ordinantur, quamvis non recte. Habent quoque potestatem, quamvis non recte ea utantur. Illi enim qui per schisma vel hæresim aut excommunicationem extra Ecclesiam fiunt, potestatem ordinis non amittunt : et ideo hoc sacramentum vere conficere possunt. Alioqui dum ad Ecclesiam redeunt, reordinandi essent : quod tamen non fit. Et hæc responsio ex verbis Augustini secundo contra Permenianum elicitur, quamvis quidam oppositum asserant. Auctoritates autem quæ ad oppositum sonare videntur, intelligendæ sunt, quod extra Ecclesiam sacramentum non recte offertur.

3. Porro consecrandi potestas, characterem ordinis sacerdotalis concernit. Quum ergo omnis sacramentorum character indelebilis sit, secundum præhabita, sequitur quod degradatus characterem non amittit, et per consequens nec consecrandi potentiam : quamvis exsecutio ei prohibeatur in perpetuum, sicut excommunicatis ad tempus, nisi reconcilientur.

4. Præterea, quoniam hæretici, schismatici et excommunicati, et etiam peccatores, sua potestate male et non recte utuntur si consecrent, non licet eorum Missas audire aut ab eis communionem recipere. Qui enim alicui peccanti et male utenti communicat, particeps culpæ illius efficitur. Quoniam tamen non omnes pecca-

tores presbyteri sunt suspensi per sententiam Ecclesiæ ab exsecutione consecrandi, quamvis quoad divinam sententiam sint suspensi; idcirco licet eorum Missas audire et ab eis sacramentum recipere, quamdiu non sunt per Ecclesiam suspensi. Specialiter autem prohibuit Ecclesia audire Missam sacerdotis concubinarii. Quod intelligendum est de notorio, vel per sententiam quæ fertur in convictum, vel per confessionem in jure factam, [vel per evidentiam facti,] quando peccatum nulla tergiversatione potest celari.

5. Insuper, opportunitas celebrandi non solum pensatur per comparationem ad Christifideles, quibus sacramenta præbentur, sed etiam quantum ad Deum præcipue, cui in sacramenti consecratione sacrificium immolatur. Idcirco non solum presbyteri animarum curam habentes, sed et omnes sacerdotes, si possibilitas adsit, celebrare tenentur interdum : et sicut apparet, præsertim in festis præcipuis, illisque diebus quibus fideles communicare sunt soliti. Nam unusquisque dono gratiæ sibi a Deo collato uti tenetur, juxta illud
II *Cor.* vi, 1. Apostoli : Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

ARTICULUS CXVII.

1. *An Christus in celebratione immoletur.* 2. *De tempore,* 3. *de loco celebrationis.* 4. *De aliis ad ejus apparatum spectantibus.*

Quæstio 83. 1. RATIO autem ob quam celebratio hujus mysterii immolatio Christi vocatur, est : primo, quoniam ipsa est imago repræsentativa immolationis Christi in cruce. Imago vero nomen ejus cujus est imago sortitur, quemadmodum de imagine aliqua dicimus : Ille est Petrus, ille Dionysius. Item, ratione effectus. Nam per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicæ passionis. Altare autem significat crucem Christi.

2. Porro, quoniam per celebrationem consequimur fructum passionis dominicæ, Ecclesia statuit ut quotidie celebratio fiat,
A et non solum semel in anno, die illo quo passus est Christus. Et quia teste Augustino, passio Christi celebrata est a tertia hora usque ad nonam; ideo regulariter in illa parte diei solenniter celebratur in Ecclesia hoc sacramentum. Sed in die Parasceves non consecratur hoc sacramentum : quia enim figura est passionis Christi, illa die non fit quando res figurata exhibita est. Nam veniente veritate, cessat figura. In Natali autem Christi ter celebratur, propter triplicem Christi nativitatem, videli-
B cet æternam, temporalem, et spiritualem qua in mentibus nascitur electorum. Potest quoque Missa celebrari in prima parte diei, videlicet quando aurora incipit apparere, si necessitas exigat, ut dicitur De consecratione, distinctione 1. Nec debet sacerdos bis celebrare in die, nisi propter necessitatem.

3. Præterea, duo sunt in his quæ hoc sacramentum circumstant : quorum unum pertinet ad repræsentationem eorum quæ circa Christi passionem sunt facta; aliud
C vero ad reverentiam pertinet sacramenti, ut consecrationes vasorum. Quamvis autem Christus extra domum passus sit, *Hebr.* xiii, 12.
tamen Missa in domo fit, quæ designat Ecclesiam, extra quam non est verum sacrificium. Tamen, ut habetur De consecratione, distinctione 1 : In itinere positis, si ecclesia defuerit, sub dio, vel sub tentorio, si tabula consecrata ac cetera sacra mysteria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solennia celebrare concedimus. Regulariter autem celebrare non
D licet, nisi in locis ab episcopo consecratis. Unde probabile est quod aliqui dicunt, hominem consequi venialium peccatorum remissionem per ecclesiæ consecratæ ingressum : sicut per aquæ benedictæ adspersionem. Et sicut infans baptizatus a quocumque, non est denuo baptizandus; sic locus ecclesiæ vel alter Deo semel consecratus, non est iterum consecrandus, nisi sit vel igne exustus, vel sanguinis effusione seu seminis pollutione fœdatus.

4. Palla vero altaris, cathedra, candela-

brum et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineresque eorum baptisterio inferantur, aut in pariete seu fossis pavimentorum jactentur, ne pedibus conculcentur.

ARTICULUS CXVIII.

1. *De his quæ in celebratione dicuntur.* 2. *De his quæ in ea aguntur.* 3. *De defectibus quæ circa eam occurrunt.*

1. QUEMADMODUM De consecratione, distinctione 1, habetur, Jacobus frater Domini secundum carnem, et Basilius Cæsariensis episcopus ediderunt Missæ celebrationem. Quia enim in hoc sacramento totum nostræ salutis mysterium comprehenditur, ideo solennius celebratur. — Primo itaque ante celebrationem hujus mysterii præmittitur quædam præparatio, ut digne agatur. Cujus prima pars est laus divina, quæ fit in Introitu, qui ut frequenter sumitur ex psalmis, vel simul cum psalmo cantatur : quoniam psalmi continent per modum laudis quidquid in sacra Scriptura comprehenditur, secundum Dionysium tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo. Secunda pars continet commemorationem præsentis miseriæ, dum dicitur, Kyrie eleison. Tertia pars agit memoriam cœlestis lætitiæ, dum dicitur, Gloria in excelsis. Quarta pars continet orationem quam facit sacerdos pro populo. — Secundo vero, præmittitur instructio populi, quæ dispositive fit per doctrinam Prophetarum et Apostolorum : quam sequitur Graduale, [significans profectum vitæ, et Alleluia,] spiritualem exsultationem designans; vel Tractus, spiritualem gemitum significans, et hoc in officiis luctuosis. Hæc enim consequi debent fideles ex doctrina Prophetarum et Apostolorum. Deinde Evangelium legitur, in quo populus perfecte instruitur. Post quod dicitur, Credo, ad insinuandum quod Evangelio perfecte credatur a populo.

Deinde, populo sic præparato, acceditur ad celebrationem mysterii : quod

A offertur, in quantum est sacrificium; et consecratur ac sumitur, in quantum est sacramentum. Primo ergo, peragitur oblatio; secundo, consecratur; tertio, sumitur. Circa oblationem duo aguntur, videlicet laus populi, ad designandum ejus lætitiam, et oratio sacerdotis. Circa consecrationem quoque primo excitatur populus ad devotionem, in Præfatione : qua finita, populus cum devotione laudat Christi divinitatem cum angelis, dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc., ejus quoque huma-

B nitatem cum pueris, addens, Benedictus qui venit. Deinde sacerdos secrete commemorat eos pro quibus offertur; invocat quoque Sanctorum patrocinia quos memorat; tertio, petitionem concludit, dum dicit : Hæc oblatio, pro quibus offertur. Deinde accedit ad consecrationem : primo, petens a Deo ejus effectum; secundo, facit eamdem per verba Christi; tertio, præsumptionem excusat per obedientiam ad Christi mandatum, dum dicit, Unde et memores. Deinde petit hoc sacrificium esse

C Deo acceptum, postea ejus effectum : primo, quantum ad vivos; secundo, pro mortuis; tertio, quoad ipsos sacerdotes, dicens, Nobis quoque peccatoribus.

Deinde agit de perceptione sacramenti : primo, præparando populum ad perceptionem per orationem communem atque dominicam; secundo, per orationem privatam, qua dicitur, Libera nos, Domine, quæ specialiter pro populo dicitur. Secundo, præparatur populus per pacem, quum dicitur, Agnus Dei. Deinde sequitur per-

D ceptio. Et ultimo totum officium consummatur in gratiarum actione, populo exsultante pro sumptione mysterii (quod significatur per Communionem), et sacerdote gratias referente in oratione, quemadmodum Christus post Cœnam, hymno dicto *Matth.*

cum discipulis exiit. — Quum autem orat xxvi, 30.

sacerdos, Jube hæc perferri per manus sancti angeli, etc., hoc orat pro corpore mystico, quod in hoc sacramento significatur, videlicet ut orationes sacerdotis ac populi angelus divinis mysteriis adsistens

Deo præsentet. Sublime vero Dei altare vo- A
catur triumphans Ecclesia, vel ipse Deus, cujus participationem exposcimus. Per angelum quoque intelligi potest Christus,
Is. IX. 6, juxta LXX. qui magni consilii Angelus nominatur.

2. Denique in officio Missæ tam verbis quam factis aliqua designantur, quorum quædam significant ea quæ pertinent ad passionem Christi, vel dispositionem corporis ejus mystici, utpote populi christiani, qui cum devotione communicare tenetur. Quædam vero ad reverentiam sacramenti respiciunt, ut quod manus la- B
vantur : quarum etiam lotio secundum Dionysium designat minimorum peccatorum emundationem : manus enim extremitates sunt corporis. Similiter, thurificatio signat effectum gratiæ Dei, qua Christus quasi bono odore plenus fuit, atque ab ipso derivatur ad nos. Signationes vero cum cruce repræsentant ea quæ in passione Christi fuerunt. Fractio autem hostiæ figurat divisionem corporis Christi ab anima in passione, vel diversos mystici corporis status, vel distributionem C
gratiarum Dei. Sacerdos demum qui aliam Missam eodem die facturus est, os suum post communionem vino non debet abluere.

3. Insuper, defectibus qui in Missa contingere possunt, occurri potest : et præveniendo, videlicet præcavendo ne accidant; et subsequendo, utpote adhibendo remedium, vel saltem pœnitentiam. — Unde si sacerdos ante consecrationem per gravem infirmitatem vel alienationem, aut simili modo, impediatur Missam perfice- D
re, non oportet ut alius suppleat. Si vero post consecrationem corporis, vel corporis simul ac sanguinis id contingat, debet per alium Missæ celebratio consummari. Omnes enim sacerdotes sunt unum in Christo, præsertim in hujusmodi casu. — Item, si sacerdos post consecrationem recordaretur se manducasse vel bibisse, aut excommunicatum, aut in mortali peccato exsistentem, deberet Missam perficere cum proposito emendandi. Sed si ante consecrationem istud sibi accideret, tutius videretur cessare, maxime si comedisset vel excommunicatus esset : nisi grave scandalum timeretur.

Rursus, si musca aut aranea ante consecrationem in calicem cadat, vel venenum esse vino immissum deprehendatur, debet sacerdos vinum effundere, aliudque vinum calice loto resumere. Si vero aliquid horum facta consecratione contigerit, debet animal caute capi, diligenter lavari, atque comburi, et ablutio simul cum omnibus in sacrarium mitti. Si autem viderit venenum esse immissum, nec sumere debet, nec alii dare, ne calix vitæ vertatur in mortem; sed debet in vasculo apto cum reliquiis conservari. Et ne sacramentum maneat imperfectum, debet vinum aliud in calice ponere, atque a consecratione sanguinis rursum resumere.

Iterum, si sacerdos ante consecrationem sanguinis, etiam post consecrationem corporis, viderit aquam vel vinum non esse in calice, debet statim apponere et consecrare. Si autem facta consecratione sanguinis percipiat aquam deesse, debet procedere, quoniam aquæ appositio non est de necessitate sacramenti. Ille tamen cujus negligentia hoc contigit, puniendus est. Aqua quoque nullo modo miscenda est vino consecrato : sequeretur enim corruptio sacramenti pro aliqua parte. Si vero post verba consecrationis percipiat vinum non esse in calice, si ante sumptionem corporis videat hoc, debet vinum apponere, et aquam si ibi est, effundere, aliquid tamen aquæ more solito vino miscere, atque a verbis consecrationis sanguinis repetere. Quod si post sumptionem corporis istud deprehendat, debet apponere aliam hostiam simul cum vino consecrandam : quia in verbis sequentibus quædam occurrunt dicenda ac facienda, quæ non solum sanguinem, sed corpus quoque concernunt. Et debet in fine hostiam consecratam et sanguinem sumere, quamvis aquam primo in calice positam biberit, quoniam præceptum de perfectio-

ne sacramenti præponderat præcepto ut a A jejunis sumatur.

Rursus, si sacerdos non recolat se dixisse quædam quæ dicere debuit, non debet turbari. Non enim qui multa dicit, recolit se ea dixisse : nisi apprehendat ea in dicendo sub ratione dicti. Et ergo si homo attente cogitet illud quod dicit, non tamen se cogitet dicere illud, non multum postea recolit se dixisse : sic namque efficitur aliquid objectum memoriæ, prout accipitur sub ratione præteriti, ut dicitur libro de Memoria. Verum, si probabiliter con- B stet sacerdoti se aliqua verba omisisse, quæ non sunt de necessitate sacramenti, non videtur quod debeat ea resumere, immutando ordinem sacrificii ; sed debet procedere. Si autem aliquid quod est de forma sacramenti, omisisse se noscit, debet facere sicut nunc dictum est de defectu materiæ, repetendo a verbis consecrationis, ne mutetur sacrificii ordo.

Proinde, si per negligentiam aliquid de sanguine stillet in tabula quæ terræ adhæret, lingua lambetur, et tabula radetur. Si C autem non fuerit tabula, terra radetur et comburetur, cinisque intra altare condetur, et sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat stillam minister, et tribus diebus pœniteat. Et si super linteum altaris ceciderit, et si usque ad secundum pervenerit stilla, quatuor diebus pœniteat; si usque ad tertium, novem diebus; si usque ad quartum, viginti. Linteamina quoque ter lavet minister supposito calice, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare D recondatur; vel si sine abominatione fieri potest, a ministro potetur. Quidam etiam partem linteaminum quam stilla tetigit, incidunt atque comburunt, et cinerem in altario aut sacrario ponunt. Si autem aliqua pars hostiæ decidat et inveniri non possit, triginta dies pœniteat. Prædictis vero diebus jejunare et a communione cessare pœnitentem oportet : quamvis pœnitentia augeri possit et minui, pensatis pensandis.

ARTICULUS CXIX.

1. *Utrum Pœnitentia sit sacramentum.* 2. *De materia ejus.* 3. *De forma ipsius.* 4. *An requiratur ad eam impositio manus.* 5. *An sit de necessitate salutis.*

1. SACRAMENTA igitur appellantur, in Quæstio 84. quibus sub tegumento corporalium rerum divina virtus salutem secretius operatur. Hoc autem Pœnitentiæ convenit. Nam per rem gestam in Pœnitentia, aliquid sacrum signatur atque efficitur. Peccator enim per ea quæ agit circa sacerdotem, designat se a peccato recessisse. Sacerdos quoque per ea quæ circa pœnitentem exercet, significat opus Dei peccatum donantis. Est ergo Pœnitentia sacramentum. — Nomine autem corporalium rerum accipitur omne sensibile : ita ut actus sensibilis hominis, corporale materialeque dicitur in hoc sacramento. In sacramentis demum, in quibus confertur excellens gratia omnem naturalem facultatem transcendens, adhibetur aliqua corporalis materia : ut in Baptismo, ubi remittitur pœna et culpa; in Chrismate quoque, ubi confertur Spiritus Sancti plenitudo; et in Unctione Extrema, in qua donatur sanitas spiritualis perfecta. Unde si in his sacramentis sint aliqui actus humani, non sunt de essentia materiæ sacramentorum, sed dispositive se habent ad eam. Sacramenta vero habentia effectum correspondentem humanis actibus, ipsos actus humanos loco materiæ habent, ut Pœnitentia et Matrimonium. In sacramento autem Pœnitentiæ ipse actus exterius exercitus per pœnitentem et absolventem, est sacramentum tantum; sed res tantum, est gratia, vel remissio peccatorum; res vero et sacramentum, est interior dolor.

2. Denique proxima hujus sacramenti materia est actus pœnitentis, ut dictum est. Sed quia hic actus est de peccato de quo dolet et confitetur; idcirco peccata dicuntur materia pœnitentiæ remota, non proxima. Principaliter vero et proprie Pœ-

nitentia est de peccato actuali mortali : A quod nostra voluntate peractum est, et contra quod hoc sacramentum principaliter ordinatur. Proprie quoque, sed non principaliter, pœnitentia est de peccato veniali. Illud enim nostra voluntate committitur, sed Pœnitentia contra ipsum principaliter non ordinatur. Peccatum autem originale, nec nostra voluntate commissum est, nec contra ipsum ordinatur Pœnitentia, sed Baptismus. Propterea nec principaliter nec proprie est de eo Pœnitentia, nisi omnino communiter acci- B piatur pro quacumque detestatione rei præteritæ.

3. Præterea in Pœnitentia actus pœnitentis est loco materiæ, actus autem sacerdotis loco formæ : ipse enim perficit Pœnitentiam, quia perfectio est a forma. Sacramenta quoque novæ legis efficiunt quod figurant. Et ergo forma Pœnitentiæ continere debet significando quod in sacramento agitur, videlicet remissionem peccati. Et ideo hæc est convenientissima forma pœnitentiæ, Ego te absolvo : C quemadmodum in Baptismo, Ego te baptizo, etc. Et sumitur hæc forma ex ver-
Matth. XVI, 19. bis quibus Christus Petro dixit : Quodcumque solveris super terram, etc. Unde aliæ absolutiones in publico factæ, ut, Misereatur tibi omnipotens Deus, vel, Indulgentiam tribuat, non sunt sacramentales absolutiones, sed orationes, ne impediatur effectus hujus sacramenti ex parte pœnitentium. Sed quoniam iste effectus a Deo principaliter manat, convenienter additur in forma, In nomine Patris et Filii et Spi- D ritus Sancti, vel per virtutem passionis Christi, seu auctoritate Dei. Verum, quia hoc ex verbis Christi determinatum non est sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis. Quidam autem hanc formam, Ego te absolvo, ita exponunt : Id est, absolutum ostendo. Sed hæc expositio perfecta non est. Sacramenta enim novæ legis agunt quod signant : et ergo sacerdos instrumentaliter absolutioni cooperari credendus est. Propter quod melius exponitur hoc modo : Ego te absolvo, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.

4. At vero impositio manus designat copiosum effectum gratiæ, quo illi quibus imponitur manus, continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Quum ergo in Pœnitentia detur remissio culpæ, nec ipsa ad excellentem gratiam, sed ad indulgentiam ordinetur, non requiritur ad eam impositio manus.

5. Amplius, sacramentum Pœnitentiæ non est necessarium ad salutem absolute et omnibus, sed ex suppositione, eis videlicet solum qui peccatis subjecerunt se ipsos, quorum est Pœnitentia spiritualis medicina.

ARTICULUS CXX.

1. *De ordine Pœnitentiæ ad alia sacramenta.* 2. *De institutione ejus.* 3. *De duratione et continuatione ipsius.* 4. *An possit iterari.*

1. PRÆTEREA quod est per se, naturaliter prius est illo quod est per accidens. Baptismus autem quum sit spiritualis regeneratio, et Confirmatio, quæ est spirituale augmentum, Eucharistia quoque, quæ est spirituale alimentum, per se ordinantur ad hominis salutem ; Pœnitentia autem quasi per accidens, scilicet præsupposito morbo, id est peccato. Ideo Pœnitentia tenet secundum locum respectu status integritatis, qui per prædicta sacramenta confertur et conservatur. Unde secundum Hieronymum, dicitur metaphorice secunda tabula post naufragium. Transeuntibus enim mare primum remedium est, ut salventur in integra navi : qua fracta, secundum remedium est, ut per adminiculum tabulæ evadant. Pariformiter, in hoc mari magno primum remedium est, ut homo integritatem conservet; secundum, ut perditam per Pœnitentiam reparet.

2. Porro sacramenta ex materia et for-

ma constant. Dictum est autem, quod in A sacramento Pœnitentiæ actus peccatoris est loco materiæ, actus vero sacerdotis absolventis pro forma. Quemadmodum ergo in aliis sacramentis materia præexsistit a natura vel arte, ut aqua in Baptismo, et panis in Eucharistia ; forma autem est ex institutione divina, per quam materia applicatur ad aliquid certum per formam sacramentalem a Christo collatam : sic in hoc sacramento id quod est materiale, videlicet pœnitere de peccato, est de jure naturali ; sed forma et modus, virtus atque B effectus hujus materiæ est ex institutione Christi. Et sic Pœnitentia formaliter est a Christo instituente hunc modum qui servatur in Ecclesia.

3. Amplius, pœnitentia duplex est, scilicet : interior, qua quis in se de peccato dolet. Et illa semper usque in finem durare debet. Semper enim debet homini displicere quod peccavit. Alia autem pœnitentia exterior dicitur, in verbis et signis consistens. Et hanc non oportet semper durare, sed ad certum tempus secundum C mensuram delicti, prout a sacerdote imponitur. — Insuper, pœnitentia continua esse debet, non secundum actum, sed habitum, ut scilicet nihil agat homo veræ pœnitentiæ contrarium, semperque propositum gerat detestandi peccatum.

4. Fuerunt etiam qui dixerunt non posse iterari Pœnitentiam, vel non nisi semel. Quod falsum est. Nam caritas, quæ est pœnitendi principium, amitti potest, et recuperari ; nec peccatum tam enorme est, quin divinæ misericordiæ plenitudo D in infinitum excedat. Verumtamen, quoniam aliqui judaizantes putabant Baptismum posse iterari in nova lege, sicut in veteri lege varia lavacra erant, in quibus lavabant se atque purgabant Judæi frequenter ; idcirco ad hoc excludendum dixit Apostolus ad Hebræos sexto : Impossibile est eos qui semel illuminati sunt et gustaverunt donum cœleste et prolapsi sunt, renovari ad pœnitentiam, scilicet reiterando Baptismum.

Hebr. VI, 4-6.

ARTICULUS CXXI.

1. *Utrum pœnitentia sit virtus.* 2. *An sit virtus specialis.* 3. *Sub qua virtute contineatur.* 4. *De ejus subjecto.* 5. *De causa ipsius.* 6. *De ordine ejus ad alias virtutes.*

1. EST autem pœnitere, de aliquo a se Quæstio 85 facto dolere. Dolor vero est duplex, scilicet : appetitus sensitivi, qui est passio, nec est actus virtutis, sed per virtutem moderatur. Alius est dolor voluntatis, qui cum electione rationis rectæ assumitur. Et iste quoniam est actus bonus habentem perficiens, necesse est quod sit actus virtutis. Hoc igitur modo pœnitentia est virtus, secundum quod pœnitens per eam assumit moderatum dolorem de malo, cum proposito abstinendi. Pœnitentia itaque, de qua nunc sermo agitur, est virtus vel actus virtutis. Nam actus humani sunt materia ejus : quod in Baptismo et Confirmatione non invenitur. Item, de pœnitentia et actu ejus dantur præcepta. Ergo est virtus. Præcepta enim legis dantur de actu virtutum.

2. Denique virtutes distinguuntur per actus. Pœnitentia autem actum specialem habet, videlicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est offensa Dei : quod ad aliam virtutem non pertinet. Est ergo pœnitentia virtus specialis : nam peccata sunt ejus objectum sub speciali ratione, utpote ut emendabilia per actus hominis Deo justificanti cooperantis. Qui enim creavit te sine te, non justificabit te sine te.

3. Adhuc autem, pœnitentia prout est virtus, est pars justitiæ et species ejus. Ad pœnitentiam enim pertinet non solum cessatio a peccato, sed et recompensatio quædam pro offensa : quod ad commutationem spectat, quæ potissime invenitur in virtute justitiæ. Tamen inter Deum et creaturam non potest esse justitia simpliciter dicta, videlicet quæ est inter æquales ; sed justitia secundum quid, id est secundum acceptationem superioris. Crea-

tura quippe Deo debet omne quod habet A et est : nec tamen hoc sufficit, nisi secundum quod Deus illud acceptat.

4. Advertendum etiam, quod pœnitentia prout est virtus, est in voluntate, quum sit species justitiæ, cujus subjectum voluntas est. Si autem sumatur pœnitentia pro dolore appetitus sensitivi, qui est species tristitiæ, sic subjectum ejus esset vis concupiscibilis.

5. Insuper, pœnitentia quæ est virtus, a Deo est, ac habitus qui a Deo immediate infunditur, cooperantibus nobis non B principaliter, sed dispositive per aliquos actus. Actuum vero pœnitentiæ per quos Deo operanti in pœnitentia cooperamur, primum principium est operatio Dei nos convertentis ad se, juxta illud Threnorum : Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. Secundum principium est actus fidei. Tertium, motus timoris servilis, quo homo timore pœnarum a malis retrahitur. Quartum principium est motus spei, per quem sub spe misericordiæ proponit quis mores corrigere. Quintum, est C actus caritatis, dum peccatori displicet malum secundum se, non propter supplicia. Sextum est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei pœnitens ad emendam Deo sponte se offert. Patet ergo, quod pœnitentia a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato ; a timore vero filiali, sicut a proximo atque immediato principio.

Thren. v, 21.

6. Denique, quia virtutes connexæ sunt, quantum ad habitum omnes simul incipiunt. Nec una tempore prior est alia D quoad habitum ; sed quoad actum dicitur una naturaliter prior alia. Et hoc modo pœnitentia non est simpliciter prior aliis virtutibus : virtutes enim theologicæ eam præcedunt. Tamen quantum ad aliquid potest dici prior aliis, scilicet in justificatione impii. Simpliciter vero aliæ virtutes naturaliter præcedunt eam, eo quod per se necessariæ sint homini; pœnitentia autem, quodam supposito, puta peccato.

ARTICULUS CXXII.

1. *Utrum peccata mortalia per pœnitentiam auferantur.* 2. *An aliter tolli possint.* 3. *An unum sine alio possit remitti.*

1. OMNIA demum peccata per pœnitentiam tolli possunt in hac vita : tum propter flexibilitatem voluntatis humanæ ; tum propter meritum passionis Christi, cujus virtute pœnitentia operatur ; tum propter immensitatem divinæ clementiæ. Damnati autem cum spe veniæ pœnitere non valent, eo quod culpa non displiceat eis in quantum est culpa, sed solum propter pœnam annexam. Et talis erat pœnitentia Antiochi et Esau : quorum neuter ex vera caritate pœnituit, loquendo de illo verbo quod ait Apostolus, quod Esau locum pœnitentiæ non invenit, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. QUÆSTIO 86.

Hebr. XII, 17.

2. Præterea peccata mortalia actualia deleri non possunt nisi per pœnitentiam quæ est virtus, propter offensam Dei, quæ directe contrariatur gratiæ ejus. Non enim peccatum dimitti perhibetur nisi per hoc quod homo gratiam Dei acquirit, per quam Deo gratus est atque acceptus. Potest tamen Deus peccatum dimittere sine sacramento Pœnitentiæ, prout perficitur per sacerdotis solventis ac ligantis officium.

3. Ex eodem quoque elucescit, quod unum peccatum mortale sine alio dimitti non valeat. Non enim peccatum dimittitur, nisi gratia restituatur. Peccatum autem mortale cum gratia stare non potest. Item, peccatum mortale non potest dimitti sine pœnitentia quæ est virtus, per quam de peccato quis dolet in quantum est contra Deum super omnia dilectum. Quum ergo omne peccatum mortale divinæ dilectioni directe contrarietur, non potest quis dolere de uno, non pœnitendo de alio. Rursus, perfectioni divinæ benignitatis repugnat et derogat, ut ab ea non plena sed partialis aut media venia exspectetur sive speretur.

ARTICULUS CXXIII.

1. *An pœnitentia auferat culpam remanente reatu.* 2. *An maneant reliquiæ peccatorum.* 3. *An peccata auferre competat pœnitentiæ prout est virtus, vel secundum quod est sacramentum.*

1. IN peccato præterea sunt duo, videlicet : aversio a bono divino. Et ex hac parte debetur peccato pœna æterna, quoniam bonum divinum infinitum est. Secundo, est in peccato conversio ad bonum commutabile. Tale autem bonum finitum est : et ideo ex hac parte debetur peccato aliqua temporalis pœna. Inordinatio enim culpæ, per pœnam ad ordinem æquitatis reducitur. Nam justum est ut qui propriæ voluntati plus justo indulsit, aliquid contra voluntatem suam pati cogatur. Quoniam ergo per gratiam quæ in pœnitentia datur, aufertur aversio mentis a bono divino; idcirco per pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ. Potest tamen manere reatus seu obligatio temporalis pœnæ.

2. Præterea peccatum mortale, ratione conversionis ad bonum caducum, causat dispositionem, seu habitum malum in anima si actus frequenter iteretur. Quamvis autem per gratiam auferatur peccatum mortale, quantum ad suum formale, quod est aversio a Deo; non tamen oportet ut statim tollatur inordinata conversio ad bonum creatum atque caducum, quæ est materiale in peccato mortali : quamvis per gratiam diminuatur ac debilitetur, quemadmodum fomes in Baptismo, ne homini dominetur. Et ideo reliquiæ peccati post culpæ mortalis remissionem manere dicuntur : quæ per opera satisfactoria et virtuosa tolluntur. Interdum nihilo minus Deus tanta contritione convertit cor in se, ut subito, etiam uno actu, et peccata et
Luc. VII, 37 *et seq.* reliquiæ eorum auferantur, sicut in Maria Magdalene; quandoque vero successive hoc facit : quemadmodum etiam quosdam
Ibid. IV, 38, 39. corporaliter repente sanavit, ut socrum
A Petri; quosdam paulatim, ut cæcum illum qui primo vidit homines quasi arbores ambulantes, de quo scribitur Marci octavo. *Marc.* VIII, 22-25.

3. At vero pœnitentia virtus est, prout est principium actus humani. Actus vero hominis in sacramento Pœnitentiæ est loco materiæ; et actus sacerdotis, loco formæ, qui virtute clavium absolvendo perficit sacramentum. Effectus autem sacramentorum consequitur sacramenta, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ,
B quamvis forma principalius operetur. Patet igitur, quod remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ, principaliter prout est sacramentum virtute clavium operans; secundario autem prout est virtus, in quantum actus pœnitentis ad virtutem pœnitentiæ sacramentalis requiruntur atque ad claves aliqualiter ordinantur.

ARTICULUS CXXIV.

1. *Utrum peccatum veniale possit dimitti*
C *sine pœnitentia.* 2. *An etiam sine gratiæ infusione.* 3. *An venialia dimittantur per adspersionem aquæ benedictæ, an per tunsionem pectoris, etc.* 4. *An veniale possit dimitti sine mortali.*

1. REMISSIO vero peccati fit per conjunctionem mentis cum Deo. Quoniam ergo veniale peccatum mentem a Deo aliquo modo retardat atque elongat, dimitti non potest nisi per pœnitentiam, qua homo detestetur peccatum. Quam- QUÆSTIO 87
D diu enim voluntas peccato adhæret, ipsum dimitti non valet. Sed ad pœnitentiam peccati mortalis requiritur ut homo quantum in se est, singula peccata mortalia recordando detestetur, adhibendo diligentiam debitam ad memorandum. Hoc autem ad remissionem venialium non est necesse. Nec tamen sufficit displicentia habitualis, quia sic caritas et gratia non compaterentur secum veniale peccatum; sed exigitur displicentia virtualis, videlicet, quum quis fertur hoc modo in Deum

resque divinas, ut detestetur quidquid ei occurrit ab hoc motu retardans : quod ad remissionem mortalium peccatorum non sufficit, nisi quantum ad oblita post inquisitionem sollicitam. Fervor autem caritatis includit virtualem displicentiam omnium venialium peccatorum, et ideo dimittuntur per eum.

2. Porro unum contrarium exstirpatur per oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur caritati, sed caritatis fervori : idcirco ad remissionem venialium non oportet infundi novum habitum caritatis vel gratiæ, sed esse aliquem actum caritatis seu gratiæ. Verumtamen, quoniam in habentibus usum liberi arbitrii non contingit infusio gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et in peccatum, id est contra peccatum ; idcirco quandocumque infunditur gratia, venialia dimittuntur.

3. Denique venialia tripliciter dimittuntur per aliqua. Primo, secundum quod in eis infunditur gratia : sicque per Eucharistiam et Unctionem Extremam, imo per omnia sacramenta novæ legis, venialia indulgentur, quia in iis sacramentis gratia datur. Secundo, in quantum sunt in aliquo motu detestationis peccati : et sic per confessionem generalem, pectoris tunsionem, et Orationem dominicam venialia ignoscuntur. Tertio, prout sunt cum quodam motu reverentiæ in Deum atque divina : et ita benedictio episcopalis, adspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata, et si qua sunt similia, ad venialium operantur remissionem ; non tamen efficiunt reatus pœnæ destructionem, nisi secundum majorem vel minorem caritatis fervorem in eo cui impenduntur.

4. Amplius, quoniam dictum est nullum peccatum dimitti nisi per virtutem gratiæ vel aliquem ejus actum ; idcirco qui in mortali peccato est, consequi nequit remissionem alicujus venialis peccati, eo quod omni gratia careat. Pertinet enim ad gratiam Dei, quod Deus pecca-
A tum non imputat homini, sed hominem sibi acceptum facit et habet. Unum tamen peccatum veniale sine alio potest dimitti, quoniam veniale non excludit omnem actum gratiæ, sicut mortale. Et ergo per alium gratiæ actum venialia omnia dimitti nihil prohibet.

ARTICULUS CXXV.

1. *Utrum peccata dimissa per sequens peccatum redeant.* 2. *An redeant per ingrati-*
B *tudinem secundum quædam genera culpæ.* 3. *An redeant in æquali reatu.* 4. *An ingratitudo prædicta sit speciale peccatum.*

1. OMNIBUS autem peccatis mortalibus commune est ipsa aversio mentis a Deo, et per consequens macula quæ est ex privatione gratiæ, reatus quoque pœnæ æternæ quæ peccato mortali debetur propter aversionem a bono divino immenso. Sunt autem macula et reatus omni peccato mortali communes. Et secundum
C hoc accipiendum est quod Jacobi secundo habetur : Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Quantum vero ad conversionem inordinatam ad bonum creatum, peccata mortalia distinguuntur et quandoque contrariantur, ut prodigalitas et avaritia. Unde palam est, quod unum non facit aliud hoc modo redire. — Est itaque quæstio, an macula et reatus pœnæ æternæ, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per sequens peccatum. Quidam
D ergo dixerunt quod sic. Sed hoc stare non potest. Quum enim remissio culpæ sit opus divinæ clementiæ, per peccatum hominis irritari non potest, juxta illud ad Romanos tertio : Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit ? Unde alii ponentes peccata redire, dixerunt quod Deus indulget peccatori iterum peccaturo secundum præsentem justitiam, non autem secundum suam præscientiam. Hoc vero dici non potest. Sic enim non fieret remissio peccatorum absolute, sed condi-

Quæstio 88. — *Jacob.* ii, 10. — *Rom.* iii, 3.

tionaliter solum : quod gratiæ Christi et A sacramentis Ecclesiæ, per quæ peccata dimittuntur, repugnat ac derogat : essent enim insufficientes et non absolute causæ dimittendi peccata. Dicendum ergo peccata dimissa per sequentia non redire simpliciter, sed secundum quid : in quantum peccatum sequens virtualiter continet in se offensam peccati prioris, et propter illud gravius redditur, propter ingratitudinem veniæ exhibitæ et recidivum. Et sic intelligendæ sunt auctoritates quæ dicere videntur quod peccata B redeant.

2. Denique per quatuor peccata reiterata, specialiter peccata dimissa, redeunt modo prædicto, videlicet per odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum confessionis, et dolorem de pœnitentia peracta. Peccata enim redeunt propter ingratitudinem. Vel ergo ingratitudo est contra beneficium datum. Et sic per quodlibet peccatum mortale sequens, dimissa peccata redeunt : nam quolibet peccato mortali fit homo Deo ingratus, qui pec- C catum indulsit. Alio modo, ingratitudo est non tantum contra beneficium, sed etiam beneficii formam, quæ ex parte benefacientis est ipsa remissio culpæ : contra quam est fraternum odium, dum homo homini veniam postulanti non ignoscit. In pœnitentia autem est duplex motus liberi arbitrii. Unus in Deum, qui est motus fidei per caritatem formatæ : et contra hunc agit homo apostatando a fide. Alius est motus in peccatum, qui est actus pœnitentiæ : et contra hunc est dolor de D pœnitentia facta. Pertinet quoque ad pœnitentem, ut proponat se clavibus Ecclesiæ subdere per confessionem : contra quod est contemptus confessionis. Itaque horum peccatorum ingratitudo specialiter facit redire peccata : non quod ipsa sint simpliciter peccata gravissima, sed quia directius opponuntur beneficio remissionis culparum. Secundum prædictum quoque modum peccata venialia et originale redire possunt.

3. Porro, quia peccata dimissa non redeunt secundum quod ex prioribus actibus causabantur, sed modo nunc dicto ; idcirco falsa est eorum opinio qui dicunt, quod ex peccato sequenti propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quantus fuit omnium dimissorum peccatorum reatus, supra reatum hujus proprii peccati : quamvis peccatum sequens proportionabiliter tanto fiat gravius, quanto majus beneficium remissionis ante fuit indultum. Potest quoque unum peccatum sequens tam grave esse, ut omnia peccata dimissa fuerunt. Hoc tamen non est peccata dimissa redire, nisi prout virtualiter continentur in sequenti.

4. Adhuc autem, ingratitudo quandoque ponitur speciale peccatum, videlicet dum aliquid fit in contemptum Dei aut beneficii præstiti. Peccata enim speciem sumunt ex intentione peccantis. Interdum vero ingratitudo est generalis circumstantia sequens omne peccatum mortale, in quantum homo non retrahitur a peccato ob hoc quod ad Dei irreverentiam pertinet. Quamvis enim non omne peccatum fit ex contemptu, Deus tamen in omni peccato contemnitur, saltem in suis præceptis.

ARTICULUS CXXVI.

1. *An per pœnitentiam restituantur virtutes.* 2. *An reddantur in æquali quantitate.* 3. *An restituatur peccanti æqualis dignitas.*

1. HOMO itaque per pœnitentiam re- QUÆSTIO 89. missionem peccatorum consequitur. Dictum est autem non fieri remissionem peccati sine gratiæ infusione. Quum ergo gratia sit omnium virtutum gratuitarum principium, sequitur quod per pœnitentiam restituantur homini omnes virtutes. Pœnitentia vero in quantum est sacramentum, gratiam causat ; sed prout est virtus, causatur a gratia, sicut et ceteræ virtutes, quibus etiam connexa est quantum ad habitum. Virtutes vero in-

fusæ cum gratia per pœnitentiam, quia A non tollunt contrariam dispositionem, videlicet reliquias peccatorum priorum, cum difficultate operantur, donec per actus virtuosos contraria dispositio auferatur. Sed virtutes acquisitæ talem difficultatem non habent annexam : non enim acquiruntur nisi contraria dispositione sublata.

2. Amplius, in justificatione impii motus liberi arbitrii, puta contritio, se habet ut ultima dispositio ad gratiam recipiendam : unde simul in eodem instanti infunditur gratia cum motu prædicto. Quanto B autem dispositio subjecti fuerit major vel minor, tanto forma plenius aut debilius participatur. Quo ergo contritio pœnitentis est major vel minor, eo præstatur ei gratia plenior sive debilior. Et ergo per pœnitentiam interdum acquirit homo gratiam majorem quam ante habebat, quandoque vero minorem, et sæpe æqualem.

3. Præterea per peccatum duplicem dignitatem homo amittit : unam, quantum ad Deum ; aliam vero, quoad Ecclesiam. C Quantum autem ad Deum, amittit duplicem dignitatem : unam principalem, qua per gratiam inter filios Dei adoptivos computatur, et hæc recuperari potest, sicut et gratia ; aliam secundariam, scilicet innocentiam, quæ recuperari non valet : quamvis aliquid majus possit acquiri, tam in gratia quam in gloria, quia major gratia potest acquiri per pœnitentiam, quam ante amissa sit. Dignitatem quoque ecclesiasticam homo perdit per hoc quod ad divinorum officiorum actus exercendos D inhabilis fit. Et hæc dignitas reparari non potest : quandoque, quoniam homo non pœnitet ; vel quia negligenter pœnitentiam agit, non vacando lectionibus atque jejuniis ; vel quia commisit peccatum irregularitatem habens annexam ; vel propter vitandum scandalum aliorum, ut si deprehensus sit publice in furto, perjurio, fornicatione, ceterisque criminibus. Contingit autem interdum, ut homo post magna peccata pœnitentiamque peractam, majorem fiduciam ad Christum concipiat : sicut de S. Petro testatur Chrysostomus, quod antequam Christum negavit, non audebat in Cœna interrogare, sed inter- *Joann.* XIII, 24. rogationem Joanni commisit : post resurrectionem vero Christi et suam negationem ac pœnitentiam, non solum audet interrogare pro se, sed et de alio quo- *Ibid.* XXI, 21. que, scilicet de Joanne, magistrum interrogat.

ARTICULUS CXXVII.

1. *An opera virtuosa per peccatum sequens mortificentur.* 2. *An opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant.* 3. *An opera mortua, id est sine caritate facta, per pœnitentiam viva fiant.*

1. QUEMADMODUM vivum mori dicitur, quando amittit operationem vitalem ; sic similitudinarie dicitur res mori, quando proprio effectu vel actu privatur. Nam et fides sine operibus mortua *Jacob.* II, 26. fertur. Effectus autem operum virtuosorum est perducere ad regnum cœlorum. Quoniam ergo hunc effectum peccata sequentia impediunt, ideo opera virtuosa in caritate facta, per peccatum mortificantur.

2. Denique quidam posuerunt opera talia sic mortificata, non posse per pœnitentiam revivificari, id est suum effectum sortiri, eo quod opera illa non maneant, sed transierunt. Sed hoc erronee dictum est. Hujusmodi enim opera effectum suum non obtinent propter impedimentum peccati mortalis. Hoc ergo impedimento per pœnitentiam amoto, reviviscunt. Item, Deus opera virtuosa secundum se considerata, semper in sua sapientia accepta habet ; et quod operanti non sunt proficua ad vitam æternam, non est nisi propter impedimentum quod ipsemet propria voluntate objecit. Unde illo sublato, Deus pro eo quod meritorium fuit ac placitum, meritum reddit. Nec est omnino simile de animali, quod mortuum non reviviscit.

Animal enim moritur per hoc quod in se ipso privatur principio vitæ ; opera autem meritoria, per hoc quod impedimentum sui effectus adjicitur.

3. Porro opera dicuntur dupliciter mortua, scilicet : effective, ut peccata, quæ certum est non vivificari ; et privative, in quantum non procedunt ex caritate, per quam anima Deo unitur et spiritualiter vivit : sic enim opera quæ ex genere bona sunt, mortua reputantur eo quod agens gratia caret. Et hæc per pœnitentiam vivificari non possunt, quia ipsa secundum se transeunt, nec in divina acceptatione manent, nec resumi possunt eadem numero ut ex gratia fiant.

ARTICULUS CXXVIII.

1. *An pœnitentia habeat partes.* 2. *De numero partium ejus.* 3. *De qualitate earum.* 4. *De divisione pœnitentiæ in partes subjectivas.*

Quæstio 90. 1. DICTUM est autem, quod actus humani in Pœnitentia materialiter se habent, ipsum vero sacramentum formaliter per sacerdotem perficitur virtute clavium. Quoniam ergo ad Pœnitentiam ex parte pœnitentis concurrunt contritio, confessio et satisfactio : patet quod Pœnitentia partes habet, prout est sacramentum, non prout est virtus : sic enim prædicti actus causantur ab ea.

2. Præterea partes rei sunt duplices, scilicet : essentiales, ut forma atque materia ; et quantitativæ. Omne ergo sacramentum habet partes essentiales, quoniam constat in verbis, quæ habent locum formæ, et rebus, quæ se habent per modum materiæ. Quantitas vero consequitur materiam : et ideo partes quantitativæ sunt partes materiæ. In sacramento autem Pœnitentiæ actus humani se habent loco materiæ : et sic contritio, confessio et satisfactio ponuntur partes quantitativæ Pœnitentiæ ex parte pœnitentis. Aliter enim fit recompensatio vindictæ in vindi-
A cativa justitia quam in Pœnitentia. In illa namque fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offensi vel offendentis. Sed in Pœnitentia recompensatio fit secundum voluntatem peccantis, et Dei, qui offensus est. Nam in Pœnitentia non quæritur simplex et absoluta æqualitas justitiæ, sed reconciliatio amicitiæ. Sic itaque ex parte pœnitentis, primo exigitur voluntas recompensandi offensam : quod fit per contritionem. Secundo, requiritur ut se arbitrio sacerdotis
B subjiciat loco Dei : quod fit in confessione. Tertio, quod secundum ejus arbitrium recompenset : quod fit per satisfactionem, quæ est fructus pœnitentiæ virtutis, et pars Pœnitentiæ quæ est sacramentum. Itaque contritio cordis, confessio oris, et satisfactio operis, ad Pœnitentiam tanquam partes quantitativæ concurrunt.

3. Unde innotescit, quod hæc tria non sunt partes subjectivæ seu species Pœnitentiæ. Tota enim virtus generis seu to-
C tius, salvatur in qualibet specie simul atque æqualiter : sicut virtus animalis, in quantum est animal, perfecte salvatur in qualibet specie animalis, quæ æqualiter dividunt animal. Hoc autem prædictis non convenit partibus. Rursus, non possunt hæc tria dici partes potentiales Pœnitentiæ. Totum enim cuilibet parti potentiali secundum suam essentiam totam adest, ut anima unicuique suæ potentiæ : quod prædictis partibus non convenit. Relinquitur ergo, quod prædicta tria sint partes in-
D tegrales Pœnitentiæ. De talium enim partium ratione est, ut totum non adsit singulis partibus, nec secundum totam suam virtutem, neque secundum totam essentiam, sed omnibus simul.

4. Præterea Augustinus in libro de Pœnitentia ponit tres species pœnitentiæ, scilicet pœnitentiam ante Baptismum, pœnitentiam mortalium, et pœnitentiam venialium. Hæc autem divisio est pœnitentiæ in quantum est virtus. Sic enim ad eam pertinet, ut secundum congruentiam tem-

poris agat, sicut secundum circumstantias alias. Pœnitentia ergo tempore gratiæ operatur, prout competit novæ legi. Ad pœnitentiam vero spectat de peccatis præteritis dolere, cum proposito emendandi vitam : quod est pœnitentiæ finis. Quum ergo moralia a fine speciem sortiantur, diversæ species pœnitentiæ attenduntur secundum diversas emendationes voluntatis quas pœnitens intendit. Talis vero emendatio seu immutatio triplex est. Una est per regenerationem in novam vitam : ad quam pertinet pœnitentia ante Baptismum. Secunda est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ : ad quod respicit pœnitentia mortalium post Baptismum. Tertia est in perfectiorem vitæ operationem : et ad hoc pertinet pœnitentia venialium, quæ per ferventem actum caritatis dimittuntur. Cujus caritatis ardorem atque indeficientem vigorem nobis præstare dignetur fons pietatis, qui peccatoribus pœnitentiam dedit.

ARTICULUS CXXIX[1].

1. *An aliqua pœnitentia debeat esse solennis et publica.* 2. *An illa possit iterari.* 3. *De ritu ipsius, videlicet, quibus injungi queat.*

DIV. THOM. SUMMÆ THEOL. SUPPL., quæstio 28.

1. CONGRUIT demum aliquam pœnitentiam esse solennem ac publicam, propter quatuor : primo, ut peccatum publicum medicinam publicam habeat; secundo, quoniam maxima confusione dignus efficitur, qui gravissimum facinus agit; tertio, ut alii timorem peccandi concipiant; quarto, ne quis propter gravitatem peccati desperet. Nec tamen idcirco sacerdos confessionem revelat : nam ipse pœnitentiam occulte injungit. Pœnitens vero exsequendo eam, se ipsum prodit : quamvis culpa non sciatur pro certo ex pœna, eo quod aliquis quandoque pro alio pœnitentiam faciat. Et quoniam pœnitentia non semper restituit hominem in pristinam dignitatem, licet gratiam pristinam adipiscatur : ideo, sicut mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione non velantur; sic peccator post publicam pœnitentiam ordinari non potest in sacris, nec ad clericatum assumi. Et si episcopus eum ordinaverit, potestate ordinandi privandus est : nisi necessitas cogat vel consuetudo. Tunc namque ad minores ordines assumi potest, non ad ordines sacros : primo, propter reverentiam ordinum; secundo, propter timorem recidivi; tertio, propter scandalum vitandum; quarto, quia non haberet frontem alios corripiendi, quum peccatum ejus fuerit publicum.

2. Præterea solennis pœnitentia iteranda non est : primo, ne vilescat; secundo, quia designat expulsionem primi parentis de paradiso, quæ semel est facta; tertio, quoniam solennizatio est velut professio perpetuo pœnitentiam conservandi.

3. Porro omnis pœnitentia solennis est publica; sed non econtra. Pœnitentia namque solennis sic agitur : In capite Quadragesimæ, taliter pœnitens præsentat se cum presbyteris suis episcopo civitatis ante fores ecclesiæ, sacco indutus, nudis pedibus, vultu demisso, coma deposita; et eo in ecclesiam ducto, episcopus septem psalmos pœnitentiales cum omni clero dicit, manum ei imponit, aquam benedictam adspergit, cinerem capiti ejus superponit, collum cilicio operit : denuntians ei lacrimabiliter, quod sicut Adam ejectus est de paradiso, sic ipse de ecclesia ejicitur. Jubetque ministris ut eum ab ecclesia pellant, prosequentibus eum clericis cum Responsorio : In sudore vultus tui. In Cœna autem Domini quolibet anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur sic pœnitentes usque octavas Paschæ : sic tamen quod non communicabunt nec pacem accipient. Et ita quolibet anno fiet quousque ab ecclesia manent ejecti. Ultima autem reconciliatio reservatur epi-

[1] Quæ sequuntur excerpta sunt ex scripto S. Thomæ super IV^um Sententiarum.

scopo, ad quem solum pertinet impositio pœnitentiæ solennis. Potest quoque viris imponi ac feminis, non autem clericis, propter scandalum. Pro nullo etiam peccato imponitur nisi quod totam commovet urbem. — Publica vero et non solennis pœnitentia in facie Ecclesiæ fit, sed sine solennitate prædicta : ut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Et hæc potest iterari, et clerico injungi, atque a simplici sacerdote imponi. Interdum vero pœnitentia solennis ponitur pro publica. Et secundum hoc auctoritates diversimode intelliguntur de solenni pœnitentia. Sciendum vero, quod mulieri in solenni pœnitentia non abraditur coma, quia in subjectionis indicium eam deportat.

ARTICULUS CXXX.

1. *An homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.* 2. *An satisfactio valeat adveniente peccato mortali.* 3. *An opera bona extra caritatem facta sint meritoria alicujus præmii.* 4. *An mitigent pœnam infernalem.* 5. *De his per quæ fit satisfactio.*

Quæstio 14. 1. DENIQUE per satisfactionem præcedens offensa deletur. Remotio autem offensæ aliud non est nisi restitutio amicitiæ. Quum ergo Dei amicitia acquiri non possit manente peccato mortali, patet quod homo satisfacere nequit de uno mortali sine alio : quamvis aliqui oppositum dixerint.

2. Præterea Deo ex condigno pro peccatis satisfacere non possumus, sed secundum quamdam acceptationem. Nihil autem est Deo acceptum, quod in caritate non fit. Idcirco, postquam omnia peccata per confessionem atque contritionem quoad culpam dimissa sunt, si homo ante satisfactionem peractam in mortale peccatum labatur, nihil prodest ei satisfactio sua peccato mortali manente. Et ideo errant dicentes, quod si homo in peccato tali decederet, pro illis non puniretur in

A inferno, pro quibus satisfecit, quamvis tale mortale advenit. Ex quo elucescit error dicentium, quod quamvis opera extra caritatem facta non vivificentur per caritatem advenientem ut sint meritoria, vivificantur tamen quantum ad hoc ut sint satisfactoria respectu pœnæ. — Unde satisfactiones quæ relinquunt effectum in pœnitente, ut jejunium, quod corporis attenuationem relinquit actu transeunte, et eleemosynarum largitio, quæ divitiarum diminutionem inducit, in mortali peccato

B factas, non oportet iterari, quoniam propter id quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ fiunt. Satisfactiones vero quæ nullum effectum relinquunt, ut orationes, reiterandæ sunt.

3. Insuper, meritum dicitur actio per quam agenti fit justum aliquid dari. Justitia vero uno modo dicitur proprie, quæ concernit debitum ex parte recipientis. Secundo, dicitur similitudinarie, quæ respicit debitum ex parte dantis : aliquid enim decet dantem propter suam bonitatem tri-

C buere, quod alter non meretur recipere. Sicque justitia appellatur divinæ bonitatis decentia : sicut Anselmus ait, quod Deus tam bonus est, quod justum est eum peccatoribus parcere. Per hunc quoque modum meritum uno modo vocatur, per quod recipiens dignus fit aliquo : et dicitur meritum condigni. Secundo, dicitur meritum ex parte dantis, per quod decet dantem largiri : et dicitur meritum congrui, vel congruentiæ. Prima autem ratio dandi est amor, in his quæ gratis donantur. Omnia

D vero bona temporalia atque æterna ex divina liberalitate nobis præstantur. Non ergo mereri possunt sine caritate ex condigno, sed solum ex congruo ex parte divinæ largitatis, quæ semper perfectionem infundit, ubi dispositionem invenerit. Opera itaque bona extra caritatem facta ad tria valent : ad assequendum temporalia, ad præparationem gratiæ recipiendæ, et ad assuefactionem bene agendi.

4. Porro opera ista sicut culpam non auferunt, sic nec pœnam infernalem mi-

tigant ita ut homo liberetur per ea a pœna quam meruit : nam causa manente, perseverat effectus. Diminuunt autem ac mitigant pœnam inferni, quia meritum pœnæ impediunt, reatum omissionis excludendo, et ad bonum aliquo modo disponendo, ita quod homo etiam peccata ex minori contemptu committat atque a malis quibusdam desistat. Verumtamen dilationem ac diminutionem pœnæ temporalis merentur, ut patet de Achab, tertio Regum. [III *Reg.* XXI, 29.]

[QUÆSTIO 15.] 5. Quemadmodum autem in omni peccato est delectatio aliqua, vel saltem quædam voluntatis complacentia; ita oportet satisfactionem per opera pœnalia fieri. Flagella quoque divinæ correptionis, quibus in præsenti atterimur, satisfactoria nobis fiunt, dummodo ea patienter pro peccatis nostris suscipere ac tolerare curemus. Et sicut ex eodem igne aurum rutilat, et palea fumat; sic eisdem flagellis boni purgantur, et mali propter impatientiam magis inficiuntur, secundum Gregorium.

ARTICULUS CXXXI.

1. *An ad pœnitentiam venialium teneamur.* 2. *An teneamur ea confiteri.* 3. *An unum veniale sine alio dimitti possit.*

[In IV, d. 16, q. 1, a. 2.] 1. QUONIAM homo per venialia peccata mortem animæ non incurrit, non tenetur pœnitere de eis, secundum absolutam necessitatem : nam sine pœnitentia, etiam post hanc vitam dimittuntur. Tamen ex suppositione finis tenemur de eis pœnitere, videlicet si remissionem eorum in vita præsenti adipisci optamus.

[*Ibid.* q. 2, a. 2.] 2. Porro ad confessionem venialium non tenemur, nec absolute, quia non impediunt salutem; nec ex suppositione finis, quoniam sine confessione possunt dimitti. Quod autem pœna satisfactoria pro venialibus injungitur, non est de necessitate, sed potius ad excitandum devotionem contritionemque hominis. Non enim debetur

A eis satisfactoria pœna taxata : illa namque proportionaretur pœnæ peccati mortalis : quod esse non valet, eo quod mortale a veniali in infinitum sit distans.

3. At vero quæ connexionem ad invicem habent, separari non possunt. Peccata autem mortalia, quamvis ex parte causæ peccandi seu conversionis ad bonum caducum connexa non sint, propter quod homo incurrere potest unum sine alio; tamen ex parte aversionis a summo bono connexa sunt : omnia enim a Deo avertunt, B quoniam gratiam tollunt, et ideo unum sine alio dimitti nequit. Venialia vero peccata, nec quantum ad conversionem connexionem habent, quum sint circa diversas materias; nec quoad aversionem : non enim avertunt a Deo, quia caritatem, quæ Deo animam unit, non auferunt. Et ergo unum veniale sine alio dimitti nihil prohibet. Unum autem peccatum mortale Deo eatenus displicet, quod et peccantem Deo displicere facit. Veniale vero quamvis propter suam inordinationem Deo displiceat, C peccantem tamen Deo displicere non facit, quoniam gratiæ claritatem non tollit : quamvis secundum Gregorium, peccatum veniale obscurat, quemadmodum mortale obtenebrat. — Sciendum autem, quod non est necesse circumstantias peccati confiteri, nisi illas quæ ad speciem peccati mortalis trahunt. Perfectionis vero est alias confiteri, sicut et de venialibus dictum est. [In IV, d. 16, q. 2, a. 1.]

ARTICULUS CXXXII.

D *An ludi atque spectacula impediant pœnitentiam.*

TRIPLEX est autem genus ludorum. Quorum unum de se turpitudinem continet : quod est certum omnibus esse vitandum. Aliud, quod ex plenitudine devotionis procedit, quemadmodum David dixit : Ludam et ero humilis in oculis meis. Tertium est, quod bene et male fieri potest : circa quod est virtus moralis [*Ibid.* q. 4, a. 2.] [II *Reg.* VI, 22.]

quæ eutrapelia vocatur. Hoc autem genus ludi quamvis cum debitis circumstantiis licitum sit, tamen specialiter pœnitentibus vitandum est, quorum est lugere atque dolere, nisi in quantum necessitas recreationis spirituum exigit. Similiter dicendum est de spectaculis : quorum quædam secundum se vitiosa sunt, sicut in theatris; quædam vero utilia, ut venationes : quibus pœnitentes vacare non debent, nisi necessitas poscat, quamvis alii eis intendere possint sine peccato discretione servata.

ARTICULUS CXXXIII.

1. *An animæ post hanc vitam de peccatis contritionem habeant.* 2. *An attritio possit fieri contritio.* 3. *An contritio possit totaliter tollere pœnæ reatum.*

Quæstio 4, art. 3.

1. IN contritione præterea tria sunt, scilicet dolor, caritas dolorem informans, et meritum inde emanans. Animæ ergo Beatorum contritionem de peccatis non habent, quoniam propter plenitudinem gaudii, doloris capaces non sunt. Animæ vero miserorum* quamvis de peccatis doleant, caritatem tamen non habent : unde contritione carent. Animæ autem quæ in purgatorio sunt, dolorem caritate formatum de peccatis habent, sed non meritorium, quia in statu merendi non sunt.

* damnatorum

Quæstio 1, art. 3.

2. Differt autem contritio ab attritione, sicut formatum atque perfectum ab informi et incompleto. Nam dolor de peccatis gratiam gratum facientem præcedens, vocatur attritio; contritio vero est dolor gratia informatus. Et sicut unus actus alium præcedens ac transiens non potest fieri alius ; sic attritio fieri nequit contritio. Fides tamen informis fieri potest formata per caritatis adventum, quoniam fides nominat habitum, non actum.

Quæstio 5, art. 2.

3. Præterea contritio consideratur uno modo ex parte caritatis, quæ peccati displicentiam facit; secundo, ex parte doloris sensibilis, qui per redundantiam voluntatis et rationis in inferiori appetitu causatur. Et utroque modo potest esse tanta contritio de peccato, ut tota pœna dimittatur. Nam fervor caritatis peccata consumit : et tanto amplius, quo fortius ardet. Ipse quoque dolor sensibilis quum sit quædam pœna, tantum potest augeri ut pro reatu pœnæ peccati sufficiat.

ARTICULUS CXXXIV.

1. *An soli sacerdoti confiteri oporteat.* 2. *An liceat in aliquo casu laico confiteri.* 3. *An laicus extra casum necessitatis possit confessionem venialium audire.* 4. *An sit necesse proprio sacerdoti confiteri.* 5. *An liceat etiam alteri confiteri.*

Quæstio 8.

1. GRATIA insuper sacramentorum a Christo capite nostro in membra ejus seu corpus mysticum derivatur. Solus igitur ille est sacramentorum, quæ gratiam continent et conferunt, minister, qui ministerium habet super corpus Christi verum, videlicet sacerdos, qui Eucharistiam conficere potest. Solis ergo presbyteris facienda est sacramentalis confessio.

2. Porro, sicut Baptismus, sic Pœnitentia sacramentum est necessitatis. Quemadmodum ergo in casu necessitatis quilibet baptizare potest, sic in necessitate laicus vicem sacerdotis supplet ut ei confessio fieri queat. Debet enim pœnitens facere quod in se est, videlicet conteri et confiteri. Et quamvis laicus sacramentum perficere nequeat absolvendo, hunc tamen effectum summus Sacerdos supplebit. Talis quoque confessio licet non sit sacramentum perfectum, est tamen sacramentalis. Est etiam iteranda, dum pœnitens poterit copiam sacerdotis habere. Quamvis enim a Deo veniam et gratiam consecutus sit, oportet tamen ut reconcilietur Ecclesiæ, quatenus ad ejus sacramenta admittatur. Et hoc fit per Confessionem, quæ est sacramentum perfectum : in qua etiam pleniorem remissionem sortitur, tam virtute clavium Ecclesiæ, quam obediendo ejus mandatis.

3. Præterea, quoniam ad venialium confessionem homo non tenetur, eo quod neque a Deo, neque ab Ecclesiæ sacramentis avertant; propterea de venialibus potest fieri laico confessio : quæ tamen non est sacramentum, sed sacramentale quoddam, ut aqua benedicta, tunsio pectoris, per quæ venialia dimittuntur.

4. Advertendum quoque, quod quia sacerdos non absolvit nisi imperando seu ligando ad aliquid faciendum, idcirco proprio sacerdoti confiteri oportet : nam ille jurisdictionem habet super pœnitentem, ut ei injungere aliquid per imperium possit : quod aliis concessum non est. Unde proprio sacerdoti confiteri, est de necessitate hujus sacramenti, saltem semel in anno : quemadmodum Decretalis Innocentii dicit. Nec licet Eucharistiam sumere ab alio quam proprio sacerdote. Si vero proprius sacerdos non esset idoneus, posset homo de licentia superioris sacerdotem discretum eligere. Item, si pœnitens probabiliter timet periculum imminere sibi vel sacerdoti suo ex confessione ei facta, ut si peccatum sit contra sacerdotem commissum, vel sacerdos revelator sit confessionis, debet recurrere ad superiorem, vel ab eo licentiam petere alteri confiteri : quam si ille dare noluerit, idem erit judicium de ipso et illo qui sacerdotem habere non potest, ut scilicet faciat quod in se est, laico confitendo. Peccat autem sacerdos, qui subdito suo non dat licentiam faciliter ut alteri confiteatur. Multi enim sine confessione mallent mori, quam proprio sacerdoti conscientiam suam nudare.

5. Denique dupliciter impeditur sacerdos a confessione audienda, videlicet propter jurisdictionis defectum, et propter exsecutionis impedimentum, ut in degradatis, excommunicatis, suspensis, etc. Qui autem jurisdictionem habet, potest eamdem committere alteri. Unde per sacerdotis proprii vel episcopi commissionem potest alteri sacerdoti conferri potestas confessionem audiendi et absolvendi. Quum autem Papa pœnitentiarium loco sui constituit, ille pœnitentiarius episcopo est superior. Pœnitentiarius quoque episcopi superior est sacerdote proprio et parochiali. Nec tenetur pœnitens proprio sacerdoti confiteri quæ illis confessus est, quamvis sacerdos id exigat. Si vero iterum confiteatur, bene facit : nam quo quis sæpius eadem peccata confitetur, etiam pluribus sacerdotibus, eo pœna magis minuitur, tum propter erubescentiam confessionis, tum propter vim clavium, tum propter orationem sacerdotis. Et ideo posset quis toties confiteri, quod tota pœna sibi dimitteretur.

ARTICULUS CXXXV.

1. *An confessio possit esse informis.* 2. *An aliter fieri valeat quam verbis.* 3. *De effectu confessionis.*

1. CONFESSIO denique prout est actus virtutis, meritoria est : et sic sine caritate esse non potest neque informis. Sed prout est pars sacramenti Pœnitentiæ, ordinat confitentem ad sacerdotem claves habentem : et ita confessio potest esse informis. Potest namque peccator sine contritione peccata sua pandere sacerdoti, et clavibus se Ecclesiæ subjicere. Et quamvis tunc non consequatur fructum absolutionis, tamen fictione cessante percipiet : sicut in aliis Ecclesiæ sacramentis. Unde qui fictus confitetur, non tenetur confessionem reiterare, sed fictionem suam confiteri. Quæstio 9.

2. Præterea confessio necessario fieri habet per verba, sicut Baptismus per aquam. Est enim confessio pars sacramenti. Sacramenta autem determinatam habent materiam et formam. Muti tamen atque alterius linguæ, per scriptum et nutum sive interpretem confiteri possunt, quoniam Deus ultra posse hominis non requirit.

3. Demum, sicut Baptismus liberat a peccato, non solum cum actu suscipitur, sed etiam cum voto habetur; ita et con- Quæstio 10.

fessio. Nam contritio liberat a culpa in quantum votum confessionis annexum habet. In actu vero confessionis et absolutionis gratia augetur, atque remissio peccatorum daretur, si dolor præcedens ad contritionem sufficiens non fuisset.

ARTICULUS CXXXVI.

1. *Utrum debeant esse claves in Ecclesia.* 2. *Quid sint.* 3. *Quot sint.*

Quæstio 17. 1. AGNOSCENDUM, quod sicut in corporalibus clavis vocatur quo ostium aperitur, sic potestas per quam pœnitenti aperitur regnum cœlorum, quod sibi propter culpam ac pœnæ reatum fuit clausum, clavis nominatur. Hæc autem potestas in Deo Trinitate est per auctoritatem ; in Christo homine per excellentiam, quoniam merito passionis suæ sacramenta atque ministri prædictam sortiuntur virtutem : unde in ministris est per ministerium. Propter quod Deus dicitur habere clavem auctoritatis ; Christus, clavem excellentiæ ; sacerdos, clavem ministerii. Clavis vero inferni est virtus gratiam conferendi, per quam homo a peccato, quod porta inferni est, exit. Et hæc potestas in solo Deo est. Aliqui tamen dicunt esse idem in re clavem regni cœlorum, et clavem inferni : nam per hoc quod homini unum clauditur, alterum aperitur.

2. Denique clavis Ecclesiæ taliter definitur : Clavis est potestas ligandi et solvendi, qua ecclesiasticus judex dignos recipere et indignos excludere debet a regno. Quum enim sit clavis quædam potentia, per actum definiri debet atque objectum. Hæc autem potestas quæ clavis vocatur, secundum rem idem videtur quod potestas consecrandi. Sed diversa nomina recipit secundum diversitatem effectuum. Dantur enim claves simul cum Ordine, quamvis usus earum jurisdictionem in sacerdote requirat. Dicitur quoque sacerdos a regno excludere, eo modo quo Deus aliquem obdurare censetur, videlicet impedimentum regni non auferendo : quod ipse auferre non potest nisi Deus illud amoverit.

3. Porro in omni actu in quo ex parte recipientis idoneitas quædam exigitur, duo necessaria sunt agenti, videlicet judicium de idoneitate, atque expletio actus. Et ergo ad horum utrumque quædam potestas seu auctoritas necessaria est. Unde sacerdos confessor judicio discretionis eget ad judicandum de idoneitate pœnitentis ; et ipsa exsecutione qua dignos recipit, indignos excludit. Et ad horum utrumque potestas sive auctoritas ei collata est. Propter quod duæ dicuntur claves Ecclesiæ : per quarum unam sacerdos de qualitate pœnitentis discernit, et per aliam absolutionem impendit. Hæ vero claves essentialiter idem sunt ; sed duæ dicuntur per comparationem ad actus, quorum unus alium præsupponit. Ad duo namque, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur : quemadmodum calor ignis ad calefaciendum ac dissolvendum. Una igitur clavis, quæ dicitur potestas solvendi atque ligandi, seram aperit ; alia vero, quæ clavis scientiæ appellatur, ostendit cui aperiendum sit ostium.

De clave tamen scientiæ duplex opinio fuit. Una dicentium, quod hæc clavis dicatur habitus scientiæ acquisitus, sive infusus, et quod non sit clavis principalis, neque in omnibus inveniatur sacerdotibus, nec tradatur cum Ordine : quidam enim sacerdotes neque infusam neque acquisitam scientiam habent. Secunda opinio tenet, quod clavis scientiæ non sit habitus talis, sed auctoritas exercendi actum scientiæ : quæ auctoritas interdum habetur simul cum scientia, quandoque absque scientia : sicut in judiciis sæcularibus quidam sunt judices, qui tamen scientia juris carent, et aliqui juris scientiam habent, auctoritate judicandi carentes. Et quia actus judicandi sine scientia exsequi nequit, idcirco qui hanc auctoritatem recipit carens scientia, peccat.

ARTICULUS CXXXVII.

1. *Utrum sacerdos legalis habuerit claves.* 2. *An etiam Christus.* 3. *An soli sacerdotes habeant claves.*

Quæstio 19. 1. PRÆFERT quoque Apostolus in epistola ad Hebræos sacerdotium Christi sacerdotio legali : quoniam Christus (*Hebr.* IX, 11, 12.) adsistens pontifex futurorum bonorum, in tabernaculum cœleste introducit per proprium sanguinem ; sacerdos vero legalis per sanguinem hircorum et similium illud non potuit. Ideo sacerdotes in veteri lege clavem regni non habuerunt, sed clavium figuram : quia potestas eorum non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuras cœlestium.

2. At vero, sicut ostensum est, Christus habuit claves per modum excellentiæ. Potestas enim ligandi atque solvendi in eo principaliter fuit, atque ab ipso propagatur ad ministros Ecclesiæ.

3. Præterea clavem Ordinis, quæ clavis regni vocatur, et immediate ad cœli apertionem se extendit removendo peccata, soli sacerdotes habent. Clavem vero jurisdictionis in foro causarum, quæ non extendit se directe ad regnum, sed mediante Ecclesia, quæ ligat et solvit, et a fidelibus separat, etiam non sacerdotes habent, ut archidiaconi et electi, et omnes qui excommunicare possunt. Mulieres autem neutram clavem habere possunt, propter conditionis suæ subjectionem.

ARTICULUS CXXXVIII.

An sacerdos possit semper subditum suum absolvere.

Quæstio 20, art. 2. ORDINIS autem potestas, quantum de se est, extendit se ad omnia peccata remittenda; sed usus ejus jurisdictionem requirit super absolvendum. Potestas vero jurisdictionis a superioribus ad inferiores derivatur. Potest ergo superior alios casus suæ potestati reservare, in quibus inferio-

A ri judicium non committit : et quantum ad hos inferior jurisdictionem non habet. Unde quinque sunt casus, in quibus oportet ut simplex sacerdos pœnitentem ad superiorem remittat : primus, dum solennis pœnitentia est imponenda, quam solus episcopus imponere habet; secundus est de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absolvere, utpote quando non ligavit; tertius, quum invenit irregularitatem contractam; quartus, de incendiariis; quintus, quum consuetudo in ali-
B quo episcopatu consistit, quod grandia crimina non nisi ab episcopo dimittantur propter aliorum terrorem : in talibus enim consuetudo aufert et dat potestatem.

ARTICULUS CXXXIX.

1. *An semper teneatur confessor celare quæ sub confessionis sigillo audivit.* 2. *An de licentia confitentis ea revelare possit.* 3. *An si alias ea cognoscit revelare possit.*

C 1. EA porro quæ in sacramentis foris aguntur, sunt signa eorum quæ fiunt interius. Subjectio igitur illa qua peccator confessori foris se subjicit, signum est interioris subjectionis qua se Deo anima subdit. Quemadmodum ergo Deus peccata confessa tegit et quasi ignorat, quia indulsit : sic debet confessor ea celare quasi nunquam fuissent; et si aliquo modo revelat, quasi sacramenti violator censendus est. Imo, si adjuratus jussusque fuerit ea propalare, obedire non
D debet. Nec cogi potest, quia intentio præcipientis super eum ferri non potest, nisi secundum quod homo est : non enim est superiori subjectus, nisi ut homo. Quæ autem in confessione audivit, non ut homo, sed ut Dei vicarius novit. Dato quoque quod confitens nolit se emendare, non tamen potest peccata ejus nudare, quia de jure divino confessionem sequitur celatio culpæ. Sigillum autem confessionis directe concernit peccata; ad alia vero se indirecte extendit. Idcirco alia quæ in confessi- (Quæstio 11.)

one dicuntur aut fiunt, videlicet ex quibus peccator aut ejus peccatum deprehendi potest, summo studio sunt celanda : tum propter scandalum, tum propter pronitatem pravæ consuetudinis. Sed et ille qui non est sacerdos, si secretum aliquod sub sigillo confessionis recipit, tenetur celare.

2. Denique confitens facere potest ut confessor ea quæ in confessione audivit, sciat non solum ut Deus, sed etiam ut homo : quod facit dum eum licentiat ad revelandum. Ideo de licentia confitentis potest confessor revelare peccata. Nihilo minus propter scandalum vitandum cavere debet ne revelet.

3. Unde elucescit, quod confessor ea revelare potest quæ alias noscit quam in confessione, quamvis in confessione quoque ea audierit. Et hoc verum est, sive ante confessionem, sive post eam cognoscat hujusmodi. Quidam autem oppositum dicunt, quorum positio veritati atque justitiæ servandæ repugnat.

ARTICULUS CXL.

1. *Quid sit excommunicatio.* 2. *Cur fiat.* 3. *Pro quibus rebus.* 4. *An excommunicatio injuste lata sortiatur effectum.*

Quæstio 21. 1. HOMO denique per Baptismum in Ecclesia positus, ad duo adscribitur, scilicet ad cœtum fidelium, et ad participationem sacramentorum : quorum secundum præsupponit primum. Dupliciter itaque separari quis potest ab Ecclesia. Aut enim separatur a participatione sacramentorum dumtaxat : et hæc est excommunicatio minor. Aut ab utroque : et ista est excommunicatio major. Quæ sic definitur : Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiæ, quoad fructum et suffragia generalia. Communicatio vero fidelium duplex est, scilicet : in spiritualibus, ut sunt mutuæ orationes et conventus ad sacra participanda ; et in corporalibus actibus legitimis : quæ communicationes his versibus continentur :

A Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Id est : Os, ne osculentur ; Orare, ne cum eis oremus ; Vale, ne salutentur ; Communio, ne quis cum ipsis in sacramentis communicet ; [Mensa negatur, ne aliquis cum eis in mensa comedat.] Prædicta autem definitio non tangit separationem excommunicatorum a communicatione in corporalibus, sed in spiritualibus. Unde alia utramque tangens assignatur : Excommunicatio est a qualibet licita commu- B nione et legitimo actu separatio. Igitur pro excommunicatis non oratur ex persona Ecclesiæ, quum non sint inter membra ejus : quamvis persona privata pro eis possit precem dirigere. Minor autem excommunicatio non tollit Ecclesiæ suffragia.

2. At vero judicium Ecclesiæ imitari debet judicium Dei. Quemadmodum igitur Deus quosdam peccatores punit flagellis, ut castigati resipiscant ; quosdam, subtrahendo divinum auxilium, ut sic humiliati propriamque infirmitatem pensantes C se corrigant : sic Ecclesia quosdam flagellis castigat, separando a cœtu fidelium ; quosdam propriæ infirmitati relinquit, negando sacramenta. Hæc tamen excommunicatio seu maledictio, quoniam ordinatur ad emendationem excommunicati, bona ac licita est. — Valent autem suffragia Ecclesiæ ad tria, videlicet : ad gratiæ adeptionem in non habentibus, vel augmentum in habentibus ; secundo, ad custodiam in bono ; tertio, ad protectionem a dæmone. Ideo per excommunica- D tionem homo triplex incommodum incurrit, videlicet : gratiæ subtractionem, ne eam acquirat quamdiu sic manet ; divinæ protectionis carentiam, qua Deus Ecclesiæ filios speciali providentia protegit ; tertio, quod diabolus ampliorem potestatem in eum acquirit nocendi ei spiritualiter et corporaliter. Unde in primitiva Ecclesia, quando oportuit fidem signis firmari, sicut Spiritus Sancti donum in signo visibili demonstrabatur, sic excommunicatio per corporalem diaboli vexationem declarabatur.

3. Porro nemo excommunicari debet nisi pro mortali peccato. Quoniam vero aliquis peccat mortaliter damnificando alium in temporalibus rebus ; idcirco pro damno temporali illato Ecclesia excommunicat. Sed quum excommunicatio sit maxima pœna, non est subito infligenda, nisi offensor contumax fuerit, vel non veniendo ad judicium, vel ante finem judicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo, nec admonitioni acquiescendo.

4. Amplius, excommunicatio dici potest B injusta dupliciter. Primo, ex parte excommunicantis, ut si ex ira vel odio fiat : et tunc sortitur effectum. Quamvis enim excommunicans peccet, excommunicatus tamen hanc pœnam meretur. Secundo, ex parte excommunicationis, ut dum causa excommunicationis non est idonea, vel ordo juris omittitur. Si ergo talis fit error qui sententiam annullet, non habet effectum, quia non est excommunicatio. Si autem sententiam non annullet, excommunicatio habet effectum ; debetque ex- C communicatus humiliter obedire (et erit ei ad meritum), et vel absolutionem ab excommunicante requirere, aut ad superiorem confugere judicem. Si vero contemnit, eo ipso mortaliter peccat : nam secundum Gregorium, præcepta pastoris, sive injusta sint sive justa, timenda sunt. Interdum quoque excommunicatio justa est ex parte excommunicantis, injusta vero ex parte excommunicati : ut dum quis pro crimine falso, tamen in judicio probato, excommunicatur. Et tunc si humi- D liter suffert, meritum humilitatis recompensat damnum excommunicationis. Ratio autem cur excommunicatio injusta effectum habet, est : nam quamvis nemo gratiam Dei injuste amittere possit, id est sine propria culpa, potest tamen ea injuste amittere per quæ ad gratiam Dei disponitur : ut patet de his quibus verbum debitæ instructionis et exhortationis non exhibetur. Unde quod ait Hieronymus : De supercilio Pharisæorum est, æsti- A mare ligatum vel solutum, quando injuste ligatur vel solvitur : intelligendum est quantum ad culpas, non quantum ad pœnas, quæ possunt etiam injuste infligi a prælatis Ecclesiæ.

ARTICULUS CXLI.

1. *An quilibet sacerdos possit excommunicare.* 2. *An non sacerdotes etc. hoc possint.* 3. *An aliqua tota universitas excommunicari possit.*

1. PROINDE in foro conscientiæ causa agitur inter hominem et Deum ; in foro autem exterioris judicii, inter homines ad invicem. Absolutio ergo atque ligatio quæ unum hominem ligat quoad Deum dumtaxat, ad forum pœnitentiæ pertinet ; illa vero quæ hominem obligat quantum ad alios homines, respicit publicum exterioris judicii forum. Ad tale autem forum sententia excommunicationis spectat, quia per eam a communione fidelium quis separatur. Illi igitur solum excommunicare valent, qui jurisdictionem in foro judiciali habent, videlicet coram quibus in causis contentiosis convenitur : ut sunt episcopi et majores prælati. Unde presbyteri parochiales excommunicare non possunt, nisi in casibus eis concessis : ut in rapina, et furto, atque hujusmodi. Quidam tamen affirmant quemlibet sacerdotem parochialem posse excommunicare. Quæstio 22.

2. Ex quibus elicitur, quod aliqui quamvis non sint sacerdotes, excommunicare eos possunt in quos jurisdictionem sortiti sunt in foro contentioso. Quamvis namque non habeant clavem Ordinis, habent tamen clavem jurisdictionis. — Excommunicati vero atque suspensi a jurisdictione, usum jurisdictionis amittunt, nec excommunicare possunt. — Item, quum per jurisdictionem ponatur homo in gradu superioritatis cujusdam, idcirco nemo excommunicare potest se ipsum, æqualem, vel superiorem. Imo in foro confessionis sacerdos non potest absolvere su-

periorem vel æqualem de mortali, nisi ex commissione; sed de venialibus potest. A

3. At vero nemo excommunicandus est nisi pro actu peccati mortalis. Actus vero sunt singularium, et non communitatis. Et quamvis interdum actus sit totius multitudinis, sicut dum multi unam navem trahunt; non tamen probabile est quod tota communitas sit ita infecta, quin aliquos habeat non consentientes peccato.
Gen. xviii, 25. Quemadmodum igitur Dei non est damnare justum cum impio; sic Ecclesia excommunicare non debet totam commu- B
Matth. xiii, 29. nitatem, ne collectis zizaniis eradicetur et triticum. Unde Augustinus ait, quod princeps et multitudo non est excommunicanda.

ARTICULUS CXLII.

1. *An liceat excommunicato communicare in pure corporalibus.* 2. *An excommunicato communicans sit excommunicatus.* 3. *An mortaliter peccet.*

Quæstio 23. 1. EXCOMMUNICATIO insuper minor, ut C dictum est, quia solum separat ab Ecclesiæ sacramentis, communicationem in corporalibus rebus non excludit. Sed excommunicatio major, quæ ultra hoc separat a cœtu fidelium, communicationem hanc impedit. Sed quoniam excommunicatio non ad mortem sed medelam imponitur, excipiuntur aliqui casus speciales, in quibus excommunicato communicare est licitum, scilicet in his quæ concernunt salutem, de quibus cum excommunicato loqui conceditur; et alia quoque verba D interserere licet, quatenus ex familiaritate facilius recipiatur verbum salutis. Excipiuntur quoque personæ quæ ad provisionem excommunicati specialiter pertinent : utpote uxor, filius non emancipatus, servus, rusticus et serviens, et qui ante excommunicationem se ei subdiderunt. Quidam vero adjiciunt, quod superiores communicare inferioribus possint. Item, communicare excommunicatis licet, dum excommunicatio ignoratur; et dum aliqui sunt peregrini, viatores in terra excommunicatorum : tunc enim ab eis emere, vendere, et eleemosynam capere possunt. In casu quoque necessitatis id licet.

2. Denique excommunicatur quis dupliciter. Primo, cum omnibus suis participantibus : et tunc quicumque ei participat, majorem excommunicationem incurrit. Secundo, excommunicatur homo simpliciter. Et tunc vel participat ei alter in crimine, consilium, auxilium, aut favorem præbendo : et sic majore excommunicatione excommunicatus est. Vel participat ei in aliis, scilicet verbo, mensa, seu osculo : et ita minorem excommunicationem incurrit. Excommunicato autem minore excommunicatione licitum est communicare : et sic excommunicatio non transit in tertiam personam.

3. Insuper aliqui dicunt, quod quicumque excommunicato communicat verbo vel aliquo modo prædicto, mortaliter peccat. Sed hoc grave videtur, ut homo pro uno verbo levi quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet. Et ideo alii probabilius aiunt, quod tunc solum mortaliter peccat communicans, quando in crimine ipsi participat, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ. Et in hoc casu loquitur Decretalis quæ dicit, quod debet homo magis mortem subire quam excommunicato communicare. — Sciendum quoque, quod suspensio non est tanta pœna ut excommunicatio : non enim privantur suspensi suffragiis Ecclesiæ. Et ergo potest quis sine proprio peccato suspendi, videlicet pro culpa ejus qui in illo punitur : quemadmodum pro peccato regis totum regnum interdicto supponitur.

ARTICULUS CXLIII.

1. *Utrum quilibet sacerdos absolvere possit subditum suum ab excommunicatione.* 2. *An aliquis possit absolvi invitus.* 3. *An homo possit absolvi ab una excommunicatione sine aliis.*

Quæstio 24. 1. AMINORE denique excommunicatione quilibet sacerdos potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis. Si autem sit excommunicatio major : vel est lata a judice, et tunc ejus qui tulit sententiam est absolvere, vel superioris; vel est lata a jure, et tunc episcopus, vel etiam sacerdos potest absolvere, demptis sex casibus, quos Papa suæ jurisdictioni servavit : primus, de illo qui injicit manum in clericum vel religiosum ; secundus, de illo qui frangit ecclesiam, et est denuntiatus; tertius, de illo qui incen- B dit ecclesiam, et denuntiatus est; quartus, de illo qui in divinis scienter communicat excommunicatis nominatim a Papa; quintus, de eo qui falsat litteras apostolicæ Sedis; sextus, de illo qui excommunicatis in crimine communicat. Non enim debet absolvi nisi ab eo qui excommunicavit, etiam si non sit subditus ejus : nisi propter difficultatem itineris absolveretur ab episcopo, aut sacerdote proprio, data juratoria cautione quod pareret præcepto judicis qui tulit sententiam. — Sed a pri- C mo casu octo excipiuntur : primo, in articulo necessitatis, in quo a qualibet excommunicatione quilibet sacerdos absolvere potest ; secundo, si sit ostiarius alicujus potentis, et non ex odio neque proposito percusserit; tertio, si percutiens sit mulier; quarto, si servus, de cujus absentia dominus non habens culpam læderetur; quinto, si regularis regularem percutiat, nisi sit enormis excessus; sexto, si sit pauper; septimo, si impubes vel senex aut valetudinarius; octavo, si habeat ca- D pitales inimicitias. — Sunt item septem casus, in quibus percutiens clericum excommunicationem non incidit : primo, si causa disciplinæ; secundo, si jocosa levitate ; tertio, si reperiat eum turpiter agentem cum uxore, matre, sorore, aut filia; quarto, si statim vim vi repellat ; quinto, si ignoret eum esse clericum; sexto, si inveniat eum in apostasia post trinam admonitionem ; septimo, si clericus transferat se ad actum suæ conditioni A contrarium, ut si miles fiat, aut bigamus.

2. Porro excommunicatio pœna est. Potest autem homo absolvi a pœna invitus : nam pœna ab extra infligi potest et tolli. Et ideo potest quis ab excommunicatione absolvi invitus.

3. Insuper, excommunicationes connexionem non habent : idcirco nihil prohibet quemquam absolvi ab una, et non ab alia. Quum autem aliquis ab eodem judice pluribus excommunicationibus excommunicatus exsistit, dum ab una absolvitur, ab omnibus absolvi intelligitur : nisi contrarium exprimatur; vel nisi in casu quo quis absolutionem impetrat, de uno præcise casu excommunicationis, quum pro pluribus excommunicatus sit, mentio fiat. Quum vero a diversis judicibus excommunicatus est, tunc absolutus ab una excommunicatione, non liberatur idcirco ab altera : nisi omnes alii ad petitionem ejus absolutionem suam confirment, vel omnes uni absolutionem demandent.

ARTICULUS CXLIV.

1. *Utrum per indulgentiam aliquid pœnæ remittatur.* 2. *An indulgentiæ tantum valeant sicut pronuntiantur.* 3. *An pro temporalibus subsidiis fieri debeant.*

1. VALENT insuper indulgentiæ ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, confessionem et absolutionem, sive injuncta sit sive non injuncta, propter unitatem corporis mystici Ecclesiæ : in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogaverunt ad mensuram peccatorum suorum, variasque tribulationes injustas patienter tulerunt, per quas multitudo pœnarum expiata fuisset, si eis debita exstitisset. Quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam nunc viventibus debitam superexcedit, præsertim propter meritum Christi. Sancti vero opera talia supererogationis fecerunt indeterminate atque communiter pro tota Ecclesia Christi : quemadmodum Paulus ait, se implere ea Quæstio 25. Coloss. I, 24.

quæ desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia ad quam scribit. Itaque merita ista communia sunt toti Ecclesiæ. Quæ autem communia sunt multis, distribuuntur singulis secundum ejus arbitrium qui multitudini præsidet. Ideo sicut homo remissionem consequitur, alio pro ipso satisfaciente, sic si alterius satisfactio ei communicetur et detur per eum qui potest. Et per hunc modum indulgentiæ operantur remissionem pœnæ in suscipiente, quoniam dantur de communibus bonis Ecclesiæ unde debitum solvat.

2. Denique indulgentiæ valent non solum secundum quantitatem devotionis ejus qui recipit eas, vel dati, aut causæ pro qua datur. Nam quantitas effectus sequitur quantitatem causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis non est nisi meritorum Ecclesiæ copia : quantitas ergo remissionis hujus proportionanda est ad excedens Ecclesiæ meritum, non autem ad hominis laborem, vel devotionem dumtaxat. Unde secundum quod merita Ecclesiæ applicantur ad quemquam, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hanc vero applicationem exigitur auctoritas dispensandi hunc thesaurum ; unio quoque ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur (quæ fit per caritatem); ratio etiam dispensationis, per quam salvatur intentio illorum qui opera talia supererogationis fecerunt : ipsi enim ea egerunt ad Dei honorem atque Ecclesiæ utilitatem in generali. Idcirco omnis causa in Dei honorem et Ecclesiæ suæ utilitatem vergens, est sufficiens ratio indulgentias faciendi. Propter quod aliorum opinionibus derelictis, dicendum quod indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur : dummodo fuerit in dante auctoritas, in suscipienteque caritas, et ex parte causæ pietas, id est Dei honor et Ecclesiæ seu proximorum utilitas. — Nec hoc derogat divinæ justitiæ, neque de misericordia Dei fit nimis magnum forum. Nihil enim de pœna remittitur, sed pœna unius alteri computatur. Nec ob hunc indulgentiarum

A valorem currendum est per terras pro indulgentiis, melioribus bonis omissis : quoniam alia opera satisfactoria sunt amplius meritoria respectu præmii essentialis, quod in infinitum præstantius est quam temporalis pœnæ dimissio, sive in præsenti, sive in purgatorio; quia et in purgatorio exsistentibus prosunt indulgentiæ, eo quod Christus Petro dixit : Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo, id est in foro divino seu Dei judicio. *Matth.* xvi, 19.

Quum vero datur indulgentia indetermi-

B nate ei qui impendit auxilium ad ecclesiæ fabricam, intelligendum est de tali auxilio quod congruit danti secundum statum facultatemque ejus; et prout magis vel minus accedit ad hoc, plus aut minus obtinet de indulgentiis. Unde pauper unum denarium præstans, totam indulgentiam consequi potest, non autem dives, quem non decet tam modicum dare ad opus tam fructuosum ac pium. Item, vicinus ecclesiæ, et sacerdotes, ac clerici, tantam consequuntur indulgentiam, ut illi

C qui a mille dietis adveniunt; sed illi qui plus laborant, magis merentur : quod tamen verum est, dum indistincte indulgentia datur. Interdum enim distinguitur, ut dum Papa transeuntibus mare dat septem annos, transeuntibus montes, tres. Nec putandum quod quotiescumque aliquis infra tempus indulgentiæ vadit ad ecclesiam talem, toties illam lucretur; sed intelligitur semel dumtaxat : nisi ubi perennis indulgentia datur, ut in ecclesia S. Petri quadraginta dierum. Tunc enim quoties

D aliquis vadit, toties indulgentiam promeretur.

Item ad indulgentiam requiritur, non solum unio recipientis ad eum qui meruit, per caritatem (nam talis unio communis est omnibus gratiam Dei habentibus); sed oportet, quod sit unio per intentionem operantis seu promerentis ad eum qui indulgentiam recipit virtute meritorum ipsius. Hæc vero continuatio atque unitio fit per causam pro qua indulgentia fit.

3. Præterea pro temporalibus secundum

se non fit indulgentia, ne spirituale pro temporali videatur donari, sed prout ordinantur ad spiritualia : ut repressio inimicorum pacis ac fidei, constructio ecclesiarum ac pontium. Nonnunquam indulgentia datur pro pure spirituali : sicut Papa Innocentius IV dedit decem dies indulgentiarum oranti pro rege Franciæ. Quandoque etiam datur eadem indulgentia crucem prædicantibus, quæ confertur recipientibus.

ARTICULUS CXLV.

Quorum sit dare seu facere indulgentias.

Quæstio 26. NUNC ergo ostensum est quod indulgentiæ fiunt ex communibus bonis Ecclesiæ per eum cui dispensatio thesauri hujus commissa est. Hoc autem maxime convenit Papæ; episcopis vero, secundum quod eis a summo Pontifice taxatum est atque concessum, et non amplius. Et quoniam indulgentias facere spectat ad clavem jurisdictionis, non Ordinis; idcirco diaconi, et legati seu electi, quamvis non sint sacerdotes, indulgentiam facere possunt ex ordinatione domini Papæ. Et quia indulgentiam faciens non facit eam ex proprio merito, ideo tantum valent indulgentiæ per eum factæ qui in mortali peccato est, sicut per illum qui est sanctissimus. Sacerdotibus vero parochialibus non convenit indulgentiam facere, quum non sint principales prælati, nec toti Ecclesiæ præsidentes, sed quasi coadjutores sui episcopi.

ARTICULUS CXLVI.

1. *An Unctio Extrema sit sacramentum.* 2. *De unitate hujus sacramenti.* 3. *De institutione ipsius.*

Quæstio 29. 1. HORUM præterea quæ Ecclesia visibiliter agit, quædam sunt sacramentalia : illæ videlicet actiones quæ ad principalem effectum, id est curationem morbi spiritualis, non attingunt, sed disponunt, ut exorcismus. Quædam vero sunt

A sacramenta, videlicet actiones quæ ad prædictum effectum pertingunt, de quo Isaiæ vicesimo septimo dicitur : Hic est omnis *Is.* XXVII, 9.
fructus, ut tollatur peccatum. Unctio autem Extrema ad peccatorum remissionem operatur, ordinatur atque pertingit, quemadmodum Jacobi quinto habetur : et ideo *Jacob.* V, 14, 15.
sacramentum est. Et quoniam Unctio Extrema immediate ad gloriæ ingressum disponit, idcirco non habuit in veteri lege figuram, seu sacramentum sibi respondens. Nondum enim tunc aderat tempus
B introitus gloriæ.

2. Præterea unum tripliciter dicitur : Primo, quod nec actu divisum est, nec potentia dividi potest, ut punctus. Secundo, quod actu indivisum est, sed dividi potest, sicut continuum. Tertio, ipsum perfectum ex pluribus constans, quæ in aliquo uno conjunguntur, ut domus. Et hoc modo sacramentum dicitur unum, quia in quolibet sacramento sunt aliqua diversa, quæ ad unum significandum atque causandum referuntur. Et dum una
C actio sufficit ad perfectam hanc significationem, unitas sacramenti in una actione consistit, ut in Confirmatione. Quandoque vero significatio fieri potest tam per unam quam per plures actiones, sicut Baptismus, qui fit vel una vel trina immersione : tuncque unitas sacramenti in una vel pluribus actionibus constat. Interdum quoque perfecta significatio exigit plures actiones : et tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti : ut in Eucharistia, quæ per cibationem et po-
D tationem designatur ; et in sacramento Pœnitentiæ sunt confessio, absolutio, satisfactio. Similiter in hoc sacramento. Nam interiorum vulnerum curatio significari non valet, nisi per applicationem medicinæ ad diversas peccatorum radices. Et igitur plures actiones ad hujus sacramenti pertinent perfectionem.

3. Denique aliqui dicunt quod Confirmatio et Unctio Extrema, quoniam plenitudinem gratiæ continent, instituta non sunt ante missionem Spiritus Sancti. Unde

secundum eos, Christus per se non instituit ea, sed Apostolis eorum institutionem commisit. Sed quoniam sacramenta ad fundamentum legis spectant, probabilius alii asserunt quod ipsemet legislator Christus Dominus ea instituit, quamvis Apostoli ea promulgarunt. Quamvis etiam Evangelistæ de Confirmatione et Unctione Extrema nihil scribant, non sequitur quod Christus per se ipsum non instituerit ea. Multa enim fecit quæ scripta non sunt : et de istis non scripserunt, quoniam non sunt de necessitate salutis.

ARTICULUS CXLVII.

1. *An Unctio Extrema peccata dimittat.* 2. *An corporalem sanitatem efficiat.* 3. *An characterem imprimat.*

Quæstio 30. 1. QUODLIBET vero sacramentum ad unum principalem effectum ordinatur, qui per ea quæ sensibiliter fiunt, significatur. Unctio autem Extrema per modum medicationis, atque Baptismus per modum ablutionis impenditur. Unde sicut Baptismus est quædam spiritualis generatio, et Pœnitentia spiritualis suscitatio ; sic Unctio Extrema est quædam spiritualis sanatio. Principalis igitur ejus effectus est peccati infirmitatem curare, videlicet ineptitudinem ac debilitatem quæ in nobis ex peccato actuali causantur et relinquuntur. Et ergo dicitur esse contra reliquias peccatorum. Sed quoniam confert et continet gratiam, per cujus infusionem aufertur peccatum ; idcirco secundarius ejus effectus est tollere culpam, quæ per eam deletur, si adest, sive sit mortalis, sive venialis : nisi quis obicem ponat. Quidam vero affirmant, quod Unctio Extrema principaliter ordinatur contra venialia peccata; sed hoc non valet, quoniam Pœnitentia sufficit contra omnia peccata. Unde principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum, quantum ad reliquias eorum, et ex consequenti, quantum ad culpam, si invenerit eam. Et ideo Jacobus

A de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens : Et si in peccatis sit, dimittentur ei. *Jacob.* v, 15.

2. At vero Unctio Extrema corporalem sanitatem inducit, non virtute naturali suæ materiæ, sed divina virtute. Sed hæc sanitas est secundarius hujus sacramenti effectus. Secundarius vero effectus non est introducendus, nisi prout expedit ad principalem effectum. Et ergo Deus non semper inducit corporalem sanitatem in hujus sacramenti exhibitione, sed tunc B solum et semper dum ad spiritualem sanitatem proficuum est, nisi ex parte recipientis impedimentum consistat.

3. Amplius, character in illis dumtaxat sacramentis imprimitur, per quæ homo ad aliquid sacrum agendum vel suscipiendum deputatur. Character enim facit distinctionem statuum quantum ad ea quæ in Ecclesia fiunt. Hæc autem Extremæ Unctioni non competunt. Datur enim in remedium contra infirmitatem prædictam. Quemadmodum vero in aliis sacramentis C est aliquid quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res et sacramentum, et aliquid quod est res tantum : ita in hoc sacramento ipsa exterior unctio est sacramentum tantum ; res autem et sacramentum, est ipsa interior mentis devotio, quæ est spiritualis unctio ; gratia autem quæ confertur, est res tantum.

ARTICULUS CXLVIII.

1. *Quod oleum olivæ sit hujus sacramenti* D *materia.* 2. *An oporteat hoc oleum esse ab episcopo consecratum.*

1. SPIRITUALIS demum curatio quæ in fine adhibetur, esse debet perfecta, quum sit ultima; et lenis, non mordax, ut spes, quæ exeuntibus atque debilibus maxime est necessaria, non frangatur, sed foveatur. Quum ergo oleum sit lenitivum ac penetrativum et diffusivum, convenit ad prædictas proprietates. Idcirco est conveniens hujus sacramenti ma- Quæstio 29, art. 4.

teria. Oleum quoque principaliter dicitur liquor olivæ : nam alii liquores propter similitudinem ejus, olei nomen recipiunt. Ideo oleum olivæ est Extremæ Unctionis apta necessariaque materia.

2. Denique, sicut Baptismus consistit in ablutione, sic hoc sacramentum in unctione. Et materia ejus est oleum sanctificatum. Materiæ enim sacramentorum quibus Christus usus non est, sanctificatione egent ; sed illa quibus est usus, ex suo usu efficaciam habent, ut Baptismus. Hoc autem sacramento usus non est, nec aliqua corporali unctione : propter quod in omni unctione requiritur sanctificatio materiæ. Secunda causa sanctificationis olei Extremæ Unctionis est propter plenitudinem gratiæ quæ confertur in ea : quæ non solum tollit culpam, sed et reliquias ejus. Tertia causa : quia corporalem sanitatem naturaliter inducere nequit. Et ergo per sanctificationem hanc efficaciam recipit. — Præterea, efficacia sacramentorum derivatur a Christo, et per ministros ejus dispensatur et usui applicatur : sic tamen quod potestas inferioris ministri a superiori descendit. Unde in omnibus sacramentis quorum materia sanctificatione indiget, prima sanctificatio materiæ fit per episcopum, et usus interdum per sacerdotem, ad ostendendum quod sacerdotalis potestas ab episcopali dependet.

ARTICULUS CXLIX.

De forma hujus sacramenti.

OMNE igitur sacramentum, ut dictum est, significando operatur. Oportet ergo materiam sacramenti determinari ad significandum certum ac proprium effectum, ad quem producendum ordinatur. Sed talis significatio sine verbis fieri nequit. Et ergo in omni sacramento novæ legis est aliqua forma verborum. — Forma autem hujus sacramenti per modum deprecativum profertur, quum dicitur : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, etc. Et hæc forma ab omnibus observanda est ; alia vero sunt de bene esse, nec observantur ab omnibus. Quum namque hoc sacramentum suscipiens viribus destituatur, congruit ut pro eo deprecatio fiat : et sic sacramentum Extremæ Unctionis ei apponitur per modum deprecationis, quemadmodum Jacobus docet. Secundo, quoniam datur exeuntibus, qui desinunt esse de foro Ecclesiæ, et in manu Dei requiescunt : et ideo ei per modum orationis recommendantur. Item, quoniam hoc sacramentum non habet aliquem effectum qui semper operatione ministri producatur, omnibus quæ ad ejus essentiam pertinent rite peractis : et ergo non potest habere formam verborum indicativi modi. — Prædicta vero forma aptissima est : tangit enim sacramentum, dum dicit, Per istam unctionem ; et eum qui effectum sacramenti inducit, dicendo, Et suam piissimam misericordiam ; effectum quoque exprimit, adjungens, Indulgeat, etc.

ARTICULUS CL.

1. *De ministro hujus sacramenti.* 2. *De eo cui conferendum est.* 3. *Qua parte sit dandum.*

1. AGNOSCENDUM quoque, quod secundum Dionysium, diaconi non habent nisi vim purgativam, sacerdotes vero habent vim illuminativam, episcopi perfectivam. Quoniam igitur sacramenta novæ legis gratiam continent atque impendunt, non competit eorum administratio diacono ex proprio officio. Non ergo diaconus esse debet hujus sacramenti minister, sed sacerdos. Non autem oportet ut sit episcopus : nam illa sacramenta episcopis administranda reservantur, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt, ut Ordo et Confirmatio ; sed hoc Extremæ Unctioni non competit, quæ omnibus datur. QUÆSTIO 31.

2. Præterea hoc sacramentum est spiritualis curatio, quæ per modum curatio- QUÆSTIO 32.

nis corporalis infirmitatis repræsentatur : A et ergo hoc sacramentum non est sanis sed ægris donandum. Rursus, quum hoc sacramentum sit ultimum medicamen Ecclesiæ, velut immediate disponens ad introitum gloriæ per hoc quod reliquias peccatorum tollit ; idcirco dandum est in tali infirmitate quæ nata est mortem inferre, dumque de periculo formidatur. Adhuc autem, quoniam hoc sacramentum per modum orationis impenditur, ideo ad percipiendum ejus effectum plurimum valet devotio suscipientis, personale quoque B meritum dantis, atque commune meritum totius Ecclesiæ. Unde dandum non est eis qui recognoscere nequeunt et cum devotione recipere, et præsertim furiosis atque amentibus (possent enim sacramento irreverentiam exhibere), nisi haberent aliqua lucida intervalla. Item pueris dandum non est, sicut nec Eucharistia : nam ad utriusque receptionem requiritur actualis devotio ac motus liberi arbitrii in recipiente.

3. Denique, sicut corporalis medicina C non toti corpori applicatur, sed parti in qua vulnus dominatur ; sic Unctio Extrema, quæ est spiritualis medicina, non toti corpori apponitur, sed partibus illis in quibus est radix peccandi, scilicet : in sensibus, qui sunt principia nostræ cognitionis ; et in renibus, ad designandum vim appetitivam, quæ imperat actum ; atque in pedibus, per quos designatur vis exsequens motum. Mutilati autem ungendi sunt in partibus vicinioribus his locis prædictis. Quamvis enim organa vel par- D tes istas non habeant, habent tamen potentias animæ in radice, et interius peccare possunt.

ARTICULUS CLI.

1. *An Unctio Extrema possit iterari.* 2. *An in eadem infirmitate valeat iterari.*

Quæstio 33. 1. AMPLIUS considerandum, quod sacramenta perpetuum effectum habentia, iterari non debent. Ostenderetur enim quod non essent idonea ad producendum suum effectum si iterarentur. Unde sacramenta quæ characterem imprimunt, non iterantur, videlicet Baptismus, Confirmatio, Ordo. Sanitas vero mentis et etiam corporis in homine, ad quam Unctio Extrema ordinatur, amitti potest : et ergo hoc sacramentum iterari potest, quatenus ille effectus recuperetur : sicut Pœnitentia, et Eucharistiæ sumptio.

2. Porro morborum quidam non sunt diuturni : et dum in illis homo inungitur, non redit ad pristinum statum nisi omnino curetur ; et si recidivum incurrit, alia erit infirmitas. In talibus ergo morbis eisdem manentibus unctio non iteratur ; sed sunt rursus ungendi in recidivo. Aliæ vero sunt ægritudines diuturnæ, sicut hydroposis et hectica, etc. Et in talibus æger ungi non debet nisi periculum mortis imminere putetur ; et si illum articulum æger evadat, ac denuo similem infirmitatis statum in eadem infirmitate incurrat, iterum est ungendus. Unde in talibus infirmitatibus potest unctio iterari eodem morbo durante. Hoc namque sacramentum non tantum concernit infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum.

ARTICULUS CLII.

1. *An Ordo in Ecclesia esse debeat.* 2. *Quid sit Ordo.* 3. *An sit sacramentum.* 4. *De forma ejus.* 5. *An habeat materiam.*

1. DEUS autem benedictus et sapiens Quæstio 34. omnia ad suam similitudinem aliquo modo fecit, quatenus divina perfectio in eis reluceret, et ut ex rebus cognosci posset Creator. Unde ut Deus cognosceretur ex creaturis, non solum secundum quod in se ipso est, sed etiam secundum quod ipse aliis influit ; ideo posuit diversos ordines in rebus creatis, videlicet ut una regatur per aliam, et inferiora per superiora perficiantur, ut Dionysius docet. Propterea ergo voluit Deus in Ecclesia Ordinem esse, ut quidam quasi cooperato-

res Dei exsisterent, sicque divinam perfe- A ctionem eminentius participarent. Ordines autem Ecclesiæ non attenduntur secundum distinctionem gratiæ gratum facientis, sicut in angelis, qui sunt in statu gloriæ; sed secundum distinctionem potestatis : respiciunt enim participationem sacramentorum et communicationem, quæ sunt causa gratiæ, et quodammodo eam præcedunt. Unde de necessitate nostrorum ordinum non est gratia gratificans, sed potestas dispensandi sacramenta.

2. Insuper, Ordo sic definitur a Magi- B stro : Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato. Definit autem Ordinem prout est sacramentum, et sumit signaculum, non pro interiori charactere, sed pro eo quod exterius geritur, quod est interioris potestatis signum et causa : quamvis pro interiori charactere accipi potest. Nam divisio Ordinis in id quod est res tantum, quod est gratia in Ordine data, et in id quod est res et sacramentum, quod est character interior, atque in id quod C est sacramentum tantum, quod est exterius signaculum, non est divisio in partes integrales. Quod enim est res tantum, non est de essentia sacramenti ; ipsum quoque exterius signaculum seu sacramentum transit. Et ideo character interior est principaliter et essentialiter ipsum Ordinis sacramentum. Verumtamen nomen ordinis dupliciter sumitur. Uno modo, pro relatione : et sic est tam in superiori quam in inferiori. Secundo, accipitur pro gradu, qui ordinem prædictum causat : et ita D nunc sumitur.

3. Præterea, sacramentum est sanctificatio cum signo sensibili exhibita homini. Quum ergo in susceptione Ordinis consecratio homini adhibeatur per visibilia signa, sequitur quod Ordo sit sacramentum, et hoc sacramentum ad aliorum sacramentorum dispensationem ordinatur.

4. Sciendum quoque, quod hoc sacramentum consistit præcipue in potestate concessa. Potestas autem a potestate traducitur, sicut simile a simili. Potestas etiam per usum seu actum cognoscitur. Idcirco in forma hujus sacramenti exprimitur usus Ordinis per actum qui imperatur, et ita traductio potestatis per imperativum modum, dum dicitur : Accipe (vel, Age) hoc vel illud.

5. Denique, quoniam potestas imperfecta a potestate perfecta causatur, idcirco ordo sacerdotalis ab episcopali potestate quodammodo derivatur, et non tantum a Deo. In aliis vero sacramentis, id quod confertur, solum a Deo, non a ministro efficitur. Propter quod sacramentum Ordinis alio modo habet materiam quam alia sacramenta. Nam materia in hoc sacramento potius adhibetur ad demonstrandum potestatem quæ particulariter ordinato donatur ab illo qui eam plene sortitur, quam ad causandum potestatem quæ traditur, sicut porrectio calicis. Aliorum autem sacramentorum effectus causatur a materia, quæ virtutem divinam ex sanctificatione continet atque significat : sic quod virtus causativa effectus sacramentalis est potius in materia verbo vitæ sanctificata, quam in ministro. Sed in sacramento Ordinis hujusmodi virtus non residet in materia quæ adjungitur, sed apud ministrum qui spiritualem suam potestatem traducit et confert. In hoc namque sacramento est quasi quædam communicatio univoca, quoniam virtus collata ad eosdem actus ordinatur qui competunt potestati ordinantis. Et quoniam materia hujus sacramenti virtutem sanctificandi non continet, nec sanctificationem inducit, quemadmodum aliorum materia sacramentorum ; idcirco non sanctificatur, sicut aliorum materia. Non enim candelabrum seu claves sanctificantur, antequam porriguntur. Quidam etiam asserunt, quod tactus materiæ non sit de essentia hujus sacramenti, sed ipsa porrectio. Sed hujus oppositum videtur innuere forma sacramenti, qua dicitur : Accipe, etc.

ARTICULUS CLIII.

1. *An in sacramento Ordinis conferatur gratia gratum faciens.* 2. *An in sacramento Ordinis imprimatur character.* 3. *An character Ordinis præsupponat characterem baptismalem.* 4. *An character Ordinis præsupponat etiam characterem Confirmationis.* 5. *An character unius ordinis præsupponat characterem alterius.*

Quæstio 35. *Deut.* XXXII, 4.

1. OPERA denique Dei perfecta sunt. Cuicumque ergo divinitus datur potestas, ei quoque donantur ea per quæ executio potestatis fieri potest. Sicut autem gratia gratum faciens necessaria est recipienti sacramenta, quatenus ea digne recipiat; sic et dispensanti gratia talis necessaria exstat. Quum ergo in sacramento Ordinis detur potestas dispensandi sacramenta, palam est quod gratia gratum faciens conferatur in hoc sacramento. Ordinatur enim ad utilitatem, non unius, sed totius populi, et contra ignorantiam, non solum ordinati, sed omnium qui per ordinatos instrui habent. Unde in hoc sacramento confertur excellens gratiæ munus, nisi obex ponatur.

2. Porro, in omnibus ordinibus Ecclesiæ character imprimitur, quia per quemlibet ordinem constituitur quis in aliquo gradu potestatis supra plebem ad sacramentorum dispensationem ordinatæ. Quum ergo character sit signum distinctivum ab aliis et spiritualis potestas, sequitur quod in quolibet ordine imprimatur character. Aliqui vero dixerunt, quod solum in ordine sacerdotali character imprimitur; alii autem, quod solum in sacris ordinibus, et non in minoribus. Sed utraque positio stare non potest. Cujus signum est, quod omnes ordines perpetuo manent et nunquam reiterantur. Nam si ad laicatum quis redeat, characterem non amittit : quod patet ex hoc, quia si revertatur ad clericatum, non denuo ordinatur.

3. Denique nemo recipere potest id cujus capax non est. Quum ergo, secundum A præostensa, per receptionem baptismalis characteris fiat homo aliorum sacramentorum susceptivus, oportet quod character Ordinis characterem Baptismi supponat. Unde qui baptizatus non est, ordinari non potest, nec sacerdos fieri; et si ordinaretur, nihil conficeret. Imo, si episcopus fieret, alios ordinare non posset : quamvis pie credi possit quod summus Sacerdos, Dominus noster Jesus Christus, quantum ad ultimos sacramentorum effectus defectum suppleret, nec permitteret hoc B ita latere, quod Ecclesiæ periculum immineret.

4. Insuper, character Confirmationis non de necessitate exigitur ante characterem Ordinis; sed de congruitate : omnis enim perfectio videtur requisita ad idoneam executionem Ordinis sacramentalis. Et ideo gratia et potestas quæ in Confirmatione conferuntur, congruenter debent inesse ordinando.

5. Amplius, non est de necessitate ut inferiores ordines recipiantur ab homine, C antequam ad superiores ordines promoveatur. Ordines enim distincti sunt, nec unus de sui ratione præexigit alium in eodem subjecto. Unde in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur presbyteri, qui inferiores ordines necdum receperant : et nihilo minus poterant omnia quæ inferiores ordines possunt. Virtus namque inferior in superiori includitur, sicut ducatus in regno. Postmodum vero Ecclesia statuit ne quis ad majores se ordines ingerat, qui prius in inferioribus ordinibus non se D humiliavit. Unde secundum canones, non reordinantur qui per saltum ordinantur, sed quod omissum fuerat de præcedentibus ordinibus eis confertur.

ARTICULUS CLIV.

1. *Utrum ad receptionem ordinis exigatur bonitas vitæ.* 2. *An scientia totius Scripturæ.* 3. *An aliquis ex merito vitæ sit sacerdos.* 4. *An promovens indignos peccet.* 5. *An in peccato exsistens possit sine peccato uti ordine suo.*

Quæstio 36. 1. QUEMADMODUM tertio Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo Dionysius ait, non est audendum aut præsumendum alicui ut fiat vel sit dux aliorum, in spiritualibus maxime, nisi secundum omnem habitum perfectionis sit deiformissimus, id est Deo simillimus. Per ordinem vero fit homo dux aliorum in his quæ ordinem illum concernunt. Et ergo sanctitas vitæ requiritur ad ordinis susceptionem, non de necessitate sacramenti, quia mali vere ordinantur, sed de necessitate præcepti. Quum enim ordinati inter Deum et plebem medii collocentur, debent omnino bona conscientia nitere coram Deo, et bona fama coram populo.

2. Porro actio hominis per rationem dirigitur, ut sit ordinata et bona. Recipienti itaque ordinem tanta scientia necessaria est, quanta exigitur ad digne prosequendum actum ordinis talis. Non autem oportet quod totam Scripturam cognoscat, sed in quantum suo ordini congruit. Nam qui aliis præficiuntur et curam animarum habent, ea scire debent quæ ad doctrinam morum ac fidei pertinent. Sacerdotibus vero qui curam animarum non habent, sufficit scire ea quæ ad Sacramentum perficiendum respiciunt. Episcopi vero etiam difficiliores ac profundiores quæstiones legis seu fidei christianæ cognoscere debent : nam in talibus prælati inferiores ad eos recurrere habent ; et quanto est gradus sublimior, tanto amplior necessaria est scientia.

3. Sciendum vero, quod nullus merito suæ vitæ sacerdos efficitur, quasi potestatem consecrandi sortitus, sed solum secundum nominis interpretationem, ut dicatur homo sanctus sacerdos, id est sacra dans. Et sic intelligendum est verbum Chrysostomi : Non omnis (inquit) sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos.

Matth. XXIV, 45 ; *Luc.* XII, 42. 4. Præterea, Christo testante, fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam : idcirco præponitur aliis, ut det illis tritici mensuram. Unde dispensator sacramentorum, qui indignum ad ordinem promovet vel ordinat, mortaliter peccat, quasi res Domini sui indignis distribuens, ex quo infidelis Domino atque imprudens efficitur. Et talis promotio in detrimentum Ecclesiæ Deique nominis injuriam vergit. Melius namque esset habere paucos ministros bonos, quam multos malos, ut Clemens Papa testatur. Et si indigni repellerentur, tunc procul dubio ex divina ordinatione digni sufficienter invenirentur. Debet autem episcopus inquisitionem facere de qualitate ordinandorum, ut sciat dignitatem vel insufficientiam eorum.

5. Adhuc autem, ea quæ justa et bona sunt, juste et bene exsequenda sunt atque tractanda. Quicumque vero in mortali peccato exsistens aliquod sacrum officium aut sacramentum pertractat, injuste et male hoc agit, et contra legis præceptum facit, atque mortaliter peccat. Imo quotiescumque hoc facit aut res sacras contingit, quasi suo officio utens, mortaliter peccat. Nam secundum Dionysium primo Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo, Immundis nec symbola, id est sacramentalia signa, tangere fas est.

ARTICULUS CLV.

1. *De pluralitate ordinum.* 2. *De numero eorum.* 3. *De divisione ipsorum in sacros et non sacros.*

1. SUNT demum plures ordines in Ecclesia. Primo, ad commendandam ac repræsentandam sapientiam Dei, quæ in ordine rerum potissime lucet. Unde regina Saba videns ordinem ministrorum Salomonis, non habuit ultra spiritum, deficiens præ admiratione sapientiæ ejus. Secundo, ad subveniendum humanæ infirmitati. Omnia enim quæ ad sacramenta pertinent per unum administrari non possunt. Tertio, ut ex pluralitate ministrorum cultus divini detur populo majus ac plenius proficiendi exemplum. Divisio vero ordinis in sua particularia, non est to- Quæstio 37. III *Reg.* X, 4, 5.

tius integralis, vel generis, sed totius potestativi in suas partes potentiales. Natura enim totius potestativi est, ut totum secundum completam rationem sit in uno, et in aliis secundum aliquam participationem. Sic enim est hic, quoniam tota plenitudo sacramenti Ordinis est in uno, scilicet in sacerdotio, secundum perfectam rationem, in aliis vero, secundum aliqualem participationem.

2. Denique sacramentum Ordinis ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur : et ergo distinctio ordinum sumitur secundum relationem ad Eucharistiæ sacramentum. Vel enim potestas ordinis est consecrativa Eucharistiæ, vel est ad aliquod ministerium ordinatum ad consecrationem. Si primum, sic est ordo sacerdotum, qui in sua ordinatione calicem cum vino atque patenam cum pane recipiunt. — Si secundum, tunc cooperatio ministrorum est vel ad ipsum Sacramentum, vel ad ipsos recipientes. Si primum, hoc tripliciter accidit. Primum namque ministerium est, quod sacerdoti minister exhibet in Sacramento quoad dispensationem Sacramenti. Et hoc ad diaconum pertinet : ejus enim est ministrare sacerdoti in omnibus quæ in Christi sacramentis aguntur. Nam et diaconi sanguinem dispensant. Secundo, est ministerium quod ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis ordinatur : quod ad subdiaconum spectat, cujus est oblationem in altari ponere, et vasa corporis sanguinisque portare. Et ergo in sua ordinatione accipit calicem de manu episcopi, vacuum tamen. Tertio, est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam Sacramenti : quod acolytum respicit, cujus est urceolum cum vino et aqua parare. Propter quod urceolum vacuum recipit.

Ministerium vero ordinatum ad præparationem recipientium non est nisi super immundos, quoniam mundi jam parati sunt atque idonei ad sacramenta sumenda. Immundorum autem, secundum Dionysium, triplex est genus. Quidam enim

A sunt omnino infideles credere nolentes. Et hi a visione sacramentorum ac cœtu fidelium penitus sunt arcendi : et hoc ad ostiarios pertinet. Quidam autem sunt qui credere volunt, sed nondum in fide imbuti stabilitique sunt, ut catechumeni : et ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum. Unde prima fidei rudimenta, videlicet vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam demum sunt fideles atque instructi, sed impedimentum habent ex potestate diaboli, ut energumeni B : et super hos ministerium habet ordo exorcistarum. Septem ergo sunt ordines. In primitiva vero Ecclesia inferiorum omnium ordinum ministeria committebantur diaconis, propter paucitatem ministrorum Ecclesiæ.

3. Præterea Ordo dicitur sacer dupliciter. Primo, secundum se : et sic quilibet ordo dicitur sacer, quum sit sacramentum. Secundo, ratione materiæ circa quam operatur. Et sic sunt tres ordines sacri, videlicet : sacerdos atque diaconus, qui C actum habent circa corpus Christi vel sanguinem consecratum ; et subdiaconus, qui circa vasa consecrata actum habet : propter quod continentia ei indicitur, quatenus sacra mundus contingat et tractet.

ARTICULUS CLVI.

1. *De actibus ordinum.* 2. *Quando character sacerdotalis imprimatur.*

1. QUIA igitur consecratio quæ in sacramento D Ordinis fit, ad Eucharistiam ordinatur ; idcirco ille est cujuslibet ordinis dignior actus, per quem ad Eucharistiæ sacramentum magis propinquat. Potest tamen ordo habere alios plures actus secundarios ac minus principales. Et ita ad sacramenti Eucharistiæ perceptionem disponit sacerdos absolvendo, tanquam proximam præparationem inducens. Inferiores vero ministri præparant suscipientes, remotam dispositionem agendo. Acolytus quoque actum habet super urceolum, non

super contenta in eo : nam subdiaconi A est aquam et vinum in calice ponere. Ordo autem acolyti est subdiacono magis propinquus quam ceteri ordines inferiores.

2. Denique ejusdem est formam inducere, et materiam de proximo ad formam disponere. Ideo episcopus in collatione ordinum duo facit : nam præparat, et potestatem confert. Præparat autem, instruendo ordinandos de proprio officio. Quæ præparatio in tribus consistit, videlicet : in benedictione, qua divinis mancipan- B tur; in manus impositione, per quam plenitudo gratiæ datur, ut sint ad magna officia digni (et ideo non nisi sacerdotibus atque diaconis manus imponitur, quoniam officium habent in dispensatione sacramentorum, sacerdos ex proprio officio, diaconus tanquam minister); et tertio, in unctione, quæ solis sacerdotibus fit, qui propria manu corpus Domini tangunt : quemadmodum et calix inungitur, quoniam continet sanguinem, et patena, quæ continet corpus. Sed potestatis collatio fit C per hoc, quod datur eis aliquid ad proprium eorum pertinens actum. Quum itaque principalis actio sacerdotis sit consecrare corpus Christi et sanguinem ; idcirco in datione calicis sub forma verborum determinata sacerdotalis character imprimitur.

Potestas autem diaconi media est inter potestatem sacerdotis, et subdiaconi. Nam sacerdos potestatem sortitur directe super corpus Christi, subdiaconus vero, super vasa dumtaxat ; sed diaconus, su- D per corpus in vase contentum : ejus namque non est tangere corpus Christi, sed illud in patena portare, et sanguinem dispensare cum calice. Propter quod potestas ejus ad actum principalem exprimi nequit, nec per dationem vasis seu calicis, sicut fit in subdiacono, nec per dationem materiæ ; sed exprimitur potestas ejus quantum ad secundarium actum, per hoc quod datur ei liber evangeliorum : et in hac potestate intelligitur alia quæ est ad principalem actum, et ideo in ipsa libri datione imprimitur ejus character. Acolyto quoque imprimitur character in datione urceoli. Veruntamen nomen acolyti portationem cerei signat, et sic a ministerio quod habet circa candelabrum, nomen accepit : non quod ille actus sit principalior, sed notior.

ARTICULUS CLVII.

1. *De corona et rasura ordinatorum.* 2. *An corona sit sacramentum.* 3. *An per eam renuntietur temporalibus.*

1. BENE præterea competit his qui ad divinum cultum applicantur, rasura atque tonsura per modum coronæ. Est enim corona signum regni ac perfectionis, quum sit circularis figuræ. Qui autem ad Dei cultum applicantur, regiam dignitatem consequuntur, et virtutum perfectionem habere tenentur. Convenit quoque eis rasura in parte superiori, ne mens eorum a contemplatione divinorum retardetur ; et tonsura in parte inferiori, ne sensus eorum temporalibus involvantur. Unde in veteri Testamento Nazaræi comam radebant omnino, in signum contemptus temporalium rerum. Similiter modo conversi tonduntur, in signum quod temporalia spernunt; non autem raduntur, quoniam non occupantur divinis ministeriis, in quibus contemplando figantur. QUÆSTIO 40.

2. Corona autem clericorum sacramentum non est. Non enim per eam deputatur homo ad speciale officium, sicut per ordines ; sed ad quædam communia, quæ a toto ministrorum collegio fieri possunt, ut dicere laudes divinas. Et ergo corona est quoddam præambulum ad Ordinem.

3. Porro clerici recipiendo coronam, non renuntiant patrimonio ceterisque temporalibus rebus, sed immoderatæ earum sollicitudini, atque inordinato affectui. Non enim temporalis possessio, sed affectus in crimine est ; nec temporalia contrariantur cultui Dei, ad quem clerici deputantur,

sed nimia cura et amor. Episcopus vero A tenetur sustentare clericos ad sacros ordines promotos, si egeant : alias non tenetur.

ARTICULUS CLVIII.

1. *An super sacerdotalem ordinem debeat esse episcopalis potestas.* 2. *An episcopatus sit ordo.* 3. *An aliquis sit superior episcopo.*

1. HABET autem sacerdos duos actus : unum principalem, super corpus B Christi verum, qui est conficere ; alium secundarium, super corpus Christi mysticum, scilicet absolvendo atque ligando, et ad sacramenta populum præparando. Quantum autem ad primum actum, potestas sacerdotis non dependet nisi a potestate divina ; secus quantum ad actum secundum, qui exigit jurisdictionem sacerdotis super populum cui prædictos actus impendere debet. Et quoad hunc actum requirit sacerdotalis potestas episcopalem potestatem superiorem, per quam aliis præ- C ficiatur.

2. Denique episcopatus non est Ordo, prout Ordo dicitur sacramentum ad Eucharistiam ordinatum. Nam respectu sacramenti Eucharistiæ non habet episcopus majorem potestatem quam sacerdos. Alio modo ordo dicitur officium respectu aliquarum actionum sanctarum. Et sic episcopatus est ordo, quia episcopus actionem hierarchicam habet super corpus Christi mysticum, id est Ecclesiam, altiorem quam sacerdos. Et hoc modo Diony- D sius in libro de Ecclesiastica hierarchia ponit tres ordines, videlicet diaconatum, cujus est purgare ; sacerdotium, cujus est purgare et illuminare ; et episcopatum, cui competit purgare, illuminare, atque perficere. Sub diaconatu vero comprehenduntur ordines inferiores.

3. At vero in virtutibus et actibus est ordo secundum ordinem finium, ut dicitur primo Ethicorum. Quum ergo in Ecclesia Dei sint multa particularia regimina, oportet omnia hæc uni universali regimini subdi, quatenus diversa in uno communicent et concurrant, sicque omnia ad eumdem finem perveniant. Unde super omnes episcopos esse oportet unum summum pontificem. Et hic est Papa, cujus potestatem negantes merito dicuntur schismatici, id est unitatis divisores ac violatores. Tota enim Ecclesia unum corpus esse non posset, nisi unum caput haberet. Qui ergo hoc caput negat, vita caret, quemadmodum corpus truncatum.

ARTICULUS CLIX.

De vestibus sacris ministrorum Ecclesiæ.

ATTENDENDUM est quoque, quod vestes sacræ ministrorum Ecclesiæ designant idoneitates quæ in ministris esse debent ad tractandum divina. Et ideo quædam vestes communes sunt omnibus ; aliquæ vero solis superioribus congruunt. Omnibus itaque competit amictus humeros tegens, ad designandum fortitudinem quæ in ipsis esse debet ad exsequenda divina ; similiter alba, quæ vitæ puritatem significat ; cingulum quoque, quod carnis repressionem figurat.

Subdiaconus vero ultra hæc habet manipulum in sinistra, qui est velut quoddam sudarium, ad insinuandum detersionem minimarum culparum. Habet et tunicam strictam, quæ doctrinam Christi designat. Subdiaconi enim primo admittuntur ad doctrinam novæ legis annuntiandam. Sed diaconus habet stolam in humero sinistro, in signum quod applicatur ad ministerium in ipsis sacramentis. Habet quoque dalmaticam, quæ est vestis larga (et ita vocatur quoniam usus ejus in Dalmatia cœpit), ad ostendendum quod ipse primo sacramentorum ponitur dispensator : nam et sanguinem dispensat. Dispensatori vero largitas convenit.

Porro sacerdoti stola in utroque humero ponitur : ad demonstrandum quod ei plena insit potestas dispensandi sacra-

menta. Habet et casulam, quæ caritatem A significat : nam ipse caritatis conficit sacramentum.

Episcopis quoque adduntur novem ornamenta supra sacerdotes, videlicet caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica, mitra, chirothecæ, annulus, et baculus : quoniam novem possunt quæ sacerdotes non possunt, utpote clericos ordinare, virgines benedicere, pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, clericos deponere, synodos celebrare, chrisma conficere, vestes et vasa consecrare. Vel, B per caligas gressuum rectitudo exprimitur; per sandalia, quæ pedes tegunt, terrenorum contemptus; per succinctorium, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis ; per tunicam, perseverantia ; per dalmaticam, largitas in operibus misericordiæ; per chirothecas, cautela in opere; per mitram, quæ duo cornua habet, utriusque Testamenti cognitio; per baculum, cura pastoralis, qua debet colligere vagos (quod curvitas baculi repræsentat), sustentare infirmos (quod stipes baculi mons- C trat), et pungere lentos (quod stimulus in pede baculi innuit). Per annulum sacramenta fidei designantur, qua Christo desponsatur Ecclesia. Archiepiscopis vero superadditur pallium, in signum privilegiatæ potestatis. Pallium namque significat auream torquem quam solebant legitime certantes accipere. Utitur autem episcopus vestibus ministrorum potius quam sacerdos, quoniam actus vel potestas ministrorum in ipso est sicut in origine.

Erant quoque in veteri Testamento quæ- D dam ornamenta, quibus in nova lege quædam correspondent atque succedunt. Nam loco superhumeralis utitur sacerdos stola, quæ idem designat. Pallio quoque utitur loco rationalis. Item, pro lamina aurea portat noster pontifex crucem, ut Innocentius dicit. Pro feminalibus vero habet sandalia, pro linea albam, pro balteo cingulum, pro podere tunicam, pro ephod amictum, pro cidari mitram. — Advertendum autem, quod Pontifex Romanus non utitur baculo, quoniam Petrus misit illum ad suscitandum quemdam suum discipulum defunctum, qui postea factus est episcopus Treverensis. Propter quod in diœcesi Treverensi Papa baculum portat, non alibi.

ARTICULUS CLX.

1. *An ordines conferre sit episcoporum dumtaxat.* 2. *An hæretici et præcisi ordines conferant.* 3. *An mulier Ordinem suscipere valeat.* 4. *An pueri et usu rationis carentes Ordinem queant recipere.*

1. EPISCOPALIS demum potestas ad inferiores ordines se habet quemadmodum ars superior ad inferiorem. Unde sicut superior ars inferiori præfigit atque ostendit quid agere debeat et qualiter ; sic episcopi est ordines inferiores conferre, et in omnibus divinis ministeriis aliquos collocare. Ipse namque virgines benedicit, quæ typum gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cujus cura ei præsertim committitur. Unde et vasa atque altaria, vestes et templa consecrat, et ipse solus ordines confert. Archidiaconus vero est ministerii princeps. Verumtamen Papa, qui plenitudinem potestatis sortitur, ea quæ episcopalem sacerdotem concernunt, simplici sacerdoti committere potest : dummodo illa non habeant immediatam habitudinem ad verum Christi corpus. Idcirco ex commissione Papæ simplex sacerdos confirmare et minores ordines conferre potest; non autem ordines majores, quoniam immediatam relationem habent ad verum Christi corpus, super quod majorem potestatem non habet Papa quam simplex sacerdos. Quæstio 38.

2. Porro episcopi degradati, præcisi, excommunicati, sive hæretici, potestatem episcopalem non amittunt : non enim denuo consecrantur, dum reconciliantur; et iterum, quia omnis potestas quæ cum aliqua consecratione donatur, semper manet, re ipsa durante. Nam altare seu vestis

semel consecrata, non iterum consecratur, nisi prius destruatur. Idcirco tales episcopi vera sacramenta conferunt; non autem dant gratiam : non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium. Unde hæreticus absolvere vel ligare non potest, quoniam absolutio non fit nisi per gratiam; et etiam, quia jurisdictionem amisit. Ordinati quoque a prædictis, in ordinibus suis licite ministrare non possunt.

Quæstio 39. 3. Præterea, sacramentum quum sit signum, conferri non potest nisi habenti correspondentiam ad significationem sacramenti. Idcirco, sicut in Extrema Unctione requiritur ut sit infirmus, sic de necessitate sacramenti Ordinis est ut qui ordinatur sit vir. Ordo enim gradus eminentiam signat, et in statu super alios ponit. Mulier autem naturaliter subjecta est viro. Quamvis igitur omnia circa eam fiant quæ in sacramento Ordinis fiunt, Ordinem tamen non recipit. In Decretis tamen fit mentio de diaconissa atque presbytera. Sed diaconissa ibi vocatur, quæ actum diaconi participat, scilicet quæ homiliam legit. Presbytera vero vidua dicitur : nam presbyter est idem quod senior. De abbatissis vero fertur, quod habent potestatem non ordinariam sed ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum cum feminis.

4. Denique sacramenta quæ actum recipientis requirunt, quemadmodum Pœnitentia et Matrimonium, pueris conferri non possunt, nec eis qui usu rationis privantur. Non enim actum possunt habere, ratione ligata. Sed quoniam potestates infusæ actum præcedunt, ideo sacramenta illa in quibus potestas divinitus datur, nec actus suscipientis de necessitate exigitur, pueris et usu rationis carentibus possunt conferri. Verumtamen ordines minores ante tempus discretionis dari non debent, propter honestatem sacramenti, non propter necessitatem præcepti. Imo, pueri de quibus est spes profectus futuri, ante tempus discretionis licite ordinantur. Sed or-

A dines majores, propter votum castitatis annexum, ante tempus discretionis conferendi non sunt, de necessitate præcepti, et quoniam sacra committuntur eis tractanda. Aliqui tamen affirmant nullum ordinem posse ante tempus discretionis conferri. Sed dictum eorum nec ratione nec auctoritate fulcitur.

ARTICULUS CLXI.

1. *An servitus,* 2. *an homicidium,* 3. *an*
B *illegitima nativitas,* 4. *an defectus membrorum, impediant a susceptione Ordinis.*

1. NEMO denique dare potest alteri quod suum non est. Servus autem est non sui ipsius, sed domini. Per Ordinis vero susceptionem mancipatur homo divinis officiis. Servus ergo ordinari non potest. Si vero ordinatur, Ordinem recipit, quia libertas non est de necessitate sacramenti, sed præcepti : quæ impedit actum, non potestatem. Et similis ratio est de Quæstio 39
C omnibus qui aliis obligantur, ut ratiociniis detenti. Ordinatus autem servus domino suo sciente nec reclamante, ex hoc ipso ingenuus fit. Si vero dominus nesciat, tunc episcopus et illi qui servum præsentant, tenentur domino in duplo quam sit pretium servi, si scierant eum esse servum. Alias servus si habet peculium, tenetur se ipsum redimere : alioqui redigetur in servitutem domini sui, non obstante quod ordinem exsequi nequit.

2. Amplius, omnes ordines ad Euchari-
D stiam referuntur, quæ est sacramentum pacis per Christi sanguinis effusionem factæ. Huic autem paci homicidium maxime contrariatur. Unde ordinandum non esse homicidam, est de necessitate præcepti, non sacramenti : sicut de servo præhabitum est. Unde et judex et omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares. Irregularitas enim incurritur non solum propter culpam, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum. Sanguinis autem effusio non de-

cet tanti sacramenti ministros. Qui tamen per ignorantiam quæ omnino excusat, hominem occidit, non efficitur irregularis. Imo, nec homicida censendus est. Nullus enim facit nisi illud cujus causa est, quod est voluntarium in homine.

3. At vero ad ordinatos requiritur de necessitate præcepti claritas quædam morum ac famæ, eo quod in dignitate constituantur aliisque præficiantur. Quum ergo vitiosa origo claritatem hominis obscuret, non sunt illegitime nati sine dispensatione ordinandi. Et quanto fuerit origo vitiosior, tanto dispensatio debet esse difficilior.

4. Ob eamdem quoque causam notabilis defectus in membris, ut nasi abscissio, susceptionem Ordinis impedit de necessitate præcepti. Obscurat enim claritatem personæ.

ARTICULUS CLXII.

1. *Utrum matrimonium sit naturale.* 2. *An sit in præcepto.* 3. *An actus ejus sit semper peccatum.* 4. *An possit esse meritorius.*

Quæstio 41. In IV, d. 26, q. 1, a. 1-4.

1. DICITUR vero aliquid naturale dupliciter. Uno modo, sicut ex principiis naturæ de necessitate causatum : ut ferri deorsum, naturale est terræ. Et sic nec matrimonium, nec aliquid quod per liberum arbitrium completur, naturale consistit. Secundo, dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed per liberum completur arbitrium. Et sic virtutes naturales dicuntur, et etiam matrimonium : tam propter principalem suum finem, qui est perfectio prolis, in ejus informatione et educatione consistens (tria enim habet proles a parentibus, secundum Philosophum, scilicet esse, alimentum, et disciplinam : non autem posset sic educari ac instrui, nisi parentes ad mutuam conjunctionem obligarentur, quod fit per matrimonium); tam propter secundarium matrimonii finem, qui est mutuum obsequium in rebus domesticis, quod conjuges mutuo sibi impendunt. Tali enim mutuo adminiculo vita humana naturaliter eget, quoniam quædam opera congruunt viro, quædam feminæ. Unde secundum Philosophum, homo naturalius est animal conjugale, quam politicum seu civile. Idcirco associatio viri et feminæ per matrimonium dicitur naturalis.

2. Denique natura inclinat ad aliquid dupliciter. Primo, sicut ad id quod ad unius seu singulorum pertinet perfectionem, ut est proximo benefacere : et ad talia omnes tenentur. Secundo, sicut ad id quod ad multitudinem spectat : et ad talia non omnes tenentur ; alias omnes tenerentur ad agriculturam vel domificationem. Unde in talibus naturale est diversa fieri a diversis. Vita autem humana indiget quibusdam contemplativæ vitæ vacantibus, quæ per matrimonium maxime impeditur. Et ideo matrimonium non est de necessitate præcepti. Quod et philosophi testantur. Nam Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere.

3. Denique, quum matrimonium ordinetur ad conservationem humanæ naturæ, sitque naturaliter inditum, hæreticum est si quis asserat omnem ejus actum necessario esse culpabilem : præsertim quum dicat Apostolus, Virgo non peccat, si nubat ; et denuo, Volo, inquit, juvenculas nubere, filios procreare. Quamvis enim actus matrimonialis impediat unionem mentis cum Deo actualem, non tamen habitualem, quæ est per caritatem et gratiam. Nec oportet esse peccatum omne illud quod actualem unionem hanc impedit : quandoque enim occupatio licita circa res inferiores animum distrahit. Turpitudo quoque quæ actum matrimonialem comitatur, scilicet inobedientia inferiorum virium membrorumque corporis, non est turpitudo culpæ, sed pœnæ ex originali peccato secutæ.

I Cor. VII, 28, 36. I Tim. V, 14.

4. Insuper, nullus actus ex deliberata voluntate procedens est indifferens. Unde actus matrimonialis semper est culpabilis, vel meritorius in eo qui gratiam habet. Est

autem meritorius, dum ex justitia exhi- A betur, videlicet ut conjux conjugi debitum reddat, vel virtus religionis ad ipsum inducit, quatenus scilicet proles ad Dei cultum procreetur. Si vero movet libido intra bona matrimonii sistens, ut scilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale. Sed si efferatur libido extra bona matrimonii, ita quod etiam ad aliam accedere proponeret, est peccatum mortale. Quod autem Chrysostomus dicit super Matthæum, hunc actum non habere mercedem, potest intelligi de præmio ac- B cidentali, quo actus matrimonii caret, quia difficultatem non habet.

ARTICULUS CLXIII.

1. *An matrimonium sit sacramentum.* 2. *De institutione ejus.* 3. *An conferat gratiam.* 4. *An carnalis conjunctio sit de integritate ipsius.*

Quæstio 42. In IV, d. 26, q. 2, a. 1-4.

1. SACRAMENTUM insuper aliud non C est nisi quoddam sanctitatis remedium contra peccatum, homini datum sub sensibilibus signis. Hoc autem matrimonio competit. Verba vero quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. Et sicut Pœnitentia non habet aliam materiam nisi actus pœnitentis sensibiles, ita nec Matrimonium; sed perficitur utrumque sacramentum per actus ejus qui sacramento illo utitur. In sacramento quoque D matrimonii res illæ quæ foris apparent, sunt sacramentum tantum; interior vero obligatio inde nascens unius ad aliam, est res et sacramentum; sed res tantum, est effectus sacramenti.

2. Denique matrimonium prout ad procreationem prolis ordinatur, institutum fuit ante peccatum. Sed prout est remedium contra concupiscentiam, quæ est vulnus peccati, institutum est post peccatum, tempore legis naturæ. Quantum vero ad determinationem personarum, institutum est in lege Moysis. Secundum autem quod repræsentat conjunctionem Christi atque Ecclesiæ, institutionem habuit in nova lege : et sic est sacramentum novæ legis post Christi adventum institutum. Sed quoad alias utilitates ex ipso provenientes, ut sunt amicitia mutuumque obsequium conjugum, institutum est in lege civili. Primo modo, est officium naturæ. Ultimo autem modo, est civilitatis officium. Sed secundum medias acceptiones, est sacramentum : de ratione enim sacramenti est quod sit signum atque remedium.

3. At vero in matrimonio, quum sit sacramentum novæ legis, datur gratia ad exercenda opera illa quæ in matrimonio requiruntur. Quandocumque enim divinitus datur aliqua potestas ad agendum, datur etiam auxilium bene utendi illa potestate, sicut de sacramento Ordinis tactum est. Et hæc gratia est ultima res contenta in hoc sacramento, quæ datur in quantum matrimonium in fide Christi contrahitur. Unio vero Christi ad Ecclesiam non est res contenta in isto sacramento, sed significata dumtaxat. Quidam autem dixerunt, quod matrimonium non conferat gratiam, maxime ad bene agendum. Sed melius dicitur sicut prædictum est. Nam actus exteriores et verba consensum exprimentia directe faciunt nexum quemdam conjugum, qui est sacramentum matrimonii; et nexus iste ex virtute divinæ institutionis dispositive operatur ad gratiam.

4. Amplius, integritas duplex est. Una, quæ attenditur secundum primam rei perfectionem, id est secundum esse ipsius. Et sic carnalis commixtio non est de integritate matrimonii : nam et in paradiso matrimonium fuit, non tamen carnalis commixtio. Alia vero integritas rei attenditur secundum perfectionem ejus secundam, id est secundum operationem. Et sic quum copula carnalis sit usus matrimonii, pertinet ad ejus integritatem.

ARTICULUS CLXIV.

1. Quid sit matrimonium. 2. An consensus sit causa ejus efficiens. 3. An oporteat consensum exprimi verbis. 4. An consensus expressus per verba de futuro matrimonium faciat. 5. An consensus per verba faciat matrimonium, dum deest intentio.

Quæstio 44. In IV, d. 27, q. 1, a. 1. 1. MATRIMONIUM denique est quædam conjunctio atque relatio, qua maritus et conjux ita vocantur : nam per matrimonium ordinantur ad unam curam rei domesticæ, et generationem educationemque prolis. Tria autem in matrimonio considerantur, videlicet : ipsa essentia matrimonii, quæ est conjunctio : et sic matrimonium vocatur conjugium. Secundo, causa ejus, quæ est desponsatio : et sic dicitur nuptiæ. Tertio, effectus ejus, qui est proles : et ita matrimonium dicitur a matre potius quam a patre, nam matri potissime convenit officium educandæ prolis. Itaque matrimonium est conjunctio inter legitimas personas maritalis ac indissolubilis.

Quæstio 45. In IV, d. 27, q. 1, a. 2. 2. Præterea in omni sacramento est quædam spiritualis operatio per operationem sensibilem significata. Unde in sacramento matrimonii est quædam spiritualis conjunctio, in quantum est sacramentum ; et aliqua materialis, in quantum est naturæ officium ac vitæ civilis. Hæc autem spiritualis conjunctio fit mediante conjunctione materiali, virtute divina. Itaque sicut conjunctiones materialium contractuum fiunt per mutuum consensum, sic et matrimonialis conjunctio. Et ideo causa efficiens matrimonii est consensus ; et hic consensus est signum voluntatis Christi qua ipse consensit uniri Ecclesiæ.

3. Porro, sicut contractuum exteriorum conjunctio exigit ut per verba exprimatur ; sic consensus prædictus non efficit matrimonium, nisi verbis explicetur, vel aliquo correspondente, scilicet nutu, si muti sunt aut diversarum linguarum. Imo, si puella non contradicit, tunc verba parentis reputantur quasi verba ipsius.

A 4. Adhuc autem, sacramentum efficit quod significat. Qui autem se dicit aliquid esse facturum, non facit jam illud, sed facturus est. Et ergo quum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit, non significat se matrimonium facere, sed promittit se illud facturum. Consensus igitur per verba de futuro non facit matrimonium, sed sponsionem ejus, quæ sponsalia appellantur. Unde secundum jura, qui promittit vel dicit se aliquam recepturum, et postea consentit in aliam per verba de
B præsenti, tenetur habere secundam.

5. Præterea, sicut exterior ablutio non sufficit, ut dicatur quis baptizatus, nisi sacramentum intendat recipere ; sic exterior verborum expressio sine interiori consensu non facit matrimonium, ut Innocentius dicit. Et hic defectus consensus suffragatur conscientiæ hominis, quod non alteri adstringitur vinculo matrimoniali ; non tamen in foro Ecclesiæ, quæ judicat secundum allegata atque probata. Imo, si in uno desit consensus interior, ex parte
C nullius est matrimonium, quoniam matrimonium in mutua conjunctione consistit. Si vero quis ducat aliam uxorem, prima relicta quam sine interiori consensu accepit, compellitur per Ecclesiam stare cum prima uxore, quia Ecclesia judicat secundum ea quæ foris apparent. Nec decipitur in justitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quam ad primam accedere ; vel debet ad terras remotas aufugere.

D

ARTICULUS CLXV.

1. An alter conjugum religionem ingredi possit altero invito. 2. An mulier possit nubere alteri viro, priore ante carnalem copulam religionem ingresso.

1. PER copulam autem carnalem matrimonium consummatur, et caro viri efficitur mulieris, atque econtra. Nemo vero potest oblationem facere de alieno. Idcirco post carnalem commixtionem non Quæstio 61. In IV, d. 27, q. 1, a. 3.

potest alter conjugum sine consensu alterius religionem intrare. Verumtamen ante carnalem copulam hoc fieri licet. Tunc enim non est inter conjuges nisi spirituale vinculum : quod per spiritualem mortem, id est religionis ingressum, quo sæculo aliquis moritur, solvi potest, sicut et vinculum carnale per mortem corporalem. Nam ante carnalem copulam non transfertur corpus unius in potestatem alterius simpliciter, propter consensum per verba de præsenti expressum, sed sub conditione, videlicet si ad melioris vitæ B frugem non evolet. Unde nec statim tenetur reddere debitum ; sed datur ei tempus duorum mensium, propter tria : primo, ut interim de religionis ingressu deliberet; secundo, ut præparet ea quæ ad nuptiarum solennitatem exiguntur; tertio, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit dilatam.

2. Præterea, sicut per mortem corporalem solvitur matrimonium, ita ut mulier cui voluerit nubat, secundum Apostolum ; (I *Cor.* VII, 39.) ita et per mortem spiritualem, id est re- C ligionis introitum. Unde viro religionem ingresso ante copulam carnalem, potest mulier alteri nubere : non tamen ante professionem viri. — Dicit autem Decretalis nova, quod professio ante annum emissa pro nulla reputatur. De tali enim professione sic facta ante tempus a jure determinatum est idem judicium sicut de voto simplici. Unde sicut post votum simplex non tenetur mulier reddere debitum viro; ita non tenetur, si ille ante annum profiteatur : nec tamen alteri nubere posset. D

ARTICULUS CLXVI.

1. *Quid sint sponsalia.* 2. *Quis possit ea contrahere.* 3. *Utrum sponsalia dirimi possint.*

(QUÆSTIO 43. In IV, d. 27, q. 2, a. 1-3.) 1. DICUNTUR vero sponsalia, promissio matrimonii contrahendi per verba de futuro. Hæc autem promissio dupliciter fit, scilicet absolute, et sub conditione. Primum fit quatuor modis, videlicet nuda

A promissione, datione arrhæ sponsaliciæ, ut pecunia, annuli subarrhatione, et juramento. Conditio quoque quandoque honesta est : et tunc stante conditione stat promissio, ut si dicatur : Accipiam te, si placet parentibus. Interdum est inhonesta : et hoc, dupliciter. Aut enim est contraria bonis matrimonii, ut si dicatur : Accipiam te, si venena sterilitatis procures. Et tunc non contrahuntur sponsalia. Aut non est matrimonii bonis contraria, ut si quis dicat : Accipiam te, si furtis B meis consentias. Et tunc stat promissio ; sed est tollenda conditio. Quum autem promissio stat, non potest sine mortali peccato negari impletio. Ecclesia quoque cogit ad hoc in foro pœnitentiali ; non autem in foro contentioso, quoniam matrimonia coacta malos exitus solent habere : nisi fortassis juramentum intervenerit. Tunc enim cogendus est qui promisit, ut quidam affirmant : quamvis aliis videatur oppositum propter causam prædictam, præsertim si de uxoricidio ti- C meatur. Si vero conditio de datione pecuniæ per modum pœnæ additur, non contrahuntur sponsalia, quoniam matrimonia non debent esse coacta.

2. Præterea, secundum jura, septennium determinatum est tempus ad sponsalia contrahenda. Quum enim in sponsalibus fiat quædam promissio, requiritur aliquis usus rationis, qui ante primum septennium nullus pene est, sed circa ipsum incipit esse : nam tunc pueri ad scholas ponuntur. Est quoque, secundum Philosophum D primo Ethicorum, triplex status hominis. Primus, quum nec per se, neque per alium veritatem cognoscere potest : quod est ante primum septennium. Secundus, quum non potest intelligere per se, sed informari ab alio : et hoc incipit circa finem primi septennii. Tertius, quum per se ipsum cognoscere potest : et hoc incipit in fine secundi septennii, in his quæ pertinent ad se ; sed in fine tertii septennii, quantum ad ea quæ alios concernunt. Ratio quippe hominis proficit paula-

tim, secundum quod motus fluxibilitasque humorum quietantur in homine. Ad matrimonium vero puella fit apta in duodecimo anno; puer autem in fine secundi septennii. Talibus namque temporibus utriusque corpus generationi est aptum, secundum Philosophum in libro de Animalibus.

3. Porro sponsalia dirimi possunt. Nam ipso jure dirimuntur, quum aliquis religionem ingreditur, vel cum alia contrahit per verba de præsenti. In aliis quoque casibus dirimuntur secundum judicium Ecclesiæ : ut si alter ad terras longinquas se transferat, nec ad tempus pro matrimonio contrahendo statutum redeat; vel si alter eorum gravem infirmitatem incurrat, quæ sit vel deformans, ut nasi abscissio, vel debilitans, sicut hydropisis, vel contra bonum prolis, ut lepra, quæ fetum inficere solet : et hoc ideo, ne conjuges sibi mutuo displiceant, ipsumque matrimonium exitum malum acquirat. Item, si sponsus consanguineam sponsæ cognoverit, dirimuntur sponsalia. Ad quod probandum sufficit sola fama, propter scandalum vitandum. Probabile quoque est (et Decretalis hoc dicit), quod sponsalia dirimi possunt, si se mutuo absolvunt. Item, si alter fornicetur. Per hoc enim suspectus efficitur quod postea fidem non conservaret.

ARTICULUS CLXVII.

Quomodo bigamia contrahatur, et quod irregularitas sit ei annexa.

Quæstio 66. In IV, d. 27, q. 3, a. 1-3.

EST autem defectus quidam in sacramento, dum significatio ejus integra non est. Sacramentum vero matrimonii unionem designat Christi atque Ecclesiæ, quæ est unius ad unam. Et ergo ad perfectam sacramenti significationem exigitur, ut vir non sit nisi unius feminæ vir, et uxor tantum unius uxor. Unde bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. Suntque quatuor modi bigamiæ : primus,

A dum vir plures uxores habet de jure successive; secundus, quum simul habet plures, unam de jure, et aliam de facto; tertius, quando successive habet plures, unam de jure, et alteram de facto; quartus, dum viduam ducit uxorem. Quamvis enim in secundo et tertio modo non sit sacramentum, in altero est tamen quædam sacramenti similitudo. Primus vero modus est principalis in causando bigamiam.

Denique in conjunctione Christi et Ec-
B clesiæ, ex utraque parte unitas invenitur. Et ideo sive ex parte viri, sive ex parte feminæ divisio carnis sit facta, est defectus sacramenti : tamen diversimode. In viro enim non oportet quod sit virgo, sed quod aliam non duxerit in uxorem; sed ex parte uxoris requiritur quod sit virgo. Cujus rationem assignant decretistæ, dicentes quod sponsus Ecclesiam militantem significat, cujus curam gerit episcopus, in qua multæ corruptiones sunt; sponsa vero significat Christum, qui virgo fuit. Sed istud non
C consonat verbo Apostoli ad Ephesios quinto, dicentis : Viri, diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam. Ubi apparet quod uxor signat Ecclesiam, et sponsus Christum. Respondendum ergo, quod corruptio extra et ante matrimonium facta, defectum non facit in sacramento ex parte ejus in quo est corruptio, sed alterius, quoniam actus contrahentis cadit super alium : et ergo ex termino specificatur, qui est quasi materia sacramenti respectu actus illius. Unde si mulier esset Ordinis capax, ipsa
D irregularis fieret, contrahendo cum viro corrupto. Si vero quis virginem defloret, et postea eam ducat uxorem, probabilius est quod non efficitur irregularis, quia carnem suam non dividit in plures.

Ephes. v, 25.

Præterea, secundum Augustinum, per Baptismum non tollitur bigamia vel irregularitas. Baptismus enim aufert culpam, non autem conjugia ad quæ irregularitas sequitur. Hieronymus tamen oppositum tenet; sed non tenetur in hoc. — Insuper, quum irregularitas non sit adjuncta bi-

gamiæ de jure naturali, sed positivo; nec sit de essentia Ordinis, quod aliquis non sit bigamus; imo si bigamus ad Ordinem accedit, characterem recipit : ideo in tali irregularitate Papa dispensare potest totaliter; episcopus vero, quantum ad ordines minores. Quidam quoque affirmant, quod episcopus dispensare potest in hac irregularitate quoad ordines majores, cum eis qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum religiosorum discursum.

ARTICULUS CLXVIII.

1. *An juramentum additum consensui per verba de futuro faciat matrimonium.* 2. *An copula carnalis addita talibus verbis matrimonium faciat.* 3. *An consensus in occulto per verba de præsenti expressus faciat matrimonium.* 4. *An consensus in matrimonium sit consensus in copulam carnalem.*

Quæstio 46. In IV, d. 28, q. 1, a. 1, 2. 1. JURAMENTUM denique significationem non mutat, sed dictum confirmat. Et ergo juramentum verbis de futuro adjunctum non facit matrimonium, sicut nec consensus per verba de futuro expressus sine juramento, propter rationem præhabitam. Unde si post juramentum cum alia contrahat per verba de præsenti, tenetur eam habere uxorem : quamvis graviter peccet, priorem promissionem juramento firmatam infringens. Quod enim ante contractum cum alia per verba de præsenti licitum fuit, videlicet promissionem implere cum juramento factam, hoc postea illicitum redditur propter contractum prædictum cum alia, per quem potestatem sui corporis transfert in posteriorem.

2. Porro, quoniam nulla verba expressius significare possunt consensum, quam copula ipsa carnalis; idcirco, secundum judicium Ecclesiæ, quæ judicat secundum ea quæ foris apparent, copula carnalis addita consensui per verba de futuro facit matrimonium, nisi appareant evidentia signa doli vel fraudis : non tamen secundum rei veritatem atque divinum judi-
A cium, si desit consensus interior. Unde si sponsa sponsum ad copulam carnalem admittit, credens eum velle esse et consummare matrimonium, excusatur a peccato, nisi appareant aperta signa fraudis : ut si sint multum distantis conditionis, vel in nobilitate, aut in bonis fortunæ. Si etiam quis virginem defloravit, tenetur eam recipere conjugem, si sint æqualis conditionis, vel ipsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, factus est impotens ad solvendum id ad quod tene-
B batur : et ideo sufficit ut ei de nuptiis provideat. Ad quod etiam, secundum alios, non tenetur, si sit multo melioris conditionis, aut manifesta signa fraudis appareant : tunc enim probabiliter æstimari potest, quod sponsa decepta non fuit, sed decipi finxit.

3. Præterea consensus per verba de præsenti, quamvis in occulto expressus, verum matrimonium facit : quamvis peccent sic contrahentes, nisi per legitimam causam excusentur. Sicut enim in aliis Quæstio 45, art. 5. In IV, d. 28, q. 1, a. 3.
C sacramentis quædam ad solennitatem pertinent, nec sine culpa omitti possunt, non tamen ad sacramenti essentiam spectant; ita est et in matrimonio. Prohibentur namque clandestina matrimonia propter pericula quæ inde eveniunt. Sæpe enim ex altera parte miscetur fraus, et speciem turpitudinis habent.

4. At vero, quum matrimonium non sit carnalis commixtio, sed associatio viri ac feminæ in ordine ad ea ad quæ matrimonium ordinatur; idcirco consentire in Quæstio 48. In IV, d. 28, q. 1, a. 5.
D matrimonium, non est consentire in carnalem copulam explicite, sed implicite.

ARTICULUS CLXIX.

1. *An consensus coactus tollat matrimonium.* 2. *An consensus conditionatus faciat matrimonium.* 3. *An per præceptum parentum cogi quis valeat ad matrimonium.*

1. VINCULUM porro matrimonii perpetuum est. Quoniam igitur metus qui cadit in virum constantem, perpetuitatem Quæstio 47, art. 3 et s. In IV, d. 29, q. 1, a. 2-4.

contractus aufert : nam restitutio in integrum repeti potest; idcirco coactio talis metus tollit matrimonium, et non alia. Constans autem cogitur ad minus malum propter vitandum majus malum; inconstans econtra. Pertinax vero, nec propter majus malum vitandum cogi potest ut minus malum incurrat.

2. Amplius, conditio addita, vel est de præsenti : et tunc stante ea stat matrimonium, et non stante non stat matrimonium, sive sit honesta, sive non : nisi fuerit matrimonii bonis contraria. Si autem conditio sit de futuro : tunc vel est de necessario, ut solem cras oriri, et tunc stat matrimonium, nam talia in suis causis jam sunt præsentia; vel est de contingenti, ut est datio pecuniæ, et tunc non facit matrimonium.

3. At vero proles non est in potestate parentum, ut servus; sed libera est, et potestatem sui corporis habet, quamvis a parentibus educationem ac disciplinam in moribus sumere debet. Unde filius aut filia cogi non potest præcepto parentum ad matrimonium, quum in matrimonio sit perpetua servitus. Papa tamen potest cogere clericum ad suscipiendum episcopatum, quoniam in spirituali matrimonio non est servitus corporalis. Spirituale namque matrimonium est sicut quoddam officium dispensandæ rei publicæ.

ARTICULUS CLXX.

1. *An error impediat matrimonium.* 2. *An omnis error hoc faciat.*

Quæstio 51. In IV, d. 30, q. I, a. 1, 2.

1. CONSENSUS denique, sine quo matrimonium esse vel perfici nequit, actus est voluntatis. Actus autem voluntatis ex actu intellectus procedit atque dependet. Deficiente vero priori, deficere oportet posterius. Et ergo dum error cognitionem impedit, sequitur defectus in consensu, nec fit matrimonium. Unde de jure naturali sortitur error quod matrimonium tollit.

2. Porro error ex hoc matrimonium aufert, ex quo involuntarium causat : et ergo errorem quo matrimonium tollitur, necesse est esse alicujus eorum quæ sunt de essentia matrimonii. Sed matrimonium duo includit, videlicet personas quæ conjunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Quorum primum aufertur per errorem personæ; secundum, per errorem conditionis : nam servus dare non potest alteri potestatem sui corporis sine consensu domini sui. Propterea hi duo errores, et non alii, matrimonium tollunt. Verumtamen error aliorum impedimentorum matrimonii, quantum ad ea quæ reddunt personas illegitimas, impedit matrimonium : ut error impotentiæ coeundi. Sed de illorum errore non fit mentio, quoniam illa impediunt matrimonium, sive sciantur, sive ignorentur : ut si aliqua cum diacono contrahat. Conditio autem servitutis non impedit, si servitus cognoscatur.

ARTICULUS CLXXI.

1. *De bonis matrimonii.* 2. *Et de numero bonorum matrimonii.* 3. *De ordine eorumdem.*

Quæstio 49. In IV, d. 31, q. 1, a. 1-3.

1. SAPIENS insuper jacturam boni incurrere non vult, nisi propter recompensationem boni æqualis vel amplioris. Actus autem matrimonialis actum rationis impedit. Indiget ergo aliquo bono annexo quo honestetur, talisque jactura recompensetur. Hoc autem est bonum matrimonii, ipsum honestans atque excusans.

2. Tria vero sunt matrimonii hujuscemodi bona. Matrimonium namque est et officium naturæ, et est sacramentum Ecclesiæ. In quantum igitur est officium naturæ, duobus ordinatur : quorum unum est finis agentis, scilicet proles; aliud vero perficit ipsum actum, videlicet fides. Et sumitur hic fides, non prout est virtus theologica, sed prout est pars justitiæ, per quam servantur promissa. Matrimonium

vero in quantum est sacramentum Ecclesiæ, aliam bonitatem sortitur : et hæc explicatur nomine sacramenti. Unde proles, fides, et sacramentum, sunt tria bona matrimonii.

3. Denique horum trium bonorum matrimonii sacramentum est dignius : quia concernit matrimonium prout est sacramentum gratiæ; alia duo, prout est officium naturæ. Fides vero et proles considerantur dupliciter. Primo, secundum quod in se ipsis sunt : et sic pertinent ad actum matrimonii. Sacramentum vero, quo indivisibilitas designatur, respicit matrimonium secundum se ipsum : et sic sacramentum est essentialius matrimonio, quam duo prædicta. Nunquam enim invenitur matrimonium sine inseparabilitate; reperitur tamen sine prole et fide : quoniam esse rei non dependet ex actu ipsius, sed econtra. Secundo, accipitur proles pro intentione prolis, et fides pro debito servandi fidem, sine quibus matrimonium esse non valet : hæc enim in matrimonio ex pactione conjugali qua sibi invicem proprii corporis potestatem donant, causantur. Unde si aliquid his contrarium exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, impediretur matrimonium. Et hoc modo proles est essentialissimum matrimonio; secundo, fides; tertio, sacramentum : quemadmodum homini essentialius est esse naturæ quam gratiæ, quamvis esse gratiæ dignius sit quam esse naturæ. Matrimonium quoque non imprimit characterem, quoniam ad actus corporales refertur. Sacramenta autem quæ characterem imprimunt, ad spirituales actus ordinantur.

ARTICULUS CLXXII.

1. *An habere plures uxores sit contra legem naturæ.* 2. *An aliquando licuerit.*

Quæstio 65. In IV, d. 33, q. 1, a. 1, 2.

1. NATURALIS porro conceptio homini indita, qua ad operandum convenienter dirigitur, lex naturalis seu jus naturale vocatur. Idcirco quod actionem hominis inconvenientem reddit suo fini, contra legem naturæ esse censetur. Potest autem actio esse inconveniens, tam fini principali, quam secundario : vel finem omnino impediendo, sicut comestio nimia corporis sanitatem corrumpit; vel indecentiam seu difficultatem circa finem acquirendum causando, ut inordinata comestio quantum ad tempus. Quum igitur actio finem principalem directe impedit, tunc per legem naturæ prohibetur primis ejus præceptis. Si vero actio incompetens sit fini principali vel secundario, indecentiam vel difficultatem inducendo; tunc prohibetur secundis præceptis legis naturalis, quæ derivantur ex primis quemadmodum conclusio ex præmissis.

Principalis demum finis matrimonii est procreatio ac educatio prolis : et hæc actio convenit homini ex natura sui generis : nam et aliis animalibus est communis. Secundarius vero finis matrimonii est communicatio conjugum in operibus ad domesticam vitam spectantibus : et hæc convenit homini ratione suæ speciei. Tertius autem finis matrimonii est, significare unionem Christi atque Ecclesiæ : prout ponitur novæ legis ac gratiæ sacramentum, et competit homini prout est christianus. Pluralitas ergo uxorum primum matrimonii finem non tollit nec impedit. Unus enim vir plures uxores impraegnare earumque proles potest nutrire. Sed secundum finem multum impedit, quamvis non penitus tollat. Nam unus vir pluribus uxoribus satisfacere nequit, et communicatio plurium in uno officio litem producit. Unde sicut figuli, ita et uxores unius contendunt. Tertium autem finem, qui est significare unitatem Christi et Ecclesiæ, pluralitas uxorum penitus aufert. Ex quibus elucescit, quod uxorum pluralitas sit quodammodo contra legem naturæ, et quodammodo non. — Sed unam mulierem habere plures maritos, est contra prima præcepta legis naturæ. Ex hoc enim sequeretur incertitudo prolis quantum ad

patrem. Unde hoc nulla lege aut consuetudine est permissum.

2. Denique, quoniam pluralitas uxorum non est contra prima præcepta legis naturæ, idcirco per dispensationem atque licentiam auctoris omnis naturæ ac legis aliquando licita fuit, videlicet dum multiplicatio hominum necessaria fuit ad cultum divinum. Necesse est enim secundaria naturalis legis præcepta variari interdum secundum quod actus hominum exigunt, propter diversitatem conditionum in personis et temporibus, ac circumstantiis aliis. Verum, quia lex de unitate uxoris non humanitus est instituta, sed a Deo, nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa; idcirco in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit, per inspirationem internam in patribus sanctis, quæ eorum exemplo ad posteros derivata consistit.

ARTICULUS CLXXIII.

1. *Utrum concubinam habere sit contra legem naturæ.* 2. *An sit peccatum mortale.* 3. *An aliquando licuerit.*

In IV, d. 33, q. 1, a. 3.

1. ACTIO itaque contra legem naturæ vocatur, quæ est debito fini naturæ incompetens. Finis autem concubitus est proles procreanda ac instruenda : et propter hunc finem natura delectationem commixtioni adjunxit. Qui ergo concubitum propter solam delectationem requirit, contra naturalem legem facit : similiter, qui cum ea concumbit cum qua non ordinatur ita quod simul prolem educare atque instruere possint. Res autem a fine nomen sortitur. Unde quemadmodum conjunctio matrimonii a bono prolis nomen accepit, sic nomen concubinæ a concubitu propter se intento impositum est. Et si quis ex tali concubitu sæpe fetum desiderat, non tamen est conveniens ad bonum prolis. Idcirco concubinam habere est contra legem naturæ.

2. Denique talis concubitus est mortale peccatum : aufert namque debitam ordi- A nationem parentis ad prolem. Illa vero peccata ex suo genere sunt mortalia, per quæ fœdus amicitiæ inter Deum et hominem, vel inter homines ad invicem, violatur. Contingit autem frequenter, quod homo qui non vitat peccatum mortale, vitat aliquod peccatum veniale ad quod tantum incitamentum non habet.

3. Porro actus peccati mortalis nunquam licet per quamcumque dispensationem. Quum ergo iste concubitus, seu fornicatio simplex, sit peccatum mortale, nun- B quam licitus fuit. Itaque ubicumque in veteri Testamento leguntur habuisse concubinas aliqui, quos a peccato mortali excusare oportet, intelligendum est eas matrimonio fuisse junctas, et nihilo minus concubinas nominari, quoniam perfectam rationem uxoris non attingebant. Erant quippe uxores, quantum ad principalem matrimonii finem, qui est procreatio prolis; non autem quoad secundarium ejus finem, qui est dispensatio familiæ et communicatio operum vitæ domesticæ. Ex quo C patet, quod Agar fuit uxor Abrahæ quoad finem matrimonii principalem : et ideo, quod ejecta erat cum filio, non licuit nisi propter commissionem dispensationis divinæ, propter mysterium, quod Apostolus ad Galatas quarto edisserit de duobus Testamentis. *Galat.* IV, 22-31.

ARTICULUS CLXXIV.

1. *An inseparabilitas uxoris sit de lege naturæ.* 2. *An uxorem dimittere licuerit per* D *dispensationem.* 3. *An in lege Moysis licuerit uxorem dimittere.* 4. *An licuerit repudiatæ alium virum habere.* 5. *An repudianti licuerit repudiatam recipere.* 6. *De causis repudii.*

1. MATRIMONIUM ergo ad educationem prolis ordinatur, non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam : et ideo de lege naturæ est, ut parentes filiis thesaurizent, filiique parentum heredes sint. Societatem igitur viri et conjugis indivisibilem esse oportet. Et sic insepara- Quæstio 67. In IV, d. 33, q. 2, a. 1-3.

bilitas ad matrimonium pertinet de lege naturæ seu naturalis rationis dictamine. Tamen separatio matrimonii non prohibetur nisi lege Christi. Nam ipsa dumtaxat inter omnes leges ad perfectionem adducit, atque ad naturæ integræ statum.

2. At vero dispensatio in præceptis legis naturæ se habet quemadmodum immutatio cursus rei naturalis, quæ dupliciter fieri potest, videlicet : per causam aliam naturalem contrariam, et impedientem actum alterius : et hoc non fit nisi in his quæ non semper eodem modo fiunt vel agunt. Secundo, hoc fit per causam supernaturalem, ut in miraculis : quod etiam potest accidere his quæ semper eodem modo contingunt, ut statio solis tempore Josue. Pariformiter, dispensatio præceptorum primorum legis naturæ non pertinet nisi ad Deum ; sed dispensatio secundorum præceptorum legis naturæ ad inferiores causas spectare potest. Si ergo inseparabilitas matrimonii ad prima præcepta legis naturæ pertinet, dispensationem non recipit nisi a Deo ; si vero ad secundaria præcepta legis naturalis attinet, tunc per causas inferiores dispensationem admittit. Videtur quoque potius pertinere ad secunda legis naturalis præcepta.

3. Præterea aliqui asserunt, quod qui in lege Moysis libellum repudii dabant, excusabantur a pœna secundum legem infligenda, non autem a culpa. Unde Moyses libellum repudii permisit, sicut et aliis gentibus fœnerari : præsertim ad vitandum uxoricidium, ad quod Judæi proni erant, sicut et ad avaritiam. Alii vero affirmant, quod ex dispensatione divina licitum et absque culpa fuit : alias viderentur Judæi a salute relicti, eo quod nec Moyses neque aliquis Prophetarum hoc peccatum prohibuit. Et licet hoc probabiliter dicitur, primum tamen communius tenetur.

Deut. XXIV, 1. *Ibid.* XV, 6.

4. Insuper, secundum primam harum opinionum, mulier repudiata peccabat alterum virum ducens, quoniam primum matrimonium non fuit solutum. Quanto enim tempore vir vivit, mulier alligata est legi viri, secundum Apostolum. Sed alia opinio ait, quod sicut per divinam dispensationem separatio conjugum licita fuit, ita et mulier repudiata alteri viro sine peccato se matrimonio junxit. Et secundum hos, quod Christus Matthæi quinto dixit, Qui dimissam duxerit mœchatur, ad tempus novæ legis refertur.

Rom. VII, 2. *Matth.* V, 32.

5. Amplius, duo erant permissa, et item duo præcepta, in lege circa libellum repudii. Nam uxorem dimittere, et dimissam alium ducere, erant permissa ; sed libellum repudii scribere, et repudiantem virum non posse accipere quam semel dimisit, videlicet ne pronus quis esset uxorem dimittere, præcepta fuerunt.

6. Proxima vero causa repudii erat vitatio uxoricidii ; sed remota causa fuit invidia, quæ uxoricidium facere solet. — Causæ quoque repudii scribebantur in libello, non in speciali, sed in generali : quia non scribebantur ut ostenderent repudium esse licitum, sed ut liceret mulieri alium ducere, secundum Josephum. Propter quod libellus ei tradebatur. Sed secundum Augustinum, libellus repudii scribebatur quatenus mora scribendi atque consilio scribarum intervenientibus, maritus a proposito repudiandi desisteret. Dicit etiam Josephus, quod scriptura libelli repudii talis erat : Promitto tibi, quod nunquam tecum conveniam.

ARTICULUS CLXXV.

De variis impedimentis matrimonii.

1. EORUM præterea quæ ad solennitatem matrimonii spectant omissiones seu impedimenta, impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum : ut prohibitio Ecclesiæ, et tempus feriatum. De quo sunt metra :

QUÆSTIO 50. In IV, d. 34, q. 1, a. 1.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Impedimenta vero quæ contrariantur pertinentibus ad essentiam matrimonii, diri-

munt contractum : non enim est verum matrimonium. Quæ his versibus exprimuntur :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis :
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Intelligitur autem per vim coactio ; per ligamen, contractus cum alia ; per cognationem, propinquitas duarum personarum respectu tertiæ matrimonio junctæ ; per honestatem, propinquitas duarum personarum respectu tertiæ per sponsalia junctæ ; per crimen, adulterium prius cum muliere commissum.

Quæstio 58. In IV, d. 34, q. 1, a. 2-4.

Frigiditas denique quæ perpetuam impotentiam coeundi inducit (ad quam impotentiam experiendam Ecclesia triennii tempus instituit), matrimonium solvit, si ante contractum matrimonii ignoretur. Et simile est de servitute, propter quam non potest aliquis libere debitum reddere conjugi. Hæc enim si ante ignoratur, solvit matrimonium ; si vero sciatur, non solvit. Item impotentia quæ per maleficium infertur et operationem diaboli, si fuerit perpetua, dirimit matrimonium ; non autem si sit temporalis. Et ad hoc experiendum ordinavit Ecclesia tempus trium annorum. In quo tamen falli potest : et ideo statuit, ut si uxor viri frigidi alterum duxit post divortium, revertatur ad virum priorem si ille invenitur ad copulam carnalem idoneus. Maleficium vero non facit impotentiam coeundi cum omnibus feminis ; sed cum una vel certis potest esse potens, et quantum ad alias impotens. Propter quod datur viro licentia contrahendi cum alia ; et etiam femina alium ducere potest. — Insuper, furia quæ matrimonium sequitur, ipsum non dirimit. Si vero præcedit : tunc vel furiosus habet lucida intervalla, et illis durantibus contrahere potest, quamvis hoc tutum non sit ; vel non habet, et tunc neque contrahere valet, imo nec consentire.

Rursus, si vir cognoverit sororem aut consanguineam uxoris suæ ante matrimo-

A nium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari, ratione affinitatis contractæ. Si vero post matrimonium contractum et consummatum hoc faciat, non debet totaliter separari : sed vir amittit jus petendi debitum ab uxore ; sed reddere potest petenti, quoniam punienda non est propter peccatum viri. Post mortem autem uxoris debet manere sine spe conjugii, nisi cum eo dispensetur : et tamen si sine dispensatione contraxerit, peccat ; sed matrimonium stat, nec solvendum est. B

ARTICULUS CLXXVI.

1. *An propter fornicationem sit uxor dimittenda.* 2. *An hoc sit in præcepto.* 3. *An possit fieri proprio judicio.*

Quæstio 62. In IV, d. 35, q. 1, a. 1-3.

1. UXOREM autem dimittere in nova lege conceditur in pœnam ejus qui fidem fregit, atque in ejus favorem qui fidem servavit. Septem ergo sunt casus in C quibus istud non licet. Primus, si uterque sit adulter : nullus enim potest alium accusare qui in simili crimine est. Secundus, si vir uxorem prostituit. Tertius, si ipsa virum probabiliter mortuum credens, alteri nupsit. Quartus, si alter ad eam latenter sub specie viri accessit. Quintus, si vi oppressa est. Sextus, si vir eam sibi reconciliavit per copulam carnalem. Septimus, si matrimonio in perfidia utriusque contracto, vir dedit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupsit : tunc namque, D si ambo convertantur, tenetur vir eam recipere. Potest quoque propter peccatum contra naturam divortium fieri.

2. Denique, quoniam uxoris fornicantis dimissio introducta est in pœnam et correctionem peccantis, idcirco si ipsa pœniteat, non tenetur vir eam dimittere. Si vero non pœniteat, tenetur eam relinquere, ne crimini ejus videatur consentire.

3. At vero dupliciter potest vir uxorem relinquere. Primo, quantum ad torum dumtaxat : et sic potest eam proprio ju-

dicio emittere, quam cito de fornicatione A
ipsius certitudinem habet; nec tenetur ei debitum reddere, nisi per Ecclesiam compellatur. Secundo, quantum ad cohabitationem et torum : et sic non licet uxorem judicio suo dimittere, sed judicio Ecclesiæ. Quod si eam aliter dimiserit, cogendus est ad cohabitationem, nisi queat uxori fornicationem incontinenti probare. Hæc autem dimissio divortium dicitur : et ergo divortium proprio judicio fieri nequit. — Sciendum vero, quod Joseph volebat Virginem matrem relinquere, non propter sus- B
picionem fornicationis, sed propter reverentiam sanctitatis ejus, tam sacratissimæ Virgini cohabitare se censens indignum.

ARTICULUS CLXXVII.

1. *An vir et uxor sint ad paria judicandi in causa divortii.* 2. *An post divortium vir alteri nubere possit.* 3. *An post divortium vir et mulier reconciliari possint.*

In IV, d. 35, q. 1, a. 4-6. 1. DENIQUE in casu divortii vir et mu- C
lier judicantur ad paria, ita quod idem est utrique licitum atque illicitum. Non tamen hoc fit pari causa. Nam adulterium mulieris magis contrariatur bono prolis quam adulterium viri : facit enim incertitudinem prolis. In utroque tamen est causa sufficiens.

2. At vero nihil superveniens matrimonio potest ipsum dissolvere : et ergo propter adulterium non rumpitur vinculum matrimonii, sed matrimonium verum ma- D
net. Nam secundum Augustinum, Inter viventes manet conjugale vinculum, quod nec separatio, nec cum aliquo junctio potest auferre. Et igitur non licet uni, altero vivente, ad aliam copulam transire.

3. Ostensum est autem quod si uxor pœniteat, potest eam sibi vir reconciliare.

ARTICULUS CLXXVIII.

1. *An conditio servitutis impediat matrimonium.* 2. *An servus possit contrahere matrimonium sine consensu domini.* 3. *An servitus possit matrimonio supervenire.* 4. *An filii sequantur conditionem patris.*

1. SCIENDUM quoque, quod servus et ancilla contrahere possunt. Et quamvis servitutem suam ignorent ante contractum, non tamen ob id matrimonium dirimi potest : sicut dirimeretur si alter liber exsisteret. Non potest aliquis majorem obligationem exigere ex parte alterius, quam ipse possit facere. Quæstio 52. In IV, d. 36, q. 1, a. 1-4.

2. Præterea jus positivum a jure naturali progreditur, nec ei præjudicare potest. Quum ergo matrimonium sit ad jus naturale pertinens, quoniam ordinatur ad conservationem speciei, ut dictum est : patet quod servitus matrimonium impedire non valeat quantum ad dominum ; sed domino nesciente et contradicente, servus contrahere potest. Servus enim est res domini sui quantum ad ea quæ superveniunt et superadducuntur naturæ, non autem in naturalibus, in quibus omnes pares exsistunt. Sed in tali casu magis tenetur domino præcipienti parere atque servire, quam mulieri debitum reddere. Secus tamen esset, si ex consensu domini contraxisset.

3. Denique maritus potest se in servum dare vel vendere, invita uxore. Non enim subditur ei nisi in actibus naturæ, in quibus in se mutuam potestatem habent : ad quos servitus se non extendit. Nec idcirco matrimonium solvitur, quoniam nullum impedimentum matrimonio superveniens ipsum dissolvere potest. Sed tunc vir potius obligatur uxori debitum reddere, quam domino obedire.

4. Porro, secundum leges civiles, partus sequitur ventrem. Nec irrationabiliter. Pater enim dat complementum formale; sed mater ministrat substantiam corporis partui. Servitus autem est conditio corporalis : nam servus est velut organum domini sui in operando. Unde in libertate ac servitute proles sequitur matrem. In his autem quæ dignitatem concernunt, sequitur

patrem : ut in honoribus, in municipiis, et (A) hereditate. Et huic canones et lex Moysis concorditer consonant. Sed in quibusdam terris, quæ lege civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem : ut si pater sit servus, quamvis mater sit libera, filii servi sint; non tamen si pater post matrimonium contractum se dedit in servum, nolente uxore. Et similiter fit, si sit econverso. Si autem ambo sint servilis conditionis atque ad diversos dominos pertinent, dividunt domini filios, si plures fuerint; (B) sed si sit unus dumtaxat, tunc unus dominorum qui eum habuerit, alteri recompensabit de pretio.

ARTICULUS CLXXIX.

1. *An defectus ætatis matrimonium tollat.* 2. *An liceat viro uxorem in adulterio deprehensam occidere.* 3. *An talis possit alii nubere.* 4. *An Ordo impediat matrimonium.*

Quæstio 58, art. 5. In IV, d. 36, q. 1, a. 5.

1. SECUNDUM determinationem insuper (C) juris, matrimonia contrahi nequeunt ante illud tempus discretionis, quo potest uterque de matrimonio sufficienter deliberare, et debitum mutuo reddere : et si aliter fiant matrimonia, dirimuntur. Hoc autem tempus ut frequentius in masculis est in anno quartodecimo, in femina vero in duodecimo. Sed quoniam præcepta juris positivi sequuntur id quod est in pluribus, si quis ante prædictum tempus usum rationis ac naturæ vigorem attigerit, matrimonium stabit. Et ergo si contrahentes (D) ante prædictum tempus pubertatis carnaliter commisceantur, matrimonium solvi non poterit.

Quæstio 60. In IV, d. 37, q. 2, a. 1, 2.

2. Præterea, secundum leges civiles, quasi licitum computatur ut vir mulierem fornicantem in ipso actu deprehensam occidat. Sed Ecclesia non reputat hoc fieri sine reatu pœnæ æternæ, vel in ecclesiastico judicio infligendæ. Sed nulla lex permittit ut vir uxorem occidat extra actum fornicationis, quantumcumque certus sit inde. Patet ergo, quod in foro conscientiæ in nullo casu sit licitum uxorem propria auctoritate occidere.

3. Amplius, ex statuto Ecclesiæ uxoricidium matrimonium impedit. Quandoque autem impedit contrahendum, sed non dirimit contractum, quando videlicet propter odium vel adulterium vir uxorem interficit. Sed si timendum videtur de incontinentia ejus, dispensari potest cum eo. Interdum vero uxoricidium dirimit matrimonium contractum, ut dum quis propriam uxorem occidit quatenus aliam cum qua mœchatur accipiat. Tunc enim eam nullo modo recipere potest, sed est illegitima persona quoad eam : non tamen respectu aliarum. Et ideo si cum aliis contrahit, matrimonium stabit, quamvis sic contrahens peccet.

Quæstio 53, art. 3. In IV, d. 37, q. 1.

4. Sciendum quoque, quod in Ecclesia occidentali ordo sacer impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum. Dirimit enim contrahendum ex vi Ordinis et propter votum annexum. Sed apud Græcos seu in orientali Ecclesia sacri ordines impediunt matrimonium contrahendum solum ex vi Ordinis, non autem dirimunt contractum. Sic licet mulierem quam ante Ordinis susceptionem habebant retinere atque cognoscere. Sed non possunt Græci in sacris ordinibus exsistentes de novo contrahere. Item, si vir, uxore vivente ac nolente seu reclamante, ad ordines suscipiendos accedat, veraciter ordinatur, et characterem recipit; sed exsecutione ordinis suscepti privatur quamdiu hæc vivit. Si vero vir cum consensu uxoris ordines sacros sumit, ipsa tenetur castitatem vovere; et si non, tunc vir tenetur ei debitum reddere.

ARTICULUS CLXXX.

1. *An fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere.* 2. *An inter infideles sit matrimonium.* 3. *An conjux ad fidem conversus possit commanere cum uxore infideli*

nitatem a matrimonio : eas præsertim quas oportet vel solitum est simul morari. Nisi enim inter personas domesticas interdicta esset matrimonii copula, magnus daretur concupiscentiæ aditus. Quum ergo sit matrimonium in remedium contra concupiscentiam datum, convenienter contrahi nequit inter quosdam propinquos. Quantum autem ad aliquos, consanguinitas impedit matrimonium de jure per homines instituto ad augendum amicitiam, et multiplicandum confœderationem ac pacem inter homines : dum homo ita afficitur propinquis conjugis suæ ut propriis.

2. Itaque secundum diversa tempora, consanguinitas secundum diversos gradus matrimonium impedivit. In principio namque generis humani, propter paucitatem hominum et necessitatem multiplicationis eorum, non nisi pater et mater a matrimonio repellebantur. Postmodum autem, multiplicatis hominibus, tempore Moysis plures personæ propter consanguinitatem prohibitæ sunt, illæ videlicet quæ cohabitare in una familia solitæ sunt, ut Rabbi Moyses dicit, ne daretur incentivum libidini. Sed aliæ personæ propinquæ non erant prohibitæ. Sed tempore novæ legis, quæ est lex amoris et spiritus, consanguinitas matrimonium impedivit usque ad septimum gradum : et non ultra, quoniam post tantam distantiam non facile remansit memoria communis radicis ; et etiam propter congruentiam septiformis gratiæ Spiritus Sancti ; et hoc, ut augeretur inter homines dilectio mutua per multas personas ratione consanguinitatis et affinitatis. Nunc vero circa hæc ultima tempora restrictum est interdictum Ecclesiæ usque ad quartum gradum : quoniam refrigescente caritate, multorum propinqui post quartum gradum non plus diliguntur quam personæ extraneæ. Et ergo per matrimonium est renovanda dilectio.

Advertendum autem, quod mundo assignantur ætates, non quoad substantiam, sed quantum ad statum : ad similitudinem ætatis unius hominis, cujus ætates

A variantur secundum notabiles varietates in statu ipsius. Prima quippe ætas vocatur infantia, usque septennium durans ; secunda, pueritia, usque ad quartumdecimum annum ; tertia, adolescentia, usque ad annum vicesimum quintum. Et hæ ætates interdum computantur pro una. Quarta est juventus, ad quinquagesimum annum durans ; quinta, senectus, usque ad septuagesimum annum. Sexta dicitur senium, et durat usque ad vitæ finem. Similiter in hoc mundo dicitur prima ætas B ab Adam usque ad Noe, in qua fuit humani generis institutio et etiam lapsus ; secunda, a Noe usque ad Abraham, in qua fuit humani generis destructio per diluvium et renovatio ejus ; tertia, ab Abraham usque ad David, in qua lex et circumcisio datæ sunt ; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis, in qua lex floruit sub regibus et Prophetis ; quinta, a transmigratione Babylonis usque ad Christum, in qua fuit populi captivatio et liberatio ; sexta, a Christo usque ad finem C mundi, in qua fuit humani generis facta redemptio. Non itaque oportet ut ætates prædictæ æqualem numerum annorum sortiantur, sicut nec ætates unius hominis : ultima enim ætas quandoque tantum durat ut aliæ omnes.

ARTICULUS CLXXXIII.

1. *An ex matrimonio consanguinei affinitas causetur.* 2. *An maneat post mortem viri inter relictam et consanguineos viri.* D 3. *An ex illicito concubitu causetur affinitas.* 4. *An ex sponsalibus causetur affinitas.* 5. *An affinitas sit causa affinitatis.*

1. AMICITIA ergo, ut dictum est, in quadam communicatione fundatur. Naturalis autem communicatio dupliciter fit, scilicet per carnis propagationem, et per conjunctionem carnalem ad propagationem ordinatam. Sicut itaque persona alteri per carnis propagationem conjuncta, quoddam naturalis amicitiæ vinculum

Quæstio 55. In IV, d. 41 q. 1, a. 1.

facit, ita si conjungatur per copulam carnalem : non tamen fit particeps ejusdem radicis et sanguinis, sed quasi ab extrinseco advenit. Propter quod efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas appellatur. Sed persona per carnis propagationem conjuncta, manet in eodem genere vinculi seu attinentiæ, non tamen in eodem gradu. De quo versus habetur :

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

2. Denique causa affinitatis est conjunctio viri atque uxoris. Ipsa autem conjunctio transit, et ratione præteritionis habet quamdam necessitatem, sicut præterita. Unde sicut paternitas et filiatio non destruuntur propter subtractionem causæ, quum illa præterita sit, videlicet esse genitum, sed propter corruptionem subjecti in altero extremorum; sic affinitas manet, manente uxore, ad consanguineos viri, quamvis mortuus sit vir, quamdiu illi manent cum quibus affinitas est contracta. Matrimonium enim et consanguinitas atque affinitas aliud non sunt, nisi quædam relationes quæ in actione vel passione seu motu fundantur.

3. Præterea, quoniam affinitas ex carnali conjunctione causatur, idcirco fornicarius quoque concubitus affinitatem inducit, in quantum aliquid habet de naturali conjunctione; non autem concubitus contra naturam, quia non habet seminum commixtionem, quæ possit prolem producere.

4. Sciendum vero, quod sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonii, sed sunt præparatio ad ipsum ; ita non causant affinitatem, sed aliquid simile, quod dicitur publicæ honestatis justitia : quæ impedit matrimonium sicut affinitas et consanguinitas, et secundum eosdem gradus, ex institutione Ecclesiæ.

5. Denique dictum est, quod attinentia quæ est per carnis propagationem, manet in eadem specie; non autem quæ per copulam carnalem contrahitur, sed fit aliud genus vinculi seu attinentiæ. Unde iste modus contrahendi propinquitatem cum alio est quasi æquivocus, et in aliam speciem cadens a sua causa ; non autem primus. Et ergo affinitas non causat affinitatem, sicut consanguinitas consanguinitatem : nisi dicatur omnino aliud genus, vel secundum, aut tertium genus affinitatis. Secundum et tertium genus affinitatis olim erant prohibita ab Ecclesia, propter publicæ honestatis justitiam, potius quam propter affinitatem, quia deficiunt a ratione veræ affinitatis. Sed modo prohibitio illa cessavit, et solum primum genus affinitatis prohibitum manet.

ARTICULUS CLXXXIV.

1. *An affinitas impediat matrimonium.* 2. *An habeat gradus.* 3. *An gradus illi extendantur sicut gradus consanguinitatis.*

1. PORRO affinitas quæ matrimonium præcedit, impedit contrahendum dirimitque contractum, eadem ratione qua consanguinitas. Quemadmodum enim consanguineos, sic et affines cohabitare necesse est. Si vero affinitas matrimonio superveniat, non valet ipsum dissolvere. In IV, d. 41, q. 1, a. 2.

2. Amplius, graduum distinctio directe et immediate competit consanguinitati, quoniam per carnis propagationem contrahitur. Sed affinitas a carnis propagatione mediante consanguinitate procedit, quæ est causa affinitatis. Unde ad inveniendum gradum affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi uxor.

3. Quia igitur gradus affinitatis sumitur secundum gradus consanguinitatis, tot sunt gradus affinitatis quot consanguinitatis. Facilius tamen, et olim, et nunc, dispensatur in remotis gradibus affinitatis quam consanguinitatis. Vinculum enim affinitatis minus est vinculo consanguinitatis.

ARTICULUS CLXXXV.

1. *De filiis illegitimis.* 2. *An damnum incurrant.* 3. *An etiam valeant legitimari.*

Quæstio 68. In IV, d. 41, q. 1, a. 3.

1. QUADRUPLEX demum est status filiorum. Quidam enim sunt naturales et legitimi, ut ex matrimonio nati; quidam, naturales et illegitimi, ut ex simplici fornicatione producti; quidam, legitimi et non naturales, ut adoptivi; quidam, nec legitimi nec naturales, ut spurii, de stupro aut adulterio nati : tales B
namque nascuntur contra legem positivam legemque naturæ. Agnoscendum quoque, quod ignorantia excusat illicitum coitum, si non sit affectata. Et ergo qui bona fide conveniunt in facie Ecclesiæ, licet sit impedimentum, si ipsum ignorant, non peccant, nec filii illegitimi erunt. Si vero sciant, quamvis Ecclesia, quæ impedimentum ignorat, sustineat eos, non excusantur a culpa, nec filii ab illegitimitate. Si autem non sciant, et in occulto contrahant, non excusantur, eo quod talis igno- C
rantia appareat affectata.

2. Porro filii illegitimi duplex damnum incurrunt : primo, quia non admittuntur ad actus legitimos, scilicet ad officia vel dignitates, quæ honestatem requirunt in agente; secundo, quia non succedunt in hereditate. Naturales vero filii succedere possunt in sexta parte tantum; spurii autem in nulla. Parentes tamen de jure naturali tenentur eis providere : ad quod per episcopum sunt cogendi. Prædicta ergo damna illegitimi filii pati dicuntur, non D
quod eis quidquam subtrahitur quod eis debitum fuit; sed quoniam eis non est debitum, quod alias eis debitum esse potuisset, videlicet si illegitimi non essent.

3. Denique filii illegitimi legitimantur ex hoc quod per auctoritatem Ecclesiæ prædictis damnis non subjiciuntur. Suntque sex modi legitimandi. Duo secundum canones : ut quum quis ducit in uxorem illam ex qua filium illegitimum generavit, si non fuit adulterium; secundus est per

A specialem indulgentiam et dispensationem domini Papæ. Alii quatuor modi sunt civiles : primus, dum pater filium naturalem curiæ imperatoris offert; secundus, quum pater in testamento nominat eum legitimum heredem, et filius postmodum imperatori testamentum offert; tertius, si nullus est filius legitimus, et ipsemet principi offerat se; quartus est, quando pater in publico instrumento, vel cum trium testium subscriptione eum vocat legitimum, nec adjicit, naturalem.

ARTICULUS CLXXXVI.

1. *Utrum spiritualis cognatio impediat matrimonium.* 2. *An talis propinquitas per solum Baptismum contrahatur.*

Quæstio 5[…] In IV, d. 42, q. 1, a. 1, […]

1. SICUT præterea per carnis propagationem accipit homo esse naturæ, sic per sacramenta Ecclesiæ suscipit esse spirituale gratiæ : quod est ei quodammodo naturale, in quantum est membrum Ecclesiæ. Idcirco, sicut carnalis, sic et spiritualis cognatio matrimonium impedit ex statuto Ecclesiæ. Si enim præcessit matrimonium, impedit contrahendum, dirimitque contractum; sed si sequitur, tunc non dirimit matrimonii vinculum. De actu autem matrimonii est distinguendum. Vel enim spiritualis cognatio causa necessitatis inducitur, ut dum pater filium baptizat propter periculum mortis : et tunc ex nulla parte impedit matrimonii actum. Aut inducitur sine necessitate, sed ex ignorantia : et tunc si ille ex cujus actu inducitur, debitam diligentiam adhibuit, est idem judicium sicut prædictum est; si vero inducitur ex industria et præter necessitatem, tunc ille ex cujus actu inducitur, perdit jus petendi debitum, quamvis reddere obligetur. Causa autem cur spiritualis cognatio matrimonium impedit, est quia multiplicationem amicitiæ tollit : ipsa enim per se ad amicitiam est sufficiens.

2. Præterea, secundum probabiliorem et

communiorem opinionem, spiritualis cognatio non contrahitur nisi per duo sacramenta, videlicet per Baptismum et Confirmationem. Catechismus vero impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum.

ARTICULUS CLXXXVII.

1. *Inter quos contrahatur spiritualis cognatio.* 2. *An transeat a viro in feminam.* 3. *An a patre in filios.*

In IV, d. 42, q. 1, a. 3.

1. DENIQUE, sicut in generatione carnali quis nascitur ex patre et matre, sic in spirituali regeneratione nascitur homo filius Dei sicut patris, atque Ecclesiæ sicut matris. Quemadmodum autem sacramentum conferens gerit personam Dei, sic qui baptizatum de fonte sacro levat vel confirmandum tenet, habet personam Ecclesiæ : ideo ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur.

2. Insuper aliquis potest fieri compater alicujus dupliciter. Uno modo, per actum alterius, scilicet baptizantis, vel suscipientis in Baptismo filium ejus. Sicque spiritualis cognatio non transit a viro in conjugem, nisi ille sit filius uxoris : tunc enim uxor directe contrahit cognationem spiritualem, sicut et vir. Alio modo, per proprium actum, ut dum filium alterius de fonte Baptismatis levat. Et sic cognatio spiritualis transit ad mulierem carnaliter cognitam, quamvis non sit matrimonialiter juncta (tunc enim sunt una caro); non autem si non sit mulier carnaliter cognita. Sed inter patrem spiritualem matremque spiritualem ejusdem, non oritur spiritualis cognatio, quoniam alter per se sufficeret : et ergo simul contrahere possunt. Cum infideli quoque non potest spiritualis cognatio contrahi, quia non pertinet ad mysticum corpus Christi.

3. Præterea, quum filius sit aliquid patris, et non econtra; idcirco spiritualis cognatio transit a patre in filios, et non vice versa. Tres igitur sunt spirituales cognationes : quarum una paternitas nominatur, quæ inter patrem spiritualem et filium ejus spiritualem consistit; alia compaternitas dicitur, quæ est inter patrem spiritualem et filium ejus carnalem; tertia vero vocatur spiritualis fraternitas, quæ est inter filium spiritualem filiosque carnales ejusdem patris. Et quælibet harum impedit matrimonium contrahendum dirimitque contractum. Spiritualis tamen cognatio non habet gradum. Nam non in eodem gradu attinet filius spiritualis filio naturali sui spiritualis patris, in quo attinet ei pater ejus, mediante quo spiritualis cognatio transit.

ARTICULUS CLXXXVIII.

1. *De definitione adoptionis per quam est legalis cognatio.* 2. *An ex adoptione impediatur matrimonium.* 3. *Inter quos talis cognatio contrahatur.*

Quæstio 57. In IV, d. 42, q. 2, a. 1-3.

1. ARS autem imitatur naturam, et supplet ejus defectum. Et ergo per jus positivum, quod est ars æqui et boni, potest homo personam extraneam sibi in filium assumere ad similitudinem filii naturalis, propter supplendum amissorum filiorum defectum. Ad quod adoptio instituta censetur, et ideo taliter definitur : Adoptio est extraneæ personæ in filium, aut nepotem, vel deinceps, legitima assumptio. Est vero adoptio duplex, videlicet : perfecta, quæ arrogatio dicitur, et naturalem filiationem perfecte imitatur. Per hanc enim adoptatus transit in potestatem adoptantis, et succedit ei ex intestato. Et hæc adoptio fieri nequit nisi auctoritate principis; nec taliter adoptari valet, qui sui juris non est. Alia vero species adoptionis est imperfecta, quæ naturalem filiationem imperfecte sectatur. Non enim per eam transit adoptatus in potestatem adoptantis, nec succedit ei in bonis; neque tenetur ei adoptans aliquid in testamento relinquere. Hæc quoque adoptio fieri potest sine auctoritate princi-

pis, ex auctoritate magistratus; sicque adoptari potest, qui sui juris non est. Sed primo modo adoptatus, sine culpa sua privari non potest quarta parte hereditatis. Item, qui sui juris non est, vel qui nondum viginti quinque annos sortitus est, et mulier, adoptare non possunt nisi ex concessione principis. Qui etiam perpetuum habet impedimentum generandi, adoptare non potest : nam ratione suæ sterilitatis, hereditas ejus ad propinquos ejus pertinet.

2. At vero legalis cognatio quæ per adoptionem inducitur, matrimonium impedit, secundum leges civiles et approbationem Ecclesiæ. Tales enim personas cohabitare oportet, et ergo conjungi non debent, nec personæ consanguineæ.

3. Sciendum quoque, quod cognatio legalis est triplex. Prima, quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem et filium adoptatum, et filium filii adoptivi, et nepotem, et ita deinceps. Secunda, quæ est inter filium adoptivum et filium naturalem. Tertia est per modum affinitatis cujusdam, quæ est inter patrem adoptantem atque uxorem filii adoptati, vel econtra, id est inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis. Prima ergo et tertia perpetuo matrimonium impediunt; secunda vero, quamdiu manet in potestate patris adoptantis. Unde mortuo patre vel filio emancipato, potest inter eos matrimonium esse, quando cohabitatio terminatur : tunc enim filius adoptivus et filia naturalis ejusdem patris contrahere possunt.

ARTICULUS CLXXXIX.

1. *An secundæ nuptiæ sint licitæ.* 2. *An sacramentales.*

Quæstio 63. In IV, d. 42, q. 3, a. 1, 2. *I Cor.* VII, 39.

1. MULIER insuper, teste Apostolo, alligata est viro quamdiu vivit vir ejus. Unde mortuo viro, vinculum matrimoniale cessat ac desinit : propter quod alteri nubit. Et ideo non solum secundæ

A nuptiæ, sed tertiæ quoque et quartæ, atque deinceps, sunt licitæ.

2. Denique istæ nuptiæ habent ea quæ ad sacramenti hujus essentiam requiruntur, videlicet : debitam materiam, quum sit inter personas legitimas; et debitam formam, utpote expressionem consensus interioris per verba de præsenti. Nihilo minus tale matrimonium aliquid imperfectionis sortitur respectu matrimonii primi. Non enim servatur in eo plena significatio matrimonii, quæ est unio Christi et

B Ecclesiæ : in qua unione non est divisio in plura. Et ideo benedictio subtrahitur, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ ex parte viri ac conjugis, vel ex parte uxoris dumtaxat. Nam si virgo contrahat cum eo qui aliam mulierem habuit, nuptiæ benedicuntur : salvatur enim quodammodo significatio etiam in ordine ad primas nuptias. Quamvis enim Christus unam Ecclesiam habeat sponsam, habet tamen plures personas desponsatas in Ecclesia. Anima autem non potest esse sponsa alicujus

C quam Christi : cum dæmone namque fornicatur, neque est ibi spirituale matrimonium. Idcirco, dum mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter defectum sacramenti, quod unitionem designat cum Christo.

ARTICULUS CXC.

1. *An uterque conjugum teneatur semper ex æquo ad reddendum debitum, etiam quandoque non petenti propter verecundiam.* 2. *An*

D *vir et mulier possint votum emittere contra debitum matrimonii sine mutuo consensu.* 3. *An temporibus sacris debitum petere sit mortale peccatum.*

1. ORDO naturæ et caritatis hoc habet, ut unumquodque prius in se ipso perficiatur, et postmodum alteri de sua perfectione communicet. Et ergo, licet uxor in viro potestatem habeat, quantum ad virtutem generativam, exigendi ab eo debitum, non tamen tenetur vir reddere

Quæstio 64. In IV, d. 32, q. 1, a. 1-5.

cum detrimento incolumitatis proprii corporis. Extra quem casum tenetur vir semper uxori debitum reddere, etiam non petenti propter verecundiam : modo expressa signa in ea appareant voluntatis reddendi debitum, etiam festivo tempore, saltem servata debita honestate, quæ in talibus exigitur. Hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum, ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio detur peccati. Et eadem ratione tenetur uxor viro petenti semper debitum reddere : quia quantum ad hoc vir et mulier sunt æquales. Unde primæ ad Corinthios
I *Cor.* VII, 4. septimo : Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

2. Quum itaque conjuges sibi invicem teneantur in redditione debiti, non potest unus absque consensu alterius continentiam vovere. Votum enim est de illis dumtaxat bonis quæ nostræ subjacent voluntati : qualia non sunt ea in quibus unus tenetur alteri. Peccat proinde qui sic vovet; et non debet servare votum, sed agere pœnitentiam de voto male facto, etiam si tantum voverit se redditurum quidem debitum petenti, sed nunquam petiturum. Per hoc enim redderetur matrimonium alteri onerosum, dum oporteret semper unum onus petendi debitum subire. Et ob hoc primæ ad Corinthios septimo dicitur :
Ibid. 5. Ne fraudetis vos invicem, nisi ex communi consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Si vero ante contractum matrimonium emisisset votum simplex castitatis, tenetur quidem petenti debitum reddere; ipse autem exigere debitum sine peccato non potest.

3. Quamvis vero semper oporteat petenti debitum reddere, salvis conditionibus supra memoratis; petere tamen in die festo, peccatum est ad minus veniale : gravius quidem, si sola delectationis causa petatur. Reddit quippe carnalis delectatio, rationem deprimens, hominem ineptum ad spiritualia, quibus præcipue intendendum est die festo. Non est autem peccatum mortale, quia petere debitum in die festo est circumstantia non trahens in aliam peccati speciem : quare nec potest in infinitum aggravare. Si qua igitur carnis tentatio insurgat die festo, oratione, jejunio, vigiliisque, aut prævenienda est, aut retundenda.

ARTICULUS CXCI.

1. *An animabus post mortem receptacula assignentur.* 2. *An statim post mortem ad ipsa animæ deducantur.* 3. *An de ipsis locis egredi valeant.* 4. *An limbus inferni sit idem quod sinus Abrahæ.* 5. *An limbus sit idem quod infernus damnatorum.* 6. *An limbus patrum sit idem quod limbus puerorum.* 7. *An tot receptacula debeant distingui.*

1. QUUM Scriptura sacra attribuat Deo (qui est substantia spiritualis omnium prima) locum corporeum supremum, cœlum videlicet, Propheta attestante, Cœlum mihi sedes est : omnino credendum est animas quæ sunt in participatione perfectæ Deitatis, in cœlo esse; quæ autem a participatione hujusmodi impediuntur, loco contrario deputari. Quod licet a nobis pro statu hujus viæ plene cognosci non possit, tamen quia secundum Augustinum tertio de Trinitate, et Gregorium quarto Dialogorum, corporalia gubernantur a Deo mediantibus spiritualibus, et secundum philosophos, ordo mobilium pensatur secundum ordinem substantiarum separatarum : consequens profecto est, ut dignioribus substantiis digniora corpora adaptentur. Convenit enim anima separata cum corpore cui deputatur : etsi non secundum similitudinem alicujus sensibilis qualitatis, convenit tamen secundum quid, per quamdam proportionabilitatem. Animæ spiritualiter illuminatæ conveniunt cum corporibus luminosis, offuscatæ vero per culpam cum locis tenebrosis : quibus dum se agnoscunt animæ deputari, vel gaudio afficiuntur, vel dolore.

QUÆSTIO 69. *Is.* LXVI, 1.

2. Quemadmodum vero gravia et levia, sublato impedimento, protinus in suum quæque locum feruntur; ita et animæ, vinculo carnis abrupto, illico vel in infernum demerguntur, vel in cœlum evolant nisi obsistat peccatum aliquod veniale purgandum. Testatur hoc Paulus, secun-
II *Cor.* v, 1. dæ ad Corinthios quinto : Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Qui et
Philipp. I, 23. Philippensibus scribens : Cupio, inquit, dissolvi, et esse cum Christo. Hoc autem frustra peteret, si existimaret animam a corpore solutam non confestim in cœlum
Luc. XVI, 22, 23. migraturam. Sed et dives epulo, Lucæ sextodecimo, sepultus in inferno, animam Lazari in sinu Abrahæ vidisse perhibetur. Nam quum sint animæ sigillatim a Deo creatæ, nunc quidem solæ singulari retributione in abditis illis receptaculis, cœlo videlicet vel inferno, continentur : licet aliter nunc quam post diem novissimum, quia nunc sine corpore, tunc vero simul cum corpore, vel beatitudine perfruentur, vel affligentur miseria. Quæ quidem corpora, propter mutuam continuationem ad invicem (nam secundum ea verum est di-
Act. XVII, 26. cere, quod dicitur Actuum septimodecimo, quod Deus ex uno fecit omne hominum genus), congruum est simul omnia glorificari, ut et in ipsa carne gaudeant, secundum B. Gregorium quarto Dialogorum, in qua dolores pro Domino cruciatusque pertulerunt. Et eodem modo dicendum est de damnatis.

3. Et quia, secundum B. Augustinum in libro de Cura pro mortuis agenda, alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum ; alia sunt quæ naturaliter, et alia quæ mirabiliter fiunt : quamvis animæ suis deputatæ locis, inde simpliciter vel secundum consuetum naturæ cursum non exeant, tamen secundum ordinem divinæ providentiæ, quandoque ad tempus egredi possunt, dum vel ad eruditionem hominum vel terrorem per-
A mittuntur viventibus apparere, aut etiam ut suffragia expetant, quantum ad illas quæ purgatorio detinentur : ut probat per multa exempla B. Gregorius quarto Dialogorum, et B. Augustinus libro de Cura pro mortuis agenda, de Felice martyre, qui civibus Nolanis visibiliter apparuit, quum a barbaris oppugnarentur. Quod autem sancti (qui etiam quum hic viverent miraculorum gratia claruerunt, et ob id verisimile est viventibus posse apparere quum velint) non semper apparent vivis, iis
B etiam quos hic habuerunt carissimos, fieri putandum est propter conformitatem voluntatis eorum ad dispositionem divinam, quæ novit quatenus hujusmodi apparitiones viventibus vel obsint vel expediant ; vel quia in purgatorio pœnis oppressi, de sua magis miseria doleant, quam ut curent aliis apparere. Quum autem viventibus apparent, nec gaudii diminutionem patiuntur Beati, nec damnati ullam pœnarum suarum sentiunt relevationem, eo quod se agnoscant sic semper
C lætis aut tristibus locis addictos, ut nisi ad momentum nutu Creatoris inde nequeant exire.

4. Ceterum, justorum animæ post mortem non semper eamdem requiem habuerunt : quia post Christi adventum habent plenam requiem, divina visione fruentes ; sed ante adventum Christi habebant tantum immunitatem pœnæ absque quiete desiderii per consecutionem finis. Erat proinde idem locus, saltem per accidens, quo ante adventum Christi delatæ sunt
D animæ justorum, videlicet limbus inferni et sinus Abrahæ : qui propter requiem ad quam Abrahæ fides transmittebat (accedentem enim ad Deum oportet cre- *Hebr.* XI, 6.
dere), sinus Abrahæ dicitur, et limbus inferni propter carentiam beatificæ visionis. Hæc tamen identitas post Christi adventum est cassata. Non autem unitati accidentali repugnat, quod nusquam in sacris Litteris sinus Abrahæ in malum accipitur propter requiem, et limbus inferni sive infernus nunquam in bo-

num propter defectum. Nam quum ante adventum Christi requies sanctorum haberet defectum quietis adjunctum, dictus est infernus et limbus : tantum enim ibi non videbatur Deus. Nunc vero completa post Christi adventum sanctorum requie, citra omnis defectus admixtionem, eadem quies non infernus dicitur, sed sinus Abrahæ : ad quem etiam Ecclesia fideles suos
Matth. v, 3. orat perduci. Est enim nunc requies beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, ut dicit quædam glossa super illud
Luc. xvi, 22. Lucæ sextodecimo, Factum est ut moreretur mendicus.

5. Quamvis vero probabile sit eumdem esse locum vel continuum, secundum situm, limbum inferni et infernum damnatorum, ita tamen quod quædam superior inferni pars limbus patrum dicatur (decebat enim sanctos patres, qui minimum quid habebant de ratione culpæ, supremum et minus tenebrosum locum habere præ iis qui illic puniebantur); nequaquam tamen dubitandum est limbum patrum et infernum damnatorum, secundum qualitatem locorum porro fuisse distincta : quia in inferno est pœna et sensibilis et æterna, quarum neutra erat in limbo, ubi temporaliter tantum detinebantur absque omni sensibili dolore. Unde evoluto decreto a Deo tempore, Christus infernum mordens, non absorbens, exspoliavit limbum, et patres antiquos secum inde in cœlum transduxit. Inter quos et Job fuisse credendum est, non obstante quod de se dixe-
Job xvii, 16. rit septimodecimo capitulo : In profundissimum infernum descendet anima mea. Hoc quippe vel de limbo patrum dixisse putandus est, qui et profundissimus est in comparatione ad alia loca non pœnalia, in quantum sub eodem includitur omnis locus pœnarum; vel, secundum Augustinum duodecimo super Genesim ad litteram, dicendum quod justus homo timuerit ne tristitia nimia sic perturbaretur, ut non ad requiem bonorum, sed ad inferos iret peccatorum. Quare hujusmodi verba sicubi de justis hominibus dicta legantur, [A] credendum est timentium potius affectum significare, quam aliquid pro vero asserentium.

6. Sed et patrum et puerorum in solo originali decedentium eumdem fuisse locum secundum situm, non videtur improbabile. Fuerunt tamen absque dubio distincti secundum qualitatem pœnæ vel præmii. Nam patribus aderat spes vitæ beatæ, utpote in quibus et fidei et gratiæ lumen resplendebat : quorum nullum est in pueris. In patribus enim originalis cul- [B] pa expiata erat, secundum quod erat infectiva personæ, remanente impedimento ex parte naturæ, pro qua nondum satisfactum erat. In pueris vero obstaculum est et ex parte personæ et ex parte naturæ. Unde quantum ad dilationem gloriæ, mitior erat pœna patrum quam puerorum. Nam quod Augustinus dicit in Enchiridio, mitissimam esse pœnam puerorum, intelligendum est per comparationem ad pœnas quæ pro peccatis personalibus infliguntur.

[C] 7. Licet vero omnibus animabus, quamdiu in carne sunt, debeatur sub infinitis etiam gradibus meritorum et culparum unus locus merendi et demerendi, propter unitatem status (est enim ejusdem posse mereri et demereri); tamen eorum qui recipiunt pro meritis vel pœnam vel præmium, sicut sunt status diversi, ita sunt et receptacula diversa. Nam anima, vel est in statu recipiendi finale præmium, vel est in statu quo impeditur ab illo. — Si primum, hoc est dupliciter. Vel quantum [D] ad bonum : et sic, quia secundum Dionysium quarto capitulo de Divinis nominibus, et Philosophum secundo Ethicorum, bonum contingit tantum uno modo, malum autem multifarie, est tantum unum receptaculum, videlicet paradisus cœlestis. Terrestris enim, quo deducti sunt Enoch et Elias, magis spectat ad statum viatoris quam ad statum recipientis pro meritis. Si autem quantum ad malum : sic ratione actualis culpæ est infernus, proprius quidem dæmonum ac damnatorum

locus, ubi pro meritis recipiant retributionem : quamvis etiam dæmones aerem hunc caliginosum inhabitare B. Petrus asserat pro hominum exercitio usque ad diem judicii, sicut et animæ separatæ quandoque in loco habitationis nostræ puniuntur propter nostram instructionem, ut earum pœnas videntes, a culpis retrahamur. Ratione vero originalis culpæ (in qua cum solo veniali peccato nemo decedit) est limbus puerorum, qui neque quoad personam, neque quoad naturam a peccato originali purgantur.

II *Petr.* II, 4.

Si vero est in statu quo impeditur a consecutione finalis retributionis, hoc est : vel propter defectum personæ ; et sic est purgatorium, in quo detinentur animæ, ne statim præmia consequantur, propter peccata quæ commiserunt. Nam licet in inferno (ubi non est purum malum citra omnis boni admixtionem) damnatorum quoque quædam bona opera per mitiorem pœnam quodammodo præmiantur, ad beatitudinem tamen (cujus est impermixtum ac sincerum bonum) nemo nisi omnino purgatus, potest admitti. Vel est propter defectum naturæ. Et sic est limbus patrum, in quo propter reatum naturæ humanæ, qui nondum poterat expiari, a consecutione gloriæ patres antiqui in anima detinebantur. Carentia enim gloriæ animæ statum diversificat, non carentia gloriæ corporis : quia in gloria animæ consistit præmium essentiale, a qua originaliter redundat in corpus.

ARTICULUS CXCII.

1. *An in anima separata remaneant potentiæ sensitivæ.* 2. *An remaneant in ea actus dictarum potentiarum.* 3. *An anima separata possit pati ab igne corporeo.*

QUÆSTIO 70. 1. OPERATIONUM hominis duplex est genus. Quædam enim sunt, quarum principia sunt potentiæ animæ : et tamen non proprie sunt animæ ut subjecti, sicut color est corporis (ut quidam falso sunt A opinati), sed conjuncti, id est corporis et animæ simul, quia explentur per corpus, ut est videre, audire, et hujusmodi. Et quia, secundum Philosophum de Somno et vigilia, ejus est actio cujus est potentia ; oportet quod istæ potentiæ sint conjuncti sicut subjecti, animæ vero sicut principii influentis, eo modo quo omnis forma est principium proprietatum compositi. Nam non comparantur ad animam ut naturales passiones ad suum subjectum, sed sicut ad originem in qua radicantur. B Qua ratione a B. Augustino dictum est animam secum trahere sensum et imaginationem, concupiscibilitatem et irascibilitatem, quæ tamen ad sensitivam potentiam spectant : nisi forte de interioribus sensibus, qui ad intellectivam partem pertinent, videatur locutus, eo modo loquendi quo secundum Basilium super Proverbia, et Philosophum sexto Ethicorum, sensus quandoque pro intellectu accipitur.

Alterum vero genus operationum est, C quæ immediate exercentur ab anima sine organo corporali, ut intelligere, considerare, et velle. Et hæ sunt animæ propriæ : nam potentiæ quæ sunt harum principia, non solum sunt animæ ut principii, sed etiam ut subjecti. Has ergo potentias, quæ in suis actionibus non utuntur organo corporali, necesse est remanere in anima separata. Sicut enim remanente subjecto, manere oportet et proprias passiones ; ita et destructo subjecto, oportet easdem quoque destrui, principio nihilo minus integro D et illæso perseverante, id est anima, a qua hujusmodi potentiæ sensitivæ in corpus manabant : sicut nec potentia regis manet dimidiata, mortuo præposito qui ejus potentiam participabat. — Et hæc confirmari possunt per Augustinum* libro de Ecclesiasticis dogmatibus sic dicentem : Duabus substantiis homo constat, anima tantum et carne : anima cum ratione sua, et carne cum sensibus suis. Potentiæ itaque sensitivæ ad carnem pertinent : ergo corrupta carne, non manent in anima.

* Gennadium

2. Actus potentiarum sensitivarum, quum sint communes corpori et animæ, neque exerceri valeant nisi per organum aliquod corporale, nullo modo manent in anima separata, nisi forte sicut in radice : et hoc Philosophus primo de Anima dicit, quod corrupto corpore, anima non reminiscitur neque amat. Quod enim dictum *Luc.* XVI, 25. est diviti epuloni, Lucæ sextodecimo, Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, non est referendum ad memoriam quæ est partis sensitivæ, secundum quod concernit tempus præteritum; sed ad memoriam prout est pars imaginationis ad intellectivam partem pertinens, et secundum Augustinum, abstrahit ab omni differentia temporis, quum non sit tantum præteritorum, sed etiam præsentium et futurorum. Similiter gaudium, amor, tristitia, et hujusmodi, erunt in anima separata, prout sunt actus voluntatis, quæ est in intellectiva parte; non secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi, quia sic non explentur sine determinato motu cordis.

3. Christo in Evangelio perhibente, Mat- *Matth.* XXV, 41. thæi vicesimo quinto, maledictos in ignem æternum ituros, qui præparatus sit diabolo et angelis ejus, haud dubium est animas separatas non minus quam dæmones (qui et ipsi spirituales sunt creaturæ), ab igne corporeo affligi. Quo autem pacto hoc possit fieri, diversi diversimode conati sunt ostendere. Omnium tamen modos in unum colligendo, dicendum est quod ignis ex natura quidem sua habet quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum, eo tamen modo quo spiritualia possunt esse in loco, videlicet per definitionem loci; sed in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet ut etiam ipsum quodammodo invitum retineat alligatum. In quo ignis ille est veraciter spiritui nocivus, ut sic anima ignem ut sibi nocivum per violentam detentionem videns, realiter ab igne patiatur : sicut Gregorius quarto Dialogorum per ordinem ad longum tangit. Et B. Augustinus vicesimo primo de Civitate Dei : Sicut,

A inquit, anima in hominis conditione jungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale et hoc corporale, et ex illa conjunctione vehementer concipit amorem ad corpus ; sic ligatur igni ut accipiens ab eo pœnam, et ex illa conjunctione concipit horrorem. Unde apparet ignem illum in animam agere, non per mutuam transmutationem, aut per modum influentis, aut per corporalem contactum, quæ corporum dumtaxat sunt, et eorum quæ communicant in materia; sed per B modum detinentis, et per contactum spiritualem : sicut et motor cœli, quum sit spiritualis, spirituali tactu tangit cœlum, ipsum movens; per modum quo dicitur contristans tangere, sicut dicitur primo de Generatione. Qui tactus continuatur dæmonibus et damnatis, etiam quum per dispensationem infernum aliquamdiu exeunt, sicut dicit Glossa super illud Jacobi tertio, Inflammat rotam nativitatis nostræ: *Jacob.* III, 6. Diabolus ubicumque sit, sive sub terra, sive in aere, secum trahit tormenta sua- C rum flammarum.

ARTICULUS CXCIII.

De suffragiis mortuorum : 1. *An suffragia per unum facta aliis prodesse possint.* 2. *An mortui possint juvari operibus vivorum.* 3. *An suffragia per peccatores facta mortuis prosint.* 4. *An quæ a vivis pro mortuis fiunt, facientibus prosint.*

1. ETSI opus unius hominis non possit QUÆSTIO 71. D valere alteri per viam meriti quod justitiæ innititur, ad acquirendum statum beatitudinis, ad quam unusquisque ex suo actu disponitur, non ex alieno (quæ enim *Galat.* VI, 8. seminaverit homo, hæc et metet); potest tamen et per viam meriti et per viam orationis, quæ misericordiæ innititur, opus unius valere alteri, vel ad præmium aliquod accidentale, vel ad dimissionem pœnæ peccatis debitæ : tum propter communicantiam in radice operis, quæ caritas est in operibus meritoriis, secundum quod

Ps. CXVIII, 63. dicitur in Psalmo, Particeps ego sum omnium timentium te; tum etiam ex speciali intentione facientis opus ad hoc ut aliis prodesse possit. Hoc enim etiam secundum justitiam humanam contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur.

2. Quum vero caritas, quæ est vinculum membra Ecclesiæ uniens, præsenti
I Cor. XIII, 8. vita non finiatur, possunt et vivorum suffragia mortuis in purgatorio exsistentibus applicari, et propter unionem caritatis qua vivis mortui sociantur, et propter specialem viventium intentionem (non minus quam vivorum inter se sibi mutuo suffragia subveniunt), vel quantum ad diminutionem pœnæ, vel aliquid hujusmodi, quod tamen statum mortui non transmutet de miseria damnationis ad gloriam beatitudinis. Unde secundi Machabæorum
II Mach. XII, 46. duodecimo dicitur : Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

3. Quamvis autem suffragia per peccatores facta non tantum prosint mortuis quantum si per sanctos ac justos fierent, prodesse tamen credenda sunt : tum quantum ad opus operatum, ut est sacrificium altaris, quod sicut et reliqua Ecclesiæ sacramenta ex se ipso efficaciam habet; tum quantum ad opus operans ipsius Ecclesiæ, cujus personam gerit sacerdos iniquus suffragia faciens; tum etiam propter caritatem principalis agentis, qui suffragia fieri disponit.

4. Opus itaque suffragii facienti quidem prodest ad meritum vitæ æternæ, si procedat ex radice caritatis, sicut in Psal-
Ps. XXXIV, 13. mo : Oratio mea in sinu meo convertetur. In quantum vero est expiativum pœnæ per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur, ita absolvit eum pro quo fit ab obligatione pœnæ debitæ, ut tamen non absolvat facientem a debito pœnæ propriæ. Cujus causa est, quia oportet opus satisfactorium adæquari reatui : sed reatus duorum peccatorum majorem satisfactionem requirit, quam
Deut. XXV, 2. reatus unius. Nam secundum mensuram delicti erit et plagarum modus, ut habetur Deuteronomii vicesimo quinto.

ARTICULUS CXCIV.

1. *An suffragia prosint etiam exsistentibus in inferno, in limbo puerorum, et Sanctis exsistentibus in patria.* 2. *An orationibus Ecclesiæ, et sacrificio altaris, et eleemosynis animæ defunctorum juventur.*

1. NULLUS in inferno damnatorum vel limbo puerorum exsistens juvari potest, secundum legem communem, ullis vivorum suffragiis, neque quoad diminutionem pœnæ, neque quoad interruptionem, nec quoad confortationem patientis : tum quia caritate carent, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis; tum quia totaliter ad vitæ terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem : sicut et Sanctis qui inebriati ab ubertate domus Dei immunes *Ps.* XXXV, 9.
sunt ab omni indigentia, juvari non competit per vivorum suffragia : quia ut Augustinus inquit, injuria est in Ecclesia pro martyre orare, cujus nos debemus precibus commendari. Et B. Dionysius ultimo capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ de damnatis inquit : Summus sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc averteretur a divino ordine.

2. Quamvis vero quæcumque bona ex caritate facta pro defunctis, eis valere credenda sint, tamen orationes Ecclesiæ, et sacrificium altaris, et eleemosynæ sunt præcipua mortuorum subsidia. Prosunt enim defunctis vivorum suffragia secundum quod uniuntur invicem caritate, et secundum quod intentio viventis fertur in mortuos. Ad caritatem autem præcipue pertinet sacramentum Eucharistiæ, quum sit sacramentum ecclesiasticæ unionis; Christum continens, in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur. Eleemosyna quoque inter effectus caritatis est opus præcipuum. Sed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipue valet oratio, quæ se-

cundum suam rationem directius respicit ad id pro quo oratur. Unde nec jejunium prodesse potest defunctis, nisi ratione caritatis, et intentionis in defunctos directæ : similiter nec candelæ, nec oleum, nisi in quantum sunt eleemosynæ datæ ad cultum Dei vel in usum Ecclesiæ. Sed et Baptismus, quum sit quædam spiritualis regeneratio, illis dumtaxat est utilis ex opere operato qui regenerantur, id est viventibus : quos Apostolus primæ ad Corinthios quintodecimo baptizari dicit pro mortuis, id est peccatis mortalibus. (I Cor. xv, 29.)

ARTICULUS CXCV.

1. *An indulgentiæ quas facit Ecclesia, etiam mortuis prosint.* 2. *An cultus exsequiarum defuncto prosint.* 3. *An suffragia quæ fiunt pro defunctis, tantumdem valeant aliis quantum illis pro quibus fiunt.*

1. QUUM prælatus Ecclesiæ ex causa convenienti indulgentias facit sub hac forma : Quicumque fecerit hoc vel illud, ipse et pater ejus vel quicumque alius ei adjunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit : talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo prodest. Non est enim aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia Sanctorum merita (quibus innituntur indulgentiæ) in vivos, et non in mortuos.

2. Sepultura humani corporis vivis quidem prodest, dum per hanc nec cadaverum putredine eorum oculi offenduntur, nec fœtoribus corpora inficiuntur. Insuper, et in fide resurrectionis confirmantur, videntes corpora defunctorum non viliter abjici, sed pie et religiose humari. Eadem vero defunctis prodest, non quasi mortuis corporibus aliquis sensus insit, sed quia inspicientes monumenta, memoriam retinent defunctorum, et pro ipsis orant. Quæ si fiat in loco sacro, magis prodest propter preces Sancti cujus se patrocinio commisit, et etiam eorum qui loco sacro deserviunt. Est etiam non inutile cultum aliquem, moderatum tamen, ipsis exsequiis adhibere, tum propter vivorum solatia, tum ut adspicientes ad compassionem et per consequens ad orandum pro defuncto excitentur. Maxime vero curandum, ut ex his sumptibus, vel pauperes fructum referant, vel ecclesiæ ornatus promoveatur : sic enim sepultura inter ceteras eleemosynas computabitur.

3. Sicut in justitia humana aliquis pro aliquo debitum solvens, eum tantum absolvit, non quemlibet alium ; ita et in justitia divina (quæ est exemplar justitiæ humanæ) suffragia quæ per intentionem viventium alicui defuncto destinantur aut applicantur, ei solum valent pro quo fiunt quantum ad remissionem pœnæ, ad quam satisfactio (quæ per suffragia intenditur) proprie ordinatur : quamvis secundum quamdam interiorem consolationem, etiam eis valere possint, qui fuerint magis caritate pleni, licet pro eis specialiter non fiant, quia caritas facit omnia bona communia.

ARTICULUS CXCVI.

De oratione respectu Sanctorum qui sunt in patria : 1. *An Sancti orationes nostras agnoscant.* 2. *An debeamus Sanctos orare ad interpellandum pro nobis.* 3. *An orationes Sanctorum ad Deum pro nobis fusæ semper exaudiantur.*

1. AD perfectionem beatitudinis pertinet ut homo habeat quidquid velit, (Quæstio 72.) nec aliquid inordinate velit. Ergo Sancti cognoscunt intuitu divinæ essentiæ (quæ est sufficiens medium ad cognoscendum omnia) vota et devotiones et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt. Hoc enim ad eorum gloriam pertinet, quia per hoc auxilium præstare possunt indigentibus ad salutem, cooperatores Dei effecti : quo nihil est divinius, secundum B. Dionysium tertio capitulo Cœlestis hierarchiæ. Et idcirco dicit B. Gregorius duodecimo libro Moralium, super

Job xiv, 21. illud Job quartodecimo, Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget : Hoc de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ omnipotentis Dei virtutem et claritatem vident, nullo modo credendum est quod sit foris aliquid quod ignorent.

2. Pertinet etiam hoc ad complementum ordinis universi, secundum B. Dionysium, ut ultima in Deum reducantur per media. Unde sicut mediantibus Sanctorum suffragiis, Dei in nos beneficia deveniunt; ita oportet nos beneficia ejus sumentes, mediantibus Sanctis iterato in Deum reduci. Quare non immerito eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus ut pro nobis orent : sicut et B. Paulus ad *Rom.* xv, 30. Romanos quintodecimo, et plerisque aliis locis, etiam vivorum preces ac intercessiones (quas tamen constat Beatorum orationibus efficaciores non esse) legitur postulasse.

3. Sancti itaque orando pro nobis oratione expressa, secundum quod votis suis aliquid nobis a Deo postulant, semper exaudiuntur, eo quod sic nihil volunt divinæ voluntati contrarium. Quum vero orant oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quemadmodum et sanguis Christi dicitur pro nobis veniam petere : non semper quod sic petunt impetrant, propter indignitatem nostram, qui meritis Sanctorum sumus indigni.

ARTICULUS CXCVII.

De signis quæ judicium præcedent. 1. *An adventum Domini ad judicium præcedent aliqua signa.* 2. *An circa judicium secundum rei veritatem sol et luna obscurabuntur.* 3. *An virtutes cœlorum Domino veniente movebuntur.*

Quæstio 73. 1. ADVENTUM Christi ad judicium venientis multa signa præcedent, ut corda hominum ad subjectionem et reverentiam venturi Judicis adducantur. Hoc enim pertinet ad dignitatem judiciariæ potestatis, quam Dominus in forma gloriosa exercebit. Quia vero, secundum Apostolum primæ ad Thessalonicenses quinto, dies illa Domini sicut fur in nocte ita veniet, quæ sint illa signa, determinate sciri non potest, ut Augustinus dicit ad Hesychium : nam signa quæ in Evangeliis leguntur, frequenter a principio mundi facta sciuntur : nisi forte credamus tunc crebriora et majora futura quam unquam antea fuerint. Signa vero quæ B. Hieronymus recitat, ex annalibus sunt Hebræorum, parum verisimilitudinis habentia. *I Thess.* v, 2.

2. Credibile non est, quod in ipso momento adventus Christi sol et luna obscurentur sui luminis privatione, tum quia tunc totus mundus innovabitur, tum quia secundum Isaiam capitulo tricesimo, lux lunæ erit tunc sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum. Poterit autem esse, quod secundum tempus propinquum ante judicium, obscurentur per divinam virtutem, vel simul vel diversis temporibus, ad hominum terrorem. *Is.* xxx, 26.

3. Virtutum cœlestium nomine si intelligantur omnes angeli, tunc virtutes cœlorum moveri dicuntur in adventu Domini propter admirationem novitatis, quæ tunc in mundo exsistens, stupore quodam percellet omnes angelos. Potest et per virtutes cœlorum designari proprium nomen ordinis cui B. Gregorius quidem attribuit miracula facere : quæ quia tunc frequentiora erunt, ab effectu virtutes cœlorum moveri dicuntur. Si vero secundum B. Dionysium, virtutum officium sit movere cœlestia corpora, tunc virtutes cœlorum moveri dicuntur, quando cessante corporum cœlestium motu, ulterius corpora non movebunt. Unde Job vicesimo sexto, columnæ cœli (per quas non nisi virtutes cœlorum possunt intelligi) dicuntur stupere adventum ejus. Et Matthæi vicesimo quarto dicitur : Stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum movebuntur. *Job* xxvi, 11. *Matth.* xxiv, 29.

ARTICULUS CXCVIII.

1. *An aliqua mundi purgatio sit futura.* 2. *An hæc purgatio sit futura per ignem ejusdem speciei cum igne elementari.* 3. *An ignis ille purgabit etiam cœlos superiores.* 4. *An ignis ille elementa consumet.*

QUÆSTIO 74. 1. QUAMVIS pure corporalia, ut sunt elementa et ea pars mundi quæ in usum nostrum cedit, subjectum culpæ esse non possint, tamen ex culpa in eis commissa ineptitudinem quamdam ad gloriæ susceptionem recipiunt : sicut et loca sacra propter crimina in eis perpetrata, profana et minus idonea fiunt ad cultum Dei ibi peragendum. Quæ, quia propter hominem facta sunt, necesse est ut homine ab omni corruptione et culpæ infectione per corpus glorificato, ipsa quoque in meliorem statum proportionabiliter mutentur et innoventur : secundum quod B. Joannes in Apocalypsi vidisse se perhibet cœlum novum et terram novam, (*Apoc.* XXI, 1.) priori cœlo et terra abeuntibus. Sic enim erit glorificati hominis et locus convenientior, et adspectus nobilior.

2. Hæc autem purgatio, teste B. Augustino, vicesimo de Civitate Dei, mundanorum (id est elementarium) ignium conflagratione futura est, sicut et diluvium mundanarum aquarum inundatione : tum quia lux connaturalis igni maxime convenit cum proprietatibus gloriæ, ad quam purgatio ista disponit; tum quia ignis propter activitatem est ceteris elementis impermixtior; tum denique quod a nostra habitatione remotior, et ob id non tam communis nostris usibus, minus inficitur. Unde secundæ Petri ultimo dicitur, quod cœli ardentes solventur, et elementa ignis (II *Petr.* III, 12.) ardore tabescent.

3. Quia vero cœli superiores non sunt peregrinæ impressionis capaces, nec in eis aliquid reperitur repugnans ultimæ perfectioni universi, nisi tantum motus localis, qui est via ad perfectionem : ideo nec per ignem, neque per alicujus creaturæ actionem purgabuntur; sed tantum oportet motum eorum sola divina virtute quietari, quod eis loco purgationis erit.

4. Elementa aliqua mutari ad formam cœli virtute ignis conflagrationis, secundum philosophiam quidem absurdum est, quum nec materiam communem, nec contrarietatem ad invicem habeant; secundum theologiam quoque, quia sublatis aliquibus elementis, non salvabitur perfectio universi cum integritate suarum partium. Qualitates ergo activæ et passivæ elementorum, propriæ passiones, et effectus formarum substantialium, ab elementis auferri non possunt. Purgabuntur tamen ab infectione quam ex peccato hominum contraxerunt, et ab impuritate quæ per actionem et passionem mutuam in eis accidit, quia jam cessante motu primi mobilis, in elementis inferioribus mutua actio et passio non erit.

ARTICULUS CXCIX.

1. *An omnia elementa per ignem purgabuntur.* 2. *An ignis ultimæ conflagrationis judicium sequetur.* 3. *An ignis ille habebit talem effectum in hominibus qualis designatur.* 4. *An ignis ille reprobos involvet.*

1. QUUM tota sphæra ignis, neque per fumum idololatriæ, neque per quoscumque vapores, peccati infectione vitiata sit, neque per impuritates aliorum elementorum (quorum permixtio ultra medium aeris interstitium non extenditur) contaminata : consequens est elementum ignis per ultimam conflagrationem non purgari : sicut et B. Petrus, secundæ epistolæ tertio, illos tantum cœlos repositos igni (II *Petr.* III, 7.) dicit, qui per aquam diluvii purgati fuerunt, quæ ultra quindecim cubitos supra altitudinem montium non elevabatur.

2. Quia vero simul erit resurrectio communis et Sanctorum corporum glorificatio, secundum quod dicitur primæ ad Corinthios quintodecimo, Seminatur in ignobilitate, surget in gloria : manifeste colligi (I *Cor.* XV, 43.)

potest, quod illa conflagratio, quoad purgationem mundi, judicium præcedet, ut sic tota creatura suo modo simul renovetur, quando corpora Sanctorum glorificabuntur, sicut ad Romanos octavo dicitur,
Rom. VIII, 21. quod ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei : licet quoad involutionem malorum, sententiam Judicis sit secutura, quando
Matth. XXV, 41. dicitur : Ite, maledicti, in ignem æternum.

3. Ignis quoque finalis conflagrationis, quantum ad virtutem suæ naturæ pertinet, similiter aget in bonos et malos qui tunc vivi reperientur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo. Solus enim Christus ab hac incineratione est præservatus,
Ps. XV, 10. de quo dicitur in Psalmo : Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. In quantum vero agit ut instrumentum divinæ justitiæ, sic mali per actionem ignis cruciabuntur. Boni vero in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum
Dan. III, 50. dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri in camino ignis, ut habetur Danielis tertio. Boni vero in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne; subitaneum tamen : tum quia pauca in eis purganda invenientur, propter terrores et persecutiones quas patienter pertulerunt; tum quia brevitas temporis, intensione caloris pensabitur : quæ tamen pro meritorum diversitate, non omnibus æqualis erit.

4. Sicut igitur post diem judicii purgatio quædam erit, qua mali separentur a bonis, secundum quod de Christo dicitur
Luc. III, 17. Lucæ tertio : Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum suum, id est electos, in horreum suum; paleas autem, id est reprobos, comburet igne inexstinguibili : ita et tunc purgatio quædam totius mundi futura est, ut quidquid fuerit turpe et fœdum, in infernum cum reprobis ad augmentum miseriæ remittatur eos involvendo; quidquid vero pulchrum et nobile, conservetur in superioribus ad cumulum gloriæ electorum : sicut dicit Basilius super illud Psal-

A mi, Vox Domini intercidentis flammam ignis. *Ps.* XXVIII, 7. Et in Psalmo de illo igne dicitur, quod inflammabit in circuitu inimicos ejus. *Ps.* XCVI, 3. Idem vero ignis prout purgabit bonos et cruciabit malos, duo ignes dicitur quodammodo, et quantum ad officium, et etiam aliquo modo quoad substantiam : quia quoad calidum ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, descendet ad inferos ad pœnam damnatorum; quod vero est ibi subtile et lucidum, remanebit superius ad gloriam
B electorum.

ARTICULUS CC.

1. *An corporum resurrectio sit futura.*
2. *An resurrectio erit omnium generaliter.*
3 *An resurrectio sit naturalis.*

1. ULTIMUS finis quem naturaliter omnes homines desiderant, est beatitudo. QUÆSTIO 75. Quam quidem in hac vita haberi non posse, ostendit B. Augustinus in fine de
C Civitate Dei, ex fortunæ varietate, humani corporis infirmitate, scientiæ et virtutis imperfectione et instabilitate. Similiter nec in anima sola post hanc vitam consistere potest absoluta hominis beatitudo : tum quia operatio pro qua datur merces beatitudinis, non solius est animæ, sed hominis ex anima et corpore compositi; tum quia animæ status extra corpus imperfectus est, et desiderium ejus naturale non impletum : non enim unitur anima corpori ut instrumento, aut sicut nauta navi,
D vel sicut malo bonum, sed sicut forma materiæ, ut ostendit Philosophus in libro de Anima. Si itaque homo neque in hac vita, neque in anima sola potest esse beatus, necesse est ponere resurrectionem. Et hoc beatus Job fideliter profitetur : Scio, inquiens, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea, etc. *Job* XIX, 25, 26.

2. Necesse est, sicut unum, ita et omnes homines resurgere. Anima enim in perfe-

ctione ultima speciei humanæ esse non potest a corpore separata, nec quoad præmium vel pœnam, nec quoad desiderium omnibus hominibus secundum speciem naturale. Et ob id dictum est Joannis quinto : Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ; et qui audierint, vivent. Et primæ ad Corinthios quintodecimo : Omnes quidem resurgemus, etc.

Joann. v, 28, 25. — I *Cor.* xv, 51.

3. Omnis operatio cujus natura nec principium est nec terminus, est vel miraculosa, sicut glorificatio corporis, vel violenta, sicut impulsio lapidis sursum. Cujus vero operationis natura et principium est et terminus, ea dicitur proprie naturalis, ut est projectio lapidis deorsum. Operatio autem cujus terminus est natura, sed principium est vel supra naturam, sicut illuminatio cæci, vel aliquid aliud, sicut in acceleratione florum et fructuum per artificium facta, non potest simpliciter dici naturalis, sed vel miraculosa, vel artificialis, vel violenta. Quamvis itaque resurrectio terminetur ad vitam naturæ ; tamen quia natura ejus principium esse non potest, neque passivum (hoc enim ad generationem naturalem pertinet, semper habens aliquam potentiam activam respondentem sibi in natura, ut habetur nono Metaphysicæ), neque etiam principium activum, quum illius sit determinato modo per viam generationis ex semine ad productionem hominis agere : consequens est resurrectionem, simpliciter loquendo, miraculosam esse, et non naturalem, nisi secundum quid.

ARTICULUS CCI.

1. *An Christi resurrectio sit causa nostræ resurrectionis ; 2. an vox tubæ. 3. An ad resurrectionem nostram angeli aliquo modo operabuntur.*

Quæstio 76. 1. CHRISTUS, in quantum Deus et homo resurgens, est causa proxima et quasi univoca nostræ resurrectionis : quia eodem principio mediante quo Christus se ipsum ad vitam resuscitavit, id est divina sua virtute, nostram quoque faciet resurrectionem, sicut dicitur ad Romanos octavo : Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra. Et quia ad rationem causæ univocæ requiritur ut producat effectum in similitudine suæ formæ, habebit etiam resurrectio omnium hominum aliquid similitudinis de resurrectione Christi, pro quanto in vita naturæ, in qua omnes erunt Christo conformes, in vitam immortalem omnes homines resurgent. Cui conformitati superaddetur in Sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiam, conformitas quoque quantum ad ea quæ sunt gloriæ. Quare et convenienter dicitur, primæ ad Corinthios quintodecimo, Christus primitiæ dormientium ; et Apocalypsis primo, Primogenitus mortuorum.

Rom. viii, 11. — I *Cor.* xv, 20. — *Apoc.* i, 5.

2. Christus resurgens est causa univoca nostræ resurrectionis : idcirco oportet quod in resurrectione corporum communi, aliquo signo dato Christus resurrectionem operetur. Oportet enim causam et effectum aliquo modo conjungi, ut patet. Quod quidem signum erit, vel vox Christi resurrectionem imperantis, sicut imperavit mari, et cessavit tempestas ; vel ipsa repræsentatio evidens Filii Dei in mundo : quæ etiam vox dicitur, quia Christo apparenti tota natura obediet ad reparationem corporum humanorum, sicut imperanti. Unde et in jussu venire dicitur, primæ ad Thessalonicenses quarto. Dicitur et clamor, quasi præconis ad judicium citantis ; et sonus tubæ, quia resurgentes congregabuntur ad concilium, ad prælium, ad festum : qui fuit usus tubæ in veteri Testamento.

Matth. viii, 26. — I *Thess.* iv, 15.

3. Quantum ad collectionem cinerum et eorum præparationem ad humani corporis reparationem spectat, Deus utetur in resurrectione ministerio angelorum. Nam secundum B. Gregorium quarto Dialogorum, in omnibus quæ a Deo fiunt corporaliter, utitur Deus ministerio angelorum. Et secundum B. Augustinum, sicut corpora

inferiora per potentiora ordine quodam reguntur, ita omnia corpora reguntur a Deo per spiritum vitæ rationalem. Et ad hoc valet quod primæ ad Thessalonicen-
I *Thess.* IV, 15. ses quarto dicitur, quod Dominus in voce archangeli descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent, etc. Unionem vero animæ ad corpus et gloriam corporis ipse Deus faciet sine ministerio angelorum, qui solus animam immediate creat et glorificat.

ARTICULUS CCII.

1. *An tempus resurrectionis differri oporteat usque ad finem mundi.* 2. *An tempus illud sit occultum.* 3. *An resurrectio erit noctis tempore.* 4. *An resurrectio subito fiet, an successive.*

QUÆSTIO 77. 1. ETSI probabile videatur, secundum B. Hieronymum, ad testificandum Christi resurrectionem, quorumdam Sanctorum corpora cum Christo vere resurrexisse ad immortalem vitam : tamen quia esset contra ordinem quem divina providentia statuit rebus, si citra privilegium gratiæ speciale materia inferiorum corporum ad statum incorruptionis perduceretur, manente motu corporum superiorum; ideo humanorum corporum resurrectio differri credenda est usque ad finem mundi, quum motu cœli quiescente, electi om-
Apoc. XX, 4. nes (quos Apocalypsis martyrum nomine expressit) mille annis, id est infinito tempore, cum Christo simul sunt regnaturi. Et propterea Job quartodecimo dicitur :
Job XIV, 12. Homo quum dormierit, non resurget donec atteratur cœlum, nec evigilabit ut consurgat a somno suo. Et loquitur de somno mortis. Et ad Hebræos undecimo
Hebr. XI, 39, 40. dicitur, homines Dei testimonio fidei probatos non accepisse repromissionem, id est plenam corporis et animæ beatitudinem, Deo aliquid melius pro nobis providente, ne sine nobis consummarentur, id est perficerentur.

2. Quum igitur simul erit resurrectio et A finis motus cœli, tempus quod erit usque ad resurrectionem enumerari non potest naturali ratione. Ex motu enim accipitur numerus omnium quæ determinato tempore per naturalem rationem futura prævidentur. Ex motu autem cœli non potest cognosci finis ejus, quia ex eo quod circularis est, habet secundum naturam suam quod in perpetuum possit durare. Similiter nec per revelationem haberi potest : tum ut omnes solliciti sint et parati ad Christo occurrendum; tum quia nec B angeli (quibus mediantibus revelationes fiunt hominibus, secundum B. Dionysium quarto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ) determinate sciunt tempus prædictum, ut patet Matthæi vicesimo quarto : De die *Matth.* XXIV, 36. illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlis. Sed nec Apostoli primitias Spiritus *Rom.* VIII, 23. *Act.* I, 7. habentes, ut patet Actuum primo.

3. Satis tamen probabiliter a quibusdam dicitur resurrectionem fore in crepusculo, sole exsistente in oriente et luna in occidente : tum propter occultationem, quan- C tum ad determinationem temporis; tum quia in tali dispositione sol et luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum. Unde et de Christo dicitur, quod *Matth.* XXVIII, 1; *Marc.* XVI, 9; *Luc.* XXIV, 1. tali hora resurrexit.

4. Quæ in resurrectione fient ministerio angelorum, etsi non fient in indivisibili temporis, fient tamen tempore imperceptibili, propter facultatem operandi quæ competit angelis. Quod autem fiet mediante virtute divina, quæ infinita est, in D instanti fiet et subito. Et hoc Paulus testatur primæ ad Corinthios quintodecimo: Omnes, inquiens, resurgemus in momento I *Cor.* XV, 51, 52. et in ictu oculi.

ARTICULUS CCIII.

1. *An mors sit terminus a quo resurrectionis.* 2. *An omnium resurrectio erit a cineribus.* 3. *An pulveres illi ex quibus corpus humanum reparabitur, aliquam inclinationem naturalem habeant ad animam quæ eis conjungetur.*

Quæstio 78. 1. VERIOR opinio est, quod omnes homines morientur, et a morte resurgent. Primo, quia justitia divina omnes morte damnavit qui ex Adam gignuntur naturaliter. Secundo, quia Scriptura sacra omnium futuram resurrectionem prædixit : quæ proprie non est nisi ejus quod per mortem cecidit, secundum Damascenum. Tertio, quia secundum ordinem naturæ, quod corruptum et vitiatum est (cujusmodi est natura humana) in novitatem non reducitur, nisi corruptione mediante. Et quia vita qua hic vivimus, gubernatur ex influentia motus cœli, ideo oportet ex hac vita discedere eos qui motu cœli quiescente sunt victuri, quemadmodum primæ ad Corinthios quintodecimo dicitur : Quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et loquitur Apostolus sub similitudine seminis de resurrectione corporum. Item ibidem clarius : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur.

1 *Cor.* xv. 36. *Ibid.* 22.

2. Quamvis non omnium hominum corpora comburantur, tamen in communi resurrectione omnes resurgent a cineribus, nisi ex speciali privilegio gratiæ aliquibus indultum sit contrarium, sicut et resurrectionis acceleratio. Cineres enim intelliguntur omnes reliquiæ quæ remanent, humano corpore resoluto : tum propter antiquos, qui mortuorum corpora comburebant, et cineres reservabant; tum propter causam resolutionis, quæ est incendium fomitis, ad cujus purgationem oportet corpus humanum usque ad prima componentia resolvi : quod autem per incendium resolvitur, dicitur in cineres resolvi. Ad quod ulterius adstruendum, valent rationes quibus jam probatum est omnes a morte resurrecturos.

3. In illis autem cineribus nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem, quia sunt vel carnes animalium, vel partes elementorum aut cujuslibet alterius corporis homogenei, quorum non est naturalis inclinatio magis ad hanc quam ad illam animam. Est ergo solum ex ordine divinæ providentiæ, quod hi cineres et istæ elementorum partes magis huic animæ conjunguntur quam illi. Posse autem humanum corpus in elementa resolvi, patet, quia composita ex contrariis possibile est resolvi in ea ex quibus componuntur.

ARTICULUS CCIV.

1. *An anima idem corpus numero resumet in resurrectione.* 2. *An oporteat pulveres humani corporis ad eamdem partem corporis quæ in eos dissoluta est, per resurrectionem redire.*

1. NISI anima ad idem corpus numero redeat quod per mortem deposuit, non erit vera resurrectio. Est enim, secundum Damascenum, resurrectio ejus quod cecidit secunda surrectio. Sed hoc corpus quod nunc gerimus per mortem cecidit : ergo idem numero corpus resurget, et per consequens idem numero homo. Hæresis proinde est, animas iterato conjungi corporibus cœlestibus, vel corporibus in modum venti subtilibus. Neque secundum philosophiam sustineri potest opinio ponentium animas separatas per viam generationis naturalis migrare, vel in corpora brutorum animalium, puta canum, leonum, aut quorumlibet aliorum, quorum se moribus conformasset homo in hac vita, vel etiam in alterius hominis corpus : ut patet per Philosophum in libro de Anima. Quæstio 79.

2. In humano corpore possunt accipi diversæ partes dupliciter : uno modo, diversæ partes totius homogenei; alio modo, diversæ partes totius heterogenei. Licet itaque magis probabile sit secundum congruentiam, quod etiam idem situs partium humani corporis servabitur in resurrectione; tamen quia partium situ variato nullum præjudicium generatur identitati totius, posset materia unius partis totius homogenei redire ad aliam partem ejusdem speciei, salva identitate totius hominis. Materia vero tota unius partis essen-

tialis, et quæ erat de veritate humanæ naturæ, non posset redire in aliam partem totius heterogenei, id est alterius speciei, quia sic non tantum situs, sed etiam identitas partium tolleretur, qua ablata, aufertur et identitas totius.

ARTICULUS CCV.

1. *An omnia membra humani corporis resurgent.* 2. *An capilli et ungues resurgent.* 3. *An humores resurgent.* 4. *An totum quod fuit in humano corpore de veritate humanæ naturæ, resurget in ipso.*

Quæstio 80. Deut. xxxii, 4. 1. OPORTET hominem perfectum resurgere, utpote a Deo (cujus perfecta sunt opera) suscitandum, et qui ad consequendam ultimam perfectionem ordinatur. Sed homo perfectus esse non potest, nisi totum quod in anima continetur implicite, exterius in corpore explicetur. Continet autem anima totum corpus et omnia membra, etiam ut causa efficiens, ut habetur secundo de Anima, et tertio de Animalibus. Ergo necesse est omnia membra quæ nunc sunt in humano corpore, in resurrectione reparari. Si enim aliquod membrorum corpori defuerit, non respondebit corpus animæ ad plenum proportionaliter : quod tamen oportet, non minus quam ad perfectionem artificiati requiritur ut suæ arti respondeat.

2. In partibus corporis animati, quædam ordinantur ad operationes animæ exsequendas, ut sunt cor, hepar, manus et pes ; quædam autem et ad ornatum et ad custodiam aliarum partium, sicut sunt capilli et ungues. Quum ergo homo resurget in omni perfectione suæ naturæ, oportet et pilos et ungues in ipso resurgere. Unde Christus Lucæ vicesimo primo : Capillus (inquit) de capite vestro non peribit. Luc. xxi, 18.

3. Humiditas illa quæ habet aliquam formam determinatam contentam inter partes corporis humani, sicut sanguis et alii tres humores, quos natura ordinat ad membra, quæ ex eis generantur, sed tamen habent aliquas formas determinatas, simul resurgent cum aliis partibus corporis. Pertinent enim ad perfectionem hujus individui resurgentis, non minus quam reliqua membra. Similiter humiditas illa quæ jam pervenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit in corpore individui, quæ jam est dealterata et incorporata membris, et vocatur gluten, quum sit de substantia membrorum, resurget sicut et alia membra. Reliqui vero humores, qui secundum se ad perfectionem individui non spectant, non resurgent, cujusmodi sunt urina, sudor, sanies, semen, lac ; et quicumque humores sunt in via transeundi de forma humoris in formam membri, ut sunt illi quos physici vocant ros et cambium. Quod ergo Apostolus dicit primæ ad Corinthios quintodecimo, Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, de corruptione carnis et sanguinis dictum est, secundum B. Augustinum in epistola ad Consentium. I Cor. xv, 50.

4. Sicut autem in humano corpore natura, forma, et species singularum partium ejus manent continuæ per totam vitam, sed materia partium et resolvitur per actionem caloris naturalis et de novo adgeneratur per alimentum ; non est tamen alius homo numero secundum diversas partes et ætates, quamvis non quidquid est materialiter in homine secundum unum statum, sit in eo secundum alium statum : ita ad hoc quod resurgat homo idem numero, non requiritur quod quidquid fuit in eo materialiter secundum totum tempus vitæ suæ resumatur, sed tantum ex eo quantum sufficit ad complementum debitæ quantitatis. Et præcipue illud resumendum videtur, quod perfectius fuit sub forma et specie humanitatis exsistens.

ARTICULUS CCVI.

1. *An omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili.* 2. *An omnes resurgent ejusdem staturæ.* 3. *An omnes resurgent in sexu virili.* 4. *An omnes resurgent in vita animali.*

Quæstio 81. 1. STATUS ultimæ perfectionis humanæ naturæ est ætas juvenilis, quia ad hanc terminatur motus augmenti, et incipit motus decrementi. Quum ergo homo in maxima perfectione resurgat, omnes in illa ætate resurgent, tam pueri in quibus natura humana ad ultimam perfectionem nondum pervenit, quam senes in quibus jam ab ultima perfectione recessit. Quod testatur Paulus ad Ephesios quarto : Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Christus autem in ætate juvenili resurrexit : quæ secundum B. Augustinum, incipit circa annum tricesimum, qua ætate Christus passus est et resurrexit. *Ephes.* IV, 13.

2. In resurrectione, qua tota humana natura reparabitur, non solum attendendum est quod competit naturæ speciei, sed etiam quod competit naturæ individui. Competit autem naturæ individui, ut aliquem gradum quantitatis assequatur secundum proportionabilitatem caloris extendentis et humidi extensibilis. Quæ quia non sunt ejusdem virtutis in omnibus, ideo non omnes resurgent in eadem quantitate; sed quilibet resurget in illa quantitate ad quam fuisset perductus in termino augmenti per virtutem naturæ suæ propriæ, si ea non errasset aut defecisset. Nam licet natura speciei humanæ quantitatem habeat, quam nec excedat, nec ab ea deficiat ; ea tamen non est accipienda secundum unam mensuram determinatam, sed habet aliquos gradus latitudinis.

3. Quum per resurrectionem sint reparandi defectus naturæ, idcirco nihil eorum quæ ad perfectionem naturæ pertinent, a corporibus resurgentium auferetur. Sicut autem alia membra ad integritatem humani corporis pertinent, ita et ea quæ generationi deserviunt, tam in maribus quam in feminis. Resurgent ergo ea membra in utrisque. Deerit autem confusio mutuæ visionis, quia aberit libido incitans ad turpes actus, ex quibus confusio causatur.

4. Vita animalis ordinatur per generationem ad subveniendum defectui qui per mortem accidit, et ad multiplicationem humani generis; et per comestionem, ad restaurationem deperditi, et ad augmentum quantitatis. Sed in statu resurrectionis genus humanum habebit totam multitudinem individuorum a Deo præfinitam, quia usque ad hoc resurrectio differetur. Similiter etiam quilibet homo resurget in debita quantitate; nec erit ultra mors, aut aliqua deperditio fiet a partibus hominis. Non erit ergo ibi actus generativæ et nutritivæ virtutis. Et ob id Matthæi vicesimo secundo, dicitur, quod in resurrectione neque nubent neque nubentur. *Matth.* XXII, 30.

ARTICULUS CCVII.

1. *An Sanctorum corpora post resurrectionem futura sint impassibilia.* 2. *An impassibilitas erit æqualis omnibus.* 3. *An impassibilitas sensum in actu a corporibus gloriosis excludet.* 4. *An futuri sint ibi omnes sensus in actu.*

1. PROPRIE accipiendo passionem prout est (secundum Damascenum) motus præter naturam, non erit in corporibus Sanctorum potentialitas ad passionem, sed erunt penitus impassibilia. Cujus ista est ratio. Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens : nam alias agens non assimilaret sibi patiens. Corpus autem humanum et quidquid in eo est elementarium qualitatum, erit perfecte subjectum animæ rationali. Quum ergo impossibile sit quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formæ propriæ supra materiam patientis (non enim materia subjicitur uni contrariorum, sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, vel saltem diminuatur) : propterea non poterit in corporibus Sanctorum post resurrectionem ulla actio vel passio provenire a qualitatibus elementaribus, quæ sit contra dispositionem animæ, quæ intendit corpus conservare. Et ergo recte a B. Paulo de corpore glorioso Quæstio 82.

dictum est primæ ad Corinthios quintodecimo : Seminatur in infirmitate, surget in virtute. (I Cor. xv, 43.) Non est itaque opinandum qualitates activas et passivas, quæ sunt elementorum propria accidentia, aut earumdem actiones, auferri a corpore glorioso : harum enim actio ad mixtionem requiritur, et secundum prædominium unius vel alterius efficiuntur diversæ complexiones, quas oportet ponere in corpore resurgentis, quia ibi erunt carnes et ossa et hujusmodi partes, quibus omnibus non competit una complexio.

2. Impassibilitas si consideretur secundum suam causam, quæ est dominium animæ super corpus, causatum ex hoc quod anima fruitur Deo immobiliter; sic erit in uno major quam in alio : est enim in illo qui perfectius fruitur, major impassibilitatis causa. Si vero consideretur secundum se, quia sic solam negationem vel privationem importat; sic non suscipit magis et minus, sed erit omnibus æqualis.

3. Sensum aliquem esse in corporibus Sanctorum omnes ponunt. Alias enim corporalis vita somno magis compararetur quam vigiliæ : quod non competit illi perfectioni, eo quod in somno corpus sensibile non est in ultimo vitæ actu : propter quod somnus vitæ dimidium dicitur, primo Ethicorum. Sed quia in resurrectione natura speciei manebit eadem in homine et omnibus partibus ejus, Sancti tunc sentient : non tamen extra mittendo, sed per receptionem alicujus speciei sensibilis administratæ a rebus quæ sunt extra animam. Est enim natura sensus ut sit potentia passiva (ut in secundo de Anima probat Philosophus) : et ergo de ratione ejus est moveri a proprio activo, quod est res exsistens extra animam. Si enim organum sentiendi non moveatur a rebus, sed vel ab imaginatione, vel aliis viribus superioribus, non erit verum sentire, sed apparens, sicut patet in phreneticis et mente captis. Hoc tamen verum est, quod corpus gloriosum non recipit qualitatem rei sensibilis per immutationem naturalem organi, sicut manus fit calida ex contactu rei calidæ : quia hujusmodi receptio non parit sensum per se, ut patet in inanimatis, et immutat naturam patientis, quod corpori glorioso et impassibili non convenit. Sed recipitur qualitas sensibilis in organis sensuum Beatorum immutatione spirituali : sicut pupilla recipit speciem albedinis, et tamen illa non efficitur alba; secundum quod Philosophus dicit secundo de Anima, quod sensus est susceptivus specierum sine materia. Erit ergo sensus Beatorum in actu, sicut etiam in Apocalypsi dicitur : Videbit eum omnis oculus. (Apoc. I, 7.)

4. Excepto gustu (qui nutritivæ deservit, cujus actus in beatitudine non erit, nisi forte per immutationem linguæ ab aliqua humiditate), erunt omnes sensus Beatorum in actu. Olfactus quidem, quia Ecclesia canit quod odor suavissimus erunt corpora Sanctorum : nam licet evaporatio, quæ in quadam resolutione consistit, requiratur ad hoc quod odor in corporibus humiditate adspersus percipiatur; tamen quia in corporibus gloriosis erit odor in sua ultima perfectione, nulla humiditate adspersus, idcirco immutabit instrumentum sentiendi spirituali immutatione, absque aliqua evaporatione pertingente ad organum sensus. Similiter erit Beatis auditus, non quidem propter disciplinam, qua scientiam acquirant, sed propter perfectionem sensus et delectationem. Unde super illud Psalmi, Exsultationes Dei in gutture eorum, (Ps. CXLIX, 6.) dicit Augustinus, quod corda et linguæ non deficient laudare Deum. De sensu tactus dubium non est, quum sit fundamentum omnium sensuum : sicut nec de visu, cujus tunc actus acutissimus erit, tum propter perspicuitatem medii, id est aeris, tum propter excellentiam diaphaneitatis in pupilla.

ARTICULUS CCVIII.

1. *An subtilitas sit proprietas corporis gloriosi.* 2. *An quæcumque duo corpora, si-*

ve gloriosa, sive non gloriosa, non possint esse simul in eodem loco, nisi per solam virtutem divinam et miraculum. 3. An ex sua subtilitate removeatur a corpore glorioso necessitas exsistendi in æquali loco. 4. An corpus gloriosum ratione suæ subtilitatis sit impalpabile.

QUÆSTIO 83. 1. NOMEN subtilitatis, secundum Philosophum de Generatione, a virtute penetrandi est dictum. Inter corpora vero illis præcipue accommodatur quæ habent parvam quantitatem et parvam materiam. A quibus translatum est ad illa corpora quæ perfectissimo modo suis formis substant : quemadmodum dicimus subtilitatem esse in sole, luna, auro et hujusmodi, quæ perfectissime complentur in esse et virtute suæ speciei. Deinde transfertur etiam ad res incorporeas quantitate et materia carentes : sicut ad intellectum, quem subtilem dicimus, dum pertingit ad inspicienda intrinseca principia rerum et proprietates naturales latentes ; item ad sensum : visus enim subtilis dicitur, qui ad aliquod minimum videndum potest pertingere. Quod itaque Apostolus dicit corpus surrecturum spirituale, non sic intelligendum est, ut quidam hæretici putaverunt, quod per resurrectionem vertendum sit omnino in spiritum : sic enim non resurgeret idem homo, qui ex anima et corpore constat naturaliter. Neque etiam sic est intelligendum quod corpus quidem manebit, sed habebit subtilitatem secundum modum rarefactionis, ita quod erit aerium ac vento simile : quam B. Gregorius quartodecimo Moralium narrat quorumdam fuisse hæresim. Hoc enim esse non potest, quia corpus resurgens erit palpabile, sicut et corpus Christi post resurrectionem, utpote constans ex carnibus et ossibus, ut habetur Lucæ ultimo. Et Job nonodecimo dicitur : In carne mea videbo Deum. Corpus vero aerium non esset palpabile. Quod autem quidam asserunt corpora fore subtilia propter admixtionem quintæ essentiæ, id est cœlestis, apparentiam non habet, quia quinta essentia non admisceretur elementis ex quibus constat corpus humanum, quia non communicant in materia. Illa ergo complexio qua corpora gloriosa spiritualia futura sunt, id est subtilia, erit ex dominio animæ glorificatæ super ipsum corpus, ut sic corpus gloriosum spirituale dicatur quasi omnino subjectum spiritui. Unde Gregorius quartodecimo Moralium : Corpus gloriosum dicitur subtile per effectum spiritualis potentiæ.

I *Cor.* XV, 44. — *Luc.* XXIV, 39. — *Job* XIX, 26.

2. Impossibile est quæcumque duo corpora esse simul in eodem loco, nisi per solam divinam virtutem et miraculum. — Pro cujus evidentia primum excludere oportet opinionem dicentium, sublata per dotem subtilitatis corpulentia, corpus gloriosum nec locum implere, et per consequens nec impedire coexsistentiam sui cum quovis alio corpore in eodem loco. Hoc enim stare non potest. Primo, quia quum (secundum Philosophum quarto Physicorum) vacuum sit locus non repletus corpore sensibili ; corpus autem gloriosum sit corpus sensibile, utputa palpabile (ut patet Lucæ ultimo), et in nullo diminutum quod ad integritatem corporis pertinet, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte naturalium accidentium : insania videtur dicere, quod locus ubi esset corpus gloriosum, esset vacuus, id est non repletus corpore. Corpulentia vero quam dos subtilitatis aufert, quum sit inordinatio quædam materiæ non perfecte substantis suæ formæ, et ob id ad defectum naturæ pertinens (sicut adhærens corpori nihil facit ad hoc quod est replere locum) : ita ipsa sublata nihilo minus est corpus gloriosum repletivum loci. Quod enim aliquod corpus est repletivum loci, hoc habet per illud quod est de integritate suæ naturæ, et non ex aliquo defectu naturæ. Secundo, concesso quod corpus gloriosum non repleat locum, ex hoc tamen male infertur quod propterea non impediat coexsistentiam sui cum alio corpore in eodem loco, quum

Luc. XXIV, 39.

secundum Philosophum quarto Physicorum, et tertio Metaphysicæ, si ponantur dimensiones separatæ sine materia, illæ quidem non replebunt locum, sed tamen non poterunt esse simul cum alio corpore in eodem loco : sicut corpus mathematicum, quod nihil aliud est quam dimensiones separatæ, non potest simul esse cum alio corpore naturali sensibili.

Quo errore excluso, dicendum est quod qua ratione corpus nostrum nunc prohibetur esse simul cum alio corpore in eodem loco, eadem ratione nec duo corpora gloriosa, nec unum corpus gloriosum et aliud non gloriosum, possunt esse simul in eodem loco. Hæc autem ratio est sola quantitas dimensiva, secundum suam definitionem situm requirens : per quam et materia et forma, et quidquid est sensibilium qualitatum, situm habet. Nihil enim potest prohibere corpus aliquod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi hoc quod in eo requirit diversum situm. Nam nihil est impeditivum identitatis, nisi quod est causa diversitatis. Quantitas autem dimensiva removeri non poterit a corpore glorioso per dotem subtilitatis. Manente itaque causa, manet et effectus, etc. Et hinc est quod dicit Boetius libro de Trinitate, quod duobus corporibus unum locum fingere non possumus, ut hanc saltem accidentium varietatem distinctio individuorum requirat.

Quia vero causa prima potest conservare rem in esse, cessantibus causis secundis, ut patet per primam propositionem libri de Causis ; ideo divina virtute, et ea sola, fieri potest quod corpori remaneat esse distinctum ab alio corpore, quamvis ejus materia non sit distincta in situ a materia alterius corporis. Et sic miraculose fieri potest quod duo corpora sint in eodem loco. Unde et beata Virgo peperit Filium miraculose, corpore pueri exeunte, claustro pudoris integro remanente : sicut et
Joann. xx, 19, 26. Christus clausis januis ad discipulos intravit. — Credendum tamen est duo glo-
A riosa corpora nunquam simul fore in eodem loco, tum quia servabitur in eis debitus ordo, qui distinctionem requirit, tum quia unum corpus gloriosum nunquam opponet se alteri.

3. Sed ne per miraculum quidem fieri potest, ut corpus gloriosum sit in minori loco quam sit sua quantitas. Hoc enim fieret : vel per variationem quantitatis circa eamdem materiam, ut scilicet materia quæ nunc subest magnæ quantitati, postea subsit parvæ ; aut quod quantitas
B corporis gloriosi efficiatur minor se ipsa per variationem situs, ita scilicet quod partes gloriosi corporis subintrent se invicem, et sic redeat ad quantamcumque parvam quantitatem. Porro primum repugnat incorruptibilitati, quum nullus motus qui fit secundum aliquid intrinsecum rei, fieri possit sine passione abjiciente a substantia. Sequeretur etiam corpus gloriosum quandoque esse rarius, quandoque densius : quod superius est improbatum. Secundum vero esse non potest, quia re-
C pugnat rectæ dispositioni humani corporis, quæ requirit determinatum situm et distantiam partium.

4. Palpabile dicitur aliquod corpus ex duobus, scilicet ex qualitatibus tangibilibus, et ex hoc quod resistit tangenti ut non transeatur. Corpus ergo gloriosum a natura quidem sua habet qualitates quæ sunt natæ immutare tactum. Tamen sicut tale corpus est omnino subjectum spiritui, habens in sua potestate ut secundum eas immutet tactum, vel non immutet ;
D ita et miraculose divina virtute contingere potest ad nutum ipsius, quod sit cum alio corpore in eodem loco, et sic non resistet ei transeunti. Unde secundum naturam suam palpabile est corpus gloriosum ; sed ex virtute supernaturali ei competit, ut quum non vult, non palpetur a corpore non glorioso. Patet hoc in corpore Christi glorioso post resurrectionem, quod quum voluit, palpandum Luc. xxiv, 39, 31.
præbuit ; quum rursus vellet, cessit et evanuit.

ARTICULUS CCIX.

1. *An corpora gloriosa sint futura agilia.* 2. *An Sancti agilitate sua unquam utentur ut moveantur.* 3. *An movebuntur in instanti.*

QUÆSTIO 84. 1. POST resurrectionem anima beata perfecte dominabitur corpori, tum propter perfectionem virtutis, tum propter habilitationem corporis gloriosi ex redundantia gloriæ ab anima in ipsum : in tantum, ut non solum in ipso nihil sit quod resistat voluntati spiritus, quia hoc etiam fuit in corpore Adæ; sed etiam, sub eadem figura et quantitate, expeditum sit et habile ad obediendum spiritui sine ullo labore in omnibus motibus et actionibus animæ, etiam in his quæ ad sensum pertinent. Qua ratione a B. Paulo dictum videtur primæ ad Corinthios quintodecimo de corpore glorioso : Seminatur in infirmitate, surget in virtute, id est, secundum Glossam, mobile et vivum. Et hæc quidem perfectio, dos glorificati corporis dicitur : non quasi ipse in corpore sit propter dominium quintæ essentiæ (quam constat humano corpori non posse admisceri); sed animæ tribuitur, a qua sicut et gloria in corpus emanat. Siquidem corpus per dotem subtilitatis subjicitur animæ totaliter in quantum est forma corporis, dans ei esse specificum; et per dotem agilitatis subjicitur ei in quantum est motor. Ad cujus indigentiam aut imperfectionem non spectat, quod post resurrectionem corpora gloriosa deferantur in nubibus obviam Christo in aera ab angelis, ut dicit Glossa primæ ad Thessalonicenses quarto, sed reverentiam designat quam corporibus gloriosis et angeli et omnes creaturæ tunc exhibebunt.

I Cor. XV, 43.

I Thess. IV, 16.

2. Corpora Sanctorum aliquando moveri, necessarium est ponere propter corpus Christi, quod motum est in ascensione. Et Sanctorum corpora quæ de terra resurgent, ad cœlum empyreum ascendent. Sed etiam postquam cœlos conscenderint, verisimile est quod quandoque moveantur pro suæ libito voluntatis, ut illud quod habent in virtute, actu exercentes, divinam sapientiam commendabilem ostendant, et ut visus eorum reficiatur pulchritudine creaturarum diversarum, in quibus Dei sapientia eminenter relucebit. Unde Isaiæ quadragesimo dicitur : Current, et non laborabunt; volabunt, et non deficient. Et Sapientiæ tertio : Tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Per quem motum nihil decedet eorum beatitudini, quæ consistit in visione Dei, quem ubique præsentem habebunt : sicut et de angelis dicit Gregorius, quod intra Deum currunt, quocumque mittantur.

Is. XL, 31.

Sap. III, 7.

3. Velocissimum quidem ac imperceptibilem esse motum corporis gloriosi omnino verisimile est, eo quod virtus animæ glorificatæ excedat inæstimabiliter virtutem animæ non glorificatæ : sicut et Augustinus dicit in Quæstionibus de resurrectione, quod corpus gloriosum utraque intervalla pari celeritate attingit ut radius solis. Porro, quum impossibile sit, utpote contradictionem implicans, quod aliqua mutatio habens duos contrarios terminos quorum uterque est aliquid positive, sit instantanea, necessarium est dicere motum corporis gloriosi esse in tempore. Omnis enim motus qui est de extremo in extremum per medium, necessario est in tempore, quia ratio medii est quod prius attingatur a mobili quam extremum, ut patet quinto Physicorum. Prius autem et posterius non sunt nisi in tempore. Omnis autem motus corporis gloriosi est de extremo in extremum per medium : hoc siquidem habet naturæ cursus, quem nulla virtus creata potest immutare, cujusmodi est vis animæ motiva corporis gloriosi. Est ergo omnis motus gloriosi corporis in tempore. Et quia tempus, quantumcumque parvum accipiatur, est in infinitum divisibile, potest unum corpus gloriosum in minori tempore idem spatium pertransire quam aliud.

ARTICULUS CCX.

1. *An claritas inerit corporibus gloriosis.* 2. *An claritas illa videri poterit ab oculo non glorioso.* 3. *An corpus gloriosum necessario videbitur a corpore non glorioso.*

Quæstio 85. 1. CORPORA Sanctorum fore lucida post resurrectionem, Christus ostendit apud Matthæum tertiodecimo (*Matth.* xiii, 43.): Tunc fulgebunt (inquiens) justi sicut sol in regno Patris eorum. Et Sapientiæ tertio (*Sap.* iii, 7.): Fulgebunt justi et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Item primæ ad Corinthios quintodecimo (I *Cor.* xv, 43.), Seminatur in ignobilitate, surget in gloria : quod ad claritatem pertinet, ut patet ex antecedentibus (*Ibid.* 40, 41.), ubi gloria corporum resurgentium comparatur claritati stellarum. Quæ quidem claritas non aliunde causabitur, quam ex redundantia gloriæ animæ in corpus : sicut in vitro resplendet color corporis contenti in eo. Et ideo secundum quod anima fuerit majoris claritatis secundum majus meritum, ita erit et differentia claritatis in corpore, sicut patet primæ ad Corinthios quintodecimo (*Ibidem.*).

2. Poterit autem ea gloriosi corporis claritas videri ab oculo non glorioso. Nam lux seu claritas secundum id quod est, nata est movere visum ; et visus secundum id quod est, natus est lucem percipere. Si ergo esset visus aliquis qui non posset aliquam lucem percipere omnino, vel ille visus diceretur æquivoce, vel lux illa : quod non potest dici in proposito. Est enim claritas gloriæ et claritas naturæ ejusdem generis quantum ad speciem, licet non quantum ad causam. Unde sicut claritas naturæ ratione suæ speciei est proportionata visui, ita et claritas gloriosa. Et hoc experimento probatum est in transfiguratione Christi, quando claritatem corporis ejus oculi discipulorum nondum glorificati viderunt. Impii quoque, quorum non erunt glorificati oculi, videbunt in judicio justorum gloriam, in augmentum sui supplicii, ut habetur Sapientiæ quinto (*Sap.* v, 2.). Sed non plene viderent eorum gloriam, nisi et claritatem ipsorum inspicerent.

3. Quia vero claritas corporis gloriosi provenit ex merito voluntatis, ideo voluntati plene subditur, ut secundum ejus imperium videatur, vel non videatur : adeo ut in potestate hominis gloriosi futurum sit, ut claritatem suam ostendere possit vel occultare, quum velit, citra mutationem alicujus proprietatis quæ sit de perfectione corporis gloriosi. Nam agere vel non agere in aliquod extrinsecum, cujusmodi est actio visibilis secundum quod agit in visum, non facit aliquam mutationem in ipso agente ; et corpus gloriosum est instrumentum summe obediens principali agenti. Et hinc est quod de corpore Christi post resurrectionem legimus Lucæ ultimo (*Luc.* xxiv, 30, 31.), quod quum voluit, videbatur a discipulis, et quum nollet videri, disparuit.

ARTICULUS CCXI.

1. *An corpora damnatorum cum suis deformitatibus resurgent.* 2. *An eorum corpora erunt incorruptibilia.* 3. *An erunt impassibilia.*

Quæstio 86. 1. QUIDQUID defectus vel turpitudinis ex mutilatione vel corruptione vel debilitate naturæ seu principiorum naturalium in corpore fuit, totum in resurrectione removebitur, sicut lippitudo, febris, et similia. Quorum omnium hæc est ratio, quod auctor qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporum integre reparabit. In hac enim reparatione magis attendi naturæ perfectionem quam conditionem quæ prius fuit, etiam hinc evidenter convincitur quia illi qui infra perfectam ætatem decedunt, in statura juvenilis ætatis resurgent. Et primæ ad Corinthios quintodecimo dicitur universaliter de omnibus resurgentibus (I *Cor.* xv, 52.), quod mortui resurgent incorrupti. Quod ergo aliqui asserunt defectus et deformitates in corporibus

damnatorum oportere remanere propter A damnationem, qua ad summam miseriam deputantur, cui nihil possit incommoditatis subtrahi, non est conveniens. Ultima namque damnatorum miseria non excludit omne bonum : quia malum, si sit integrum, corrumpit se ipsum, ut dicit Philosophus quarto Ethicorum. Unde oportet quod miseriæ damnatorum substernatur bonum naturæ in ipsis. Soli proinde defectus qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur, sicut ponderositas, passibilitas, et si- B milia, in corporibus damnatorum erunt. Hos siquidem defectus ab electorum corporibus gloria resurrectionis excludet.

2. Corpora quoque damnatorum, post resurrectionem, cessante motu cœli, corrumpi non poterunt : tum quia hoc divinæ justitiæ deservit, ut perpetuo viventes perpetuo puniantur, secundum quod *Matth.* XXV, 46. dicitur Matthæi vicesimo quinto, Ibunt hi in supplicium æternum ; tum quia corruptio est terminus alterationis, sicut et generatio. Quum autem primum cœlum sit C alterans per motum suum localem, et alia omnia agentia, secunda in virtute ipsius agant et quasi ab ipso mota, oportet quod cœli motu cessante, nihil sit agens, nullaque qualitas quæ possit corpus humanum per alterationem aliquam transmutare a naturali sua proprietate. Remoto enim principio motus, necesse est et ipsum motum removeri.

3. Quia igitur post resurrectionem, motu cœli cessante, non poterit aliquod corpus alterari a sua naturali qualitate, ut D dictum est, nullum corpus pati poterit passione naturæ, quæ est per receptionem consimilis formæ secundum esse naturale materialiter ab agente, sicut recipitur calor ab igne in aere aut ligno. Unde quantum ad hunc modum erunt corpora damnatorum impassibilia, sicut et incorruptibilia. Sed cessante motu cœli, adhuc remanebit passio quæ est per modum animæ (quomodo recipitur aliquid in alio spiritualiter per modum cujusdam intentionis, sicut similitudo coloris recipitur in aere vel in pupilla), quia tunc et aer a sole illuminabitur, et colorum deferet differentias ad visum. Unde secundum hunc modum non erunt corpora damnatorum impassibilia, quia sensibile non solum natum est delectare vel affligere sensum, secundum quod agit actione naturæ confortando vel corrumpendo organum, sed etiam secundum quod agit actione spirituali : quia quando sensibile est in debita proportione ad sentiendum, delectat; econverso autem quando se habet in superabundantia aut defectu. Unde et colores medii et voces consonantes sunt delectabiles ; inconsonantes autem offendunt auditum.

ARTICULUS CCXII.

1. *An cognoscet quilibet homo in judicio omnia peccata sua.* 2. *An poterit quilibet omnia merita et demerita sua et aliena uno intuitu videre.*

1. IN illo extremo ac communi omnium Quæstio 87. hominum judicio, oportet quod omnium operum suorum quisque notitiam habeat. Necesse quippe est, ut testis, accusator, et defensor in quolibet judicio notitiam habeat eorum quæ in judicio versantur. Porro, secundum Apostolum secundæ ad Corinthios quinto, judicandum ibi II *Cor.* V, 10. erit de omnibus operibus bonis et malis ; et unusquisque erit sui ipsius testis, accusator ac defensor, prout dicitur ad Romanos secundo, quod in die quum judicabit *Rom.* II, 16, 15. Dominus, testimonium reddet unicuique sua conscientia, et cogitationes erunt accusantes et defendentes. Hoc autem, teste B. Augustino vicesimo de Civitate Dei, fiet quadam divina virtute, ut cuncta quæ fecerit homo revocentur ei ad memoriam : tali quidem æquissima conditione, ut et boni de peccatis quæ eis per misericordiam relaxata sunt, non doleant, damnatos vero etiam bonorum recordatio (si qua fecerunt) magis torqueat, eo quod eorum

remunerationem ac fructum sua ingratitudine ac negligentia perdiderunt. Est etenim dolor maximus multa bona opera perdidisse.

2. Sicut vero tunc quilibet sua merita vel demerita reducet ad memoriam; ita etiam et aliena suæ subjacebunt cognitioni; ut divina justitia, quæ nunc plerosque latet, omnibus evidenter appareat. Nam sicut oportet judicem et assessorem judicis merita causæ cognoscere ad hoc quod sententiam justam proferant; ita oportet, ad hoc quod justa sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus merita innotescant. Cognoscentur itaque ab impiis quoque peccata justorum, ut Davidis, Petri, Matthæi, Magdalenæ, ac reliquorum, quæ in eis per pœnitentiam deleta sunt: ex hoc enim cognoscetur eorum pœnitentia, per quam pervenerunt ad gloriam omnis erubescentiæ ac verecundiæ nesciam. Est autem credibile de Sanctis, qui omnia in uno ac simplicissimo Deo vident, quod omnia merita et demerita, et sua et aliena, simul in instanti videant. Damnati vero, quorum non est elevatus intellectus ut possint Deum videre, et in eo omnia, singula considerabunt, non tamen in instanti, sed in tempore brevissimo, divina virtute ad hoc adjuvante: sicut Augustinus dicit vicesimo de Civitate Dei, quod omnia mentis intuitu mira celeritate enumerabuntur. Quod tamen impossibile non erit, quia in quolibet parvo tempore sunt infinita instantia in potentia.

ARTICULUS CCXIII.

1. *An generale judicium sit futurum.* 2. *An quantum ad disceptationem fiet per vocalem locutionem.* 3. *An fiet tempore et loco incognitis.*

QUÆSTIO 88. 1. QUEMADMODUM est duplex Dei operatio: una quidem, qua res primitus in esse produxit, instituens naturam, et distinguens ea quæ ad completionem ejus pertinent, a quo quidem opere Deus dicitur quievisse; alia vero, qua operatur in gubernatione creaturarum, de qua Joannis quinto, Pater meus usque modo operatur, et ego operor: ita oportet esse duplex judicium: unum quidem particulare, respondens operationi gubernationis, per quod unusquisque singulariter pro suis operibus judicatur, non solum secundum quod sibi competit, sed secundum quod competit gubernationi universi, ut patet ad Hebræos undecimo; aliud vero judicium universale, respondens primæ rerum productioni in esse, ut videlicet sicut tunc omnia processerunt immediate a Deo, ita tunc ultima completio mundo detur, unoquoque accipiente finaliter quod ei debetur secundum se ipsum. Unde Matthæi duodecimo dicitur: Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam. Et Joannis quinto: Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala, in resurrectionem judicii.

Gen. II, 2. *Joann.* V, 17. *Hebr.* XI, 40. *Matth.* XII, 41. *Joann.* V, 29.

2. Quamvis autem Christus in forma humana judicabit, in qua ab omnibus corporaliter possit videri; probabilius tamen æstimatur, quod totum illud judicium, et quoad discussionem, et accusationem malorum, et commendationem bonorum, et quoad sententiam de utrisque, mentaliter perficietur. Nam Christi apparitio subito fieri poterit. Sed si vocaliter singulorum facta narrarentur, inæstimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur, sicut Augustinus dicit vicesimo de Civitate Dei. Et proinde quæ Matthæi vicesimo quinto dicuntur, non vocaliter, sed mentaliter intelligenda sunt esse perficienda.

Matth. XXV, 34 *et seq.*

3. Quantum itaque ad tempus ac locum illius judicii attinet, probabile quidem videtur, non autem certum aut evidens, quod circa locum montis Oliveti Christus judicaturus descendet, sicut et inde in cœlum ascendit, sicut Joelis tertio dicitur: Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo ibi cum eis. Cognitio vero finis mundi ac tempus

Joel III, 2.

extremi judicii soli Deo reservatur, secun- A
Act. I, 7. dum quod dicitur Actuum primo : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate. Sicut enim Deus operatur quædam in quibus ei nulla creatura cooperatur, ita et cognoscit quædam quæ a nulla pura creatura cognoscuntur : cujusmodi sunt illa quæ soli divinæ subjacent potestati, ut est creatio mundi et ejus terminus. Unde Marci ter-
Marc XIII, 32. tiodecimo : De die illa nemo scit, nec angeli in cœlo, nec Filius scit, nisi Pater. Et
I Thess. V, 2. primæ ad Thessalonicenses quinto : Dies B Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

ARTICULUS CCXIV.

1. *An aliqui angeli et homines cum Christo judicabunt.* 2. *An judiciaria potestas correspondebit voluntariæ paupertati.* 3. *An post diem judicii dæmones exsequentur sententiam Judicis in damnatos.* 4. *An omnes homines tam boni quam mali comparebunt in judicio ut judicentur.* 5. *An angeli in futuro judicio judicabuntur.*

QUÆSTIO 89. 1. LICET vero tota Trinitas judicet per auctoritatem, Filio tamen peculiariter attribuitur judicium, quia secundum humanam naturam omnibus apparebit, tam bonis quam malis. Unde Joannis quin-
Joann. V, 27. to : Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Quum autem assessores judicis debeant judici esse proportionales vel conformes, angelis non competit judicare cum Christo, eo quod D illi secundum humanam naturam, in qua omnibus tam bonis quam malis videri possent, non sint conformes : sed sunt, vel ministri Judicis (ut dicitur Matthæi
Matth. XIII, 41. tertiodecimo : Mittet Filius hominis angelos, et colligent de regno ejus omnia scandala); vel testes humanorum actuum, sub quorum custodia homines bene vel male egerunt. Unde Matthæi vicesimo quinto
Ibid. XXV, 31. dicitur : Quum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo. —

Soli itaque homines sancti ac viri perfecti cum Christo judicabunt, in quantum in eis continentur decreta divinæ justitiæ, ex quibus homines judicabuntur, et in quorum cognitionem alios ducent, ut sciant quid juste pro meritis eis debeatur. Et sic ipsa revelatio justitiæ dicitur judicium : sicut si liber in quo continetur lex, judicare dicatur. Unde Apocalypsis vicesimo dicitur : Judicium sedit, et libri aperti Apoc. XX, 4, 12; Dan. VII, 10. sunt. Et Richardus de S. Victore : Judices, inquit, coram judicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem, inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad judicium pertinent revelare.

2. Judicare multipliciter dicitur. Uno modo, quasi causaliter : ut dicatur illud judicare, unde apparet aliquis judicandus, sicut Matthæi duodecimo dicitur, quod viri Matth. XII, 41. Ninivitæ surgent in judicio, etc. Ex comparatione enim eorum aliqui judicandi ostenduntur. Et sic judicare in judicio communiter est bonorum et malorum. Alio C modo dicitur judicare, quasi interpretative : quomodo illi judicare dicuntur, qui consentiunt judici, ejus sententiam approbando. Interpretamur enim aliquem facere, qui facienti consentit. Et sic judicare est omnium electorum, etiam angelorum. Unde Sapientiæ tertio dicitur : Sap. III, 7, 8. Judicabunt Sancti nationes.

Ceterum, judicare eo modo quem articulo præcedenti posuimus, etsi solis sanctis hominibus conveniat, non tamen concedendum est omnibus convenire; sed illis dumtaxat qui hic in voluntaria paupertate Christum sunt imitati : et hoc, propter tria. Primo, ratione congruitatis, quia in his qui omnibus quæ mundi sunt contemptis, soli Christo inhærent, non est aliquid quod eorum judicium a veritate deflectat. Unde idonei ad judicandum redduntur, quasi veritatem justitiæ præ omnibus diligentes. Secundo, ratione meriti, quia humilitati respondet exaltatio pro merito. Inter omnia autem quæ hominem in hoc mundo despectum faciunt, præci-

pue est paupertas. Unde et pauperibus excellentia judiciariæ potestatis promittitur, ut sic qui propter Christum se humiliat, exaltetur. Tertio, quia paupertas disponit ad prædictum modum judicandi. Est enim prima dispositio in progressu ad perfectionem : in qua habebit homo cor edoctum omni divina veritate, secundum quam aliquis Sanctorum judicare dicitur. Et sic
Job xxxvi, 6. Job tricesimo sexto dicitur : Non salvat impios, et judicium pauperibus tribuit.
Matth. xix, 27, 28. Et super illud Matthæi nonodecimo, Vos qui reliquistis omnia, dicit Glossa : Qui reliquerunt omnia, et secuti sunt Deum, hi judices erunt; qui licita habentes recte usi sunt, judicabuntur.

3. Verius existimandum est, post diem judicii dæmones fore exsecutores sententiæ Judicis in damnatos. Sicut enim ordo servabitur in salvatis, quod quidam a quibusdam illuminabuntur et perficientur, eo quod ordines cœlestis hierarchiæ perpetui erunt ; ita servabitur ordo in pœnis, ut homines per dæmones puniantur, ne totaliter divinus ordo qui angelos medios inter naturam humanam et divinam constituit, annulletur.

4. Congruum quidem est, ut sicut Christus in passionis suæ humilitate sanguinem suum fudit pro omnibus, quantum ad sufficientiam, licet non quantum ad efficaciam; ita omnes in judicio congregentur ad videndam ejus exaltationem in humana natura, secundum quam constitutus
Act. x, 42. est judex vivorum et mortuorum, ut habetur Actuum decimo. Hæc etenim excellentia debetur in præmium illi summæ humilitati quam in passione Christus pro omnibus exhibuit. Unde Apocalypsis pri-
Apoc. i, 7. mo dicitur : Ecce venit in nubibus, et videbit eum omnis oculus. — Sed quum ad judicium duo pertineant, videlicet discussio meritorum, et retributio præmiorum : omnes quidem homines judicabuntur quantum ad receptionem præmiorum, prout Paulus dicit secundæ ad Corinthios
II *Cor.* v, 10 ; *Rom.* xiv, 10. quinto : Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Sed quantum ad discussionem meritorum, illi tantum judicabuntur in quibus est meritorum bonorum cum malis permixtio : cujusmodi sunt soli fideles. Nam ad minus actum fidei laudabilem habent, per quam cives fuerunt, saltem numero, civitatis Dei : quare et judicabuntur sicut cives, in quos sine discussione meritorum sententia mortis non fertur. Si vero super I *Cor.* iii, 12.
fidei fundamentum ædificant lignum, fœnum, stipulam, amantes adhuc sæcularia, et terrenis negotiis impediti, ita tamen quod nihil Christo præponant, sed studeant peccata eleemosynis expiare : tales quantum ad hoc et judicabuntur, et salvabuntur. Discussio ergo meritorum neque in infidelibus locum habet, eo quod sublato fidei fundamento, non est in eis aliqua permixtio bonorum operum vel meritorum ad mala, quæ discussionem requirat ; sed condemnabuntur sicut hostes, qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exterminari. Neque similiter locum habet in quibusdam fidelibus, qui ædificantes super fidei fundamentum aurum, argentum, et lapides pretiosos, divinis servitiis totaliter insistunt, nullam admixtionem notabilem alicujus mali meriti habentes.

5. Directe loquendo, nulli angeli in illo judicio judicabuntur : quia neque pro propriis meritis tunc mercedem accipient, quam in principio receperunt, quibusdam ad beatitudinem sublimatis, aliis vero demersis ad miseriam ; nec judicium discussionis in eis locum habebit, eo quod in bonis nihil mali invenietur, nec in malis angelis quidquam boni ad judicium illud spectans. Sed indirecte judicium illud quodammodo angelos respiciet, in quantum actibus humanis fuerunt commixti, vel inducendo ad bonum, vel incitando ad malum. Qua ratione tunc angeli boni magis gaudebunt ; mali vero tunc amplius torquebuntur : quod ad retributionem alicujus præmii, saltem accidentalis, videtur pertinere.

ARTICULUS CCXV.

1. An Christus in forma servi sit judicaturus. 2. An apparebit in forma humanitatis gloriosa. 3. An ejus divinitus poterit sine gaudio videri.

Quæstio 90. 1. CONVENIENS est ut ipse Christus secundum humanam naturam in finali judicio appareat : tum quia secundum hanc dominium habet super homines ratione redemptionis, sicut dicitur ad Roma-
Rom. xiv, 9. nos quartodecimo, In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur; tum quia finale judicium ad hoc ordinatur, ut aliqui admittantur ad regnum, et aliqui a regno excludantur. Ad regnum autem nemo admitteretur per sola bona creationis, nisi redemptionis beneficium adderetur, propter impedimentum quod naturæ creatæ supervenit ex peccato primi parentis. Et ergo bene dicitur Ac-
Act. x, 42. tuum decimo, quod Christus constitutus sit a Deo judex vivorum et mortuorum.

2. Christus in primo quidem adventu in forma nostræ infirmitatis apparuit. Ad hoc nempe tunc venit, ut pro nobis apud Patrem satisfaceret. In secundo vero adventu in forma gloriosa apparebit, quia quum ad hoc veniet ut justitiam Patris in homines exsequatur, demonstrare gloriam suam debebit, quæ inest ei ex communione ad Patrem. Unde Lucæ vicesimo primo
Luc. xxi, 27. dicitur : Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.

3. Quum vero Deus essentialiter sit ipsa bonitas, non poterit Divinitas ab aliquo intellectu sine gaudio videri. Res siquidem quæ sunt delectabiles per participationem bonitatis, quæ est ratio appetibilitatis et delectabilitatis, possunt apprehensæ non delectare; sed id quod per essentiam suam est bonitas, impossibile est quod ejus essentia apprehensa non delectet. Nihil etenim admixtum habet vel habere potest propter quod non sit delectabilis et appetibilis.

A

ARTICULUS CCXVI.

1. An mundi innovatio sit futura. 2. An motus corporum cœlestium in illa innovatione cessabit. 3. An in corporibus cœlestibus ac elementis claritas augebitur in illa innovatione. 4. An animalia et plantæ tunc remanebunt.

1. AD perfectionem futuræ beatitudinis Quæstio 91. requiritur ut homo divinam essentiam videat, non tantum immediate per B cognitionem intellectivam; sed et per potentiam sensitivam, oculo videlicet carnis, eamdem in suis effectibus corporalibus mediate inspiciat, in quibus manifesta indicia divinæ majestatis apparebunt, et præcipue in carne Christi, et post hoc in corporibus Beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo ne quid solatii desit cognitioni hominis etiam sensitivæ, oportebit alia quoque corpora quæ ministerio hominis sunt subjecta, majorem influentiam divinæ bonitatis suscipe- C re : non quidem speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriæ perfectionem. Et hæc erit mundi innovatio. Unde homine glorificato, simul mundus innovabitur. Propter quod dicitur Isaiæ sexagesimo quinto : Ecce ego creo novos cœlos et no- Is. lxv, 17. vam terram ; et non erunt in memoria priora. Et Apocalypsis vicesimo primo : Vidi cœlum novum et terram novam : pri- Apoc. xxi, 1. mum enim cœlum et prima terra abiit.

2. Quia vero corpus cœleste servit homini, in quantum per motum suum mul- D tiplicatur genus humanum, et generantur plantæ et animalia quæ in usum hominum sunt necessaria, et etiam temperies in aere efficitur, conservans hominis sanitatem : idcirco in illa mundi innovatione, quando completo illo præfinito numero electorum, nec generatio deinceps erit, nec homo alimentis corporalibus indigebit, nec ab aliqua aeris dispositione sanitas ejus dependebit, motus quoque cœli divina voluntate cessabit. Unde tunc neque sol occidet, nec luna minuetur, sic-

Is. LX, 20. ut dicitur Isaiæ sexagesimo. Quare nec ulla dierum ac noctium erit vicissitudo.

3. Innovatio mundi ordinatur ad hoc quoque, ut homo etiam sensu in corporibus quodammodo per manifesta indicia Divinitatem videat. Creatura vero præcipue in Dei cognitionem ducit sua specie et decore, sicut dicitur Sapientiæ tertiodeci-
Sap. XIII, 5. mo : A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit videri creator eorum. Et ideo corpora cœlestia, quorum pulchritudo potissimum in luce consistit, quantum ad claritatem innovabuntur. Unde
Is. XXX, 26. Isaiæ tricesimo dicitur : Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum. — Quum autem corpora inferiora communicent cum cœlestibus in natura lucis et diaphani, ut dicitur secundo de Anima, oportet et ea in hac innovatione maxime perfici secundum claritatem. Unde omnia elementa claritate quadam vestientur. Dicitur enim, quod terra erit in superficie exteriori pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aer ut cœlum, et ignis ut luminaria cœli.

4. Homine itaque ad statum incorruptionis ac perpetuæ quietis resurgente, omnia illa ac sola perire oportet, quæ ad incorruptionem ac quietem nullum omnino ordinem habent : cujusmodi sunt animalia bruta, plantæ, mineralia, et omnia corpora mixta, quæ corrumpuntur et secundum totum et secundum partem : ex parte materiæ quidem, quæ formam amittit ; ex parte formæ vero, quia actu non manet. Mundi siquidem innovatio propter hominem fiet, et ideo oportet hominis innovationi omnia conformari.

ARTICULUS CCXVII.

1. *An intellectus humanus possit pervenire ad videndum Deum per essentiam.* 2. *An Sancti post resurrectionem Deum corporalibus oculis sint visuri.* 3. *An Sancti videntes Deum per essentiam omnia videbunt quæ Deus in se ipso videt.*

A 1. QUEMADMODUM visus non cognoscit albedinem, nisi in eo recipiatur similitudo albedinis secundum rationem suæ speciei ; ita intellectus nullam quidditatem potest intelligere, nisi in eo fiat similitudo ejusdem rationis secundum speciem. Porro intellectus humanus cognoscit quidditatem divinæ essentiæ : in hoc quippe sita est hominis ultima perfectio et beatitudo, sicut patet Joannis septimodecimo : Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Deus ergo ac divina essentia quum sit ens per se subsistens, non habens in se aliquid præter id quod est intelligibile in ipsa, nec sit perfecte repræsentabilis per ullam speciem cujusvis creaturæ, debet esse forma, non solum quæ intelligitur, sed etiam per quam intellectus ipsummet Deum intelligat. Et per consequens intellectus humanus intelligit Deum ac divinam essentiam immediate. Et hoc est quod Paulus dicit primæ ad Corinthios tertiodecimo : Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et primæ Joannis tertio : Quum apparuerit (inquit), similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est. (QUÆSTIO 92. — *Joann.* XVII, 3. — B — C — I *Cor.* XIII, 12. — I *Joann.* III, 2.)

2. Deus autem nullo modo videri potest corporali oculo aut percipi aliquo alio sensu, sicut sensibile per se, nec hic, nec in patria, sensu exsistente utrobique ejusdem rationis. Per se enim sentitur quod per se passionem ingerit sensui corporali : vel sicut sensibile commune, ut sunt D magnitudo, numerus, motus, etc. ; vel sicut sensibile proprium, ut est color respectu visus. Quum autem sensus, in quantum hujusmodi, utatur organo corporali, non potest in eo aliquid recipi nisi corporaliter. Omne enim quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Igitur divina essentia, quæ omnino est incorporea, nequaquam videri poterit aut percipi ullo sensu corporali per se, sed per accidens tantum : quia etsi per se non inferat passionem sensui, neque secundum rationem

communis sensiblis, neque secundum rationem sensibilis proprii: conjungitur tamen ei quod per se potest sensui inferre passionem, utpote corpori Christi. Denique visus corporalis tantam gloriam Dei inspiciet in corporibus et præcipue gloriosis, ex una parte; et ex altera parte, intellectus tam clare Deum videbit, quod in rebus visis Deus percipietur, sicut in locutione percipitur vita. Unde Augustinus in fine de Civitate Dei : Valde credibile est, inquit, nos visuros mundana corpora tunc cœli novi et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem et universa corpora gubernantem clarissima perspicuitate videamus : non sicut nunc invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sed sicut homines mox ut adspicimus, vivere non credimus, sed videmus. *Rom.* I, 20.

3. Notitia Dei est duplex, videlicet : notitia visionis, qua videndo suam essentiam cognoscit omnia quæ sunt, erunt, vel fuerunt, quasi præsentia; et notitia simplicis intelligentiæ, qua videndo suam essentiam, cognoscit omnia ea quæ possunt fieri, quamvis nunquam futura sint. Quum ergo quantitas divinæ potentiæ attendatur secundum ea quæ potest : si aliquis intellectus videret in divina essentia omnia quæ Deus potest facere, tanta esset quantitas in intelligendo, quanta est quantitas divinæ potentiæ in producendo effectus, et ita comprehenderet divinam essentiam : quod est impossibile omni intellectui creato. Et per consequens, est impossibile quod intellectus aliquis creatus, videndo divinam essentiam, cognoscat omnia quæ Deus potest. Illa autem omnia quæ Deus scit notitia visionis, aliquis intellectus creatus cognoscit in Verbo, scilicet anima Christi. Sed de aliis videntibus divinam essentiam dicendum est, quod ante diem judicii non omnia videant quæ Deus videt, eo quod divinam essentiam non comprehendant. Porro post diem judicii, quando gloria hominum et angelorum erit penitus consummata, probabile est quod omnes Beati scient omnia quæ Deus scientia visionis novit : ita tamen quod non omnes omnia videant in divina essentia. Sed anima Christi ibi plene videbit omnia, sicut et nunc videt. Alii autem videbunt ibi plura vel pauciora, secundum gradum quo Deum cognoscent. Et sic anima Christi de his quæ præ aliis videt in Verbo, omnes alias illuminabit. Unde dicitur Apocalypsis vicesimo primo, quod claritas Dei illuminat civitatem Beatorum, et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* XXI, 23.

ARTICULUS CCXVIII.

1. *An beatitudo Sanctorum sit major futura post diem judicii, quam ante resurrectionem fuerit.* 2. *An beatitudinis gradus mansiones dici debeant secundum diversos caritatis gradus distinctæ.*

1. BEATITUDINEM Sanctorum post resurrectionem augeri quidem extensive manifestum est, quia beatitudo tunc erit non solum in anima, sed etiam in corpore : ob quam causam etiam animæ beatitudo augebitur extensive, in quantum anima non tantum gaudebit de proprio bono, sed etiam de bono corporis. Præterea, quum anima perfectius esse habeat in corpore quam extra corpus (unde et naturaliter appetit illi uniri), quanto anima erit post resurrectionem in natura perfectior, tanto et perfectius habebit suam operationem, in qua consistit felicitas : et per consequens, quanto fuerit conveniens animæ operatio perfectior, tanto erit et delectatio major, ut dicitur decimo Ethicorum. Et hoc est quod super illud Apocalypsis sexto, Vidi sub altari animas interfectorum, dicit Glossa : Modo animæ Sanctorum sunt sub, id est in minori dignitate, quam sint futuræ. QUÆSTIO 93. *Apoc.* VI, 9.

2. Diversi modi consequendi finem ultimum, diversæ mansiones dicuntur. In quolibet namque motu, ipsam quietem in fine motus dicimus collocationem seu mansionem. Actus autem appetitus et voluntatis, motus quidam est. Ipsa igitur

assecutio finis appetitivi motus, dicitur mansio aut collocatio in fine. Et ergo licet unus sit locus spiritualis, ac unum objectum beatificum omnium Beatorum, sicut et omnium levium unus est locus corporalis sursum ; tamen quia ex parte Beatorum diversi sunt gradus appropinquandi ad locum illum sive objectum, ideo habent diversas mansiones secundum differentiam spiritualis levitatis, quæ est per caritatem. Ipsa siquidem est principium distinctivum mansionum seu graduum beatitudinis, propinquum et remotum : propinquum quidem, per modum dispositionis in patria, ubi quanto quisque fuerit in caritate perfectior, tanto erit divinæ claritatis capacior ; remotum vero, per modum meriti in viatoribus. Vis enim merendi in omnibus virtutibus, non est ex ipsa substantia actus meritorii, sed ex caritate quæ habet ipsum Deum pro objecto.

ARTICULUS CCXIX.

1. *An Beati qui sunt in patria, miserias damnatorum sine compassione videant.* 2. *An Beati de damnatorum pœnis lætentur.*

Quæstio 94. 1. MISERICORDIA vel compassio hoc modo ex electione rationis nascitur, prout aliquis vult malum alterius repelli. Peccatores autem quamdiu sunt in hoc mundo, possunt sine præjudicio divinæ justitiæ in beatitudinem transferri a statu peccati et miseriæ : et ideo Beatorum compassio ad eos locum habet. Quia vero unumquodque ex comparatione contrarii magis cognoscitur ; ideo ut beatitudo Sanctorum eis magis complaceat, et de ea uberiores Deo gratias agant, datur eis quidem ut miseriam damnatorum videant, secundum quod dicitur Isaiæ ultimo : Egredientur et videbunt cadavera *Is.* LXVI, 24.
virorum qui prævaricati sunt in me. Attamen, quia secundum divinam voluntatem, cui et Sanctorum voluntas est conformis, transferri non possunt ab hac miseria ad beatitudinem ; ideo Beati qui sunt in gloria, secundum rectam electionem nullam compassionem habent ad damnatos.

2. Sancti ergo etsi videant pœnas damnatorum sine ulla compassione, non tamen de eis lætabuntur per se, et in quantum hujusmodi. Hoc quippe spectat ad odium. Porro, quia et in illis damnatorum miseriis considerabunt divinæ justitiæ rectitudinem et suam liberationem, lætabuntur de eis saltem per accidens. Unde in Psalmo dicitur : Lætabitur justus quum *Ps.* LVII, 11.
viderit vindictam ; et Isaiæ ultimo, Erunt *Is.* LXVI, 24.
usque ad satietatem visionis omni carni. Nam et Deus tali modo de damnatorum pœnis lætatur, in quantum scilicet per suam justitiam sunt ordinatæ, sicut Proverbiorum primo dicitur : Ego quoque in *Prov.* I, 26.
interitu vestro ridebo, etc.

ARTICULUS CCXX.

1. *An ponendæ sint aliquæ dotes.* 2. *An ratio dotis distinctæ realiter a beatitudine Christo conveniat.* 3. *An conveniat angelis.* 4. *An convenienter ponantur tres esse animæ dotes, scilicet visio, dilectio, et fruitio.*

1. DOS, secundum primam nominis institutionem ad carnale matrimonium pertinens, est donatio ex parte mulieris, facta his qui sunt ex parte viri, pro onere matrimonii quod vir sustinet : quomodo tertii Regum nono accipitur, ubi dicitur quod Pharao rex Ægypti cepit Gazer et dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. Transfertur autem idem nomen ad significandum aliqua dona quæ divinitus dantur Beatis ad eorum ornatum, quando ad gloriam transferuntur. Quandocumque vero aliquod nomen est positum ad significandum aliquid principaliter, non consuevit transferri ad alia nisi secundum aliquam similitudinem. Donum ergo illud dos vocatur, quod in spirituali matrimonio (quod est inter Christum et Ecclesiam in membris suis, prout Apo- Quæstio 95. III *Reg.* IX, 16.

Ephes. v, 32. stolus dicit ad Ephesios quinto : Sacramentum hoc magnum est, dico autem in Christo et in Ecclesia) datur sponsæ, id est animæ beatæ, quando in domum sponsi traducitur ut præsentialiter sponsum habeat, sive a patre sponsi, id est Christi, quæ est sola persona Patris, sive a patre sponsæ, quæ est tota Trinitas. Et dos hoc modo accepta sic definitur, quod est perpetuus animæ et corporis ornatus, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine jugiter perseverans. Quamvis ergo in hoc spirituali matrimonio non sint aliqua onera, est tamen ibi summa jucunditas : ad quam perficiendam dotes sponsæ per se conferuntur, ut scilicet per eas delectabiliter sponso conjungatur. Et ergo sunt hic maximæ dotes assignandæ. Nam et per eas sponsa ornatur, et ad gloriam et honorem cedunt sponsi, Christi videlicet.

Is. LXI, 10. Unde Isaiæ sexagesimo primo dicitur : Induit me vestimentis salutis, et tanquam sponsam ornatam monilibus suis. Dos enim datur sponsæ quantum ad proprietatem et dominium, sponso autem ad usum : sicut patet in matrimonio corporali, ubi soluto matrimonio remanet dos sponsæ, secundum jura.

2. Christo itaque vel omnino non convenit ratio dotis, vel non ita perfecte sicut aliis Sanctis : quamvis ea quæ dotes dicuntur, excellentissime ei conveniant. Dotes quippe assignantur sponsæ, ut jam dictum est. Christus autem etsi Ecclesiæ sponsus dicatur et sit, nullius tamen sponsa potest appellari, nisi forte secundum regulam Tichonii, in quantum assumit personam sponsæ suæ, id est Ecclesiæ. Per quem modum dici posset habere dotes, non quod ipse habeat, sed quia Ecclesia habet. Nam dotes extra matrimonium vel corporale vel spirituale non reperiri, jam probatum est. Ad matrimonium autem tria requiruntur, videlicet sponsæ ad sponsum subjectio, conformitas naturæ, et distinctio personarum. In conjunctione ergo qua Christus conjungitur Deo per unionem amoris (quam consentaneam

A quidam vocant), nullum est matrimonium, propter defectum subjectionis. Similiter nec in conjunctione humanæ naturæ ad divinam in Christo : quia illa est in unitate personæ et diversitate naturæ. Præterea dos datur sponsæ quando de novo in domum sponsi traducitur, quod separationem præsupponit ; humanitas autem semel a Verbo assumpta, nunquam fuit separata. Licet ergo beatitudinis ratio perfectissime Christo conveniat, non tamen ratio dotis, quia dos a beatitudine

B realiter distinguitur. Beatitudo enim in operatione consistit qua anima beata perfecte Deo conjungitur. Dotes vero dicuntur habitus vel dispositiones, vel quæcumque aliæ qualitates quæ ordinantur magis ad beatitudinem, quam sint ipsa beatitudo, vel partes essentiæ ipsius.

3. Quum vero nec angelis ita proprie conveniat ratio sponsæ sicut hominibus (exigitur enim inter sponsam et sponsum conformitas naturæ, cujusmodi non est inter angelos et Christum) ; ideo ratio do-

C tis non ita proprie eis convenit sicut hominibus : quamvis dubium non sit ea quæ ad dotes pertinent, ita convenire angelis ut hominibus.

4. Dos, sicut nunc dictum est, est qualitas animæ inhærens, per quam ordinatur ad perfectissimam operationem in qua beatitudo consistit. Oportet ergo quod visio, quæ est hujusmodi operationis substantia, sit delectabilis et ex parte objecti, id est visibilis, et ex parte visionis. Ad hoc autem quod visio sit delectabilis ex

D parte visionis, oportet quod sit facta connaturalis per aliquem habitum qui visionem eliciat : et sic est una dos, quæ ab omnibus visio vocatur. Sed ad hoc quod sit delectabilis ex parte visibilis, requiruntur duo, scilicet : primo, quod ipsum visibile sit conveniens : quod fit per affectum. Et quantum ad hoc, ponitur a quibusdam dilectio, et a quibusdam fruitio, secundum quod fruitio ad affectum pertinet. Illud enim quod summe diligimus, convenientissimum æstimamus.

Requiritur etiam ex parte visibilis, conjunctio. Et sic ponitur a quibusdam comprehensio, quæ nihil aliud est quam in præsentia Deum habere, et eum in se ipso tenere; sed secundum alios, fruitio, prout fruitio non est spei, sed jam rei. Sic ergo sunt tres animæ dotes, scilicet visio, dilectio, et comprehensio vel fruitio : respondentes tribus virtutibus theologicis, scilicet visio fidei; spei, comprehensio vel fruitio; caritati vero, dilectio vel etiam fruitio.

ARTICULUS CCXXI.

1. *An aureola sit aliquod præmium aliud a præmio essentiali quod aurea vocatur.* 2. *An aureola differat a fructu.* 3. *An fructus debeatur soli virtuti continentiæ.* 4. *An convenienter tres fructus tribus continentiæ partibus assignentur.*

Quæstio 96. 1. PRÆMIUM illud essentiale beatitudinis, quod ratione caritatis commune est omnibus beatis hominibus, id est perfecta conjunctio animæ cum Deo, corona vocatur, vel aurea : tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur (militia enim est vita hominis super terram, ut dicitur Job septimo) (*Job* vii, 1.); tum ex parte præmii, per quod homo efficitur Divinitatis particeps, et per consequens regiæ potestatis, secundum quod dicitur Apocalypsis quinto : Fecisti nos Deo nostro regnum, etc. (*Apoc.* v,10.) Corona autem est proprium signum regiæ potestatis. Significat etiam corona perfectionem quamdam, ratione circularis figuræ, ut ex hoc etiam perfectioni competat Beatorum. Quum vero præmium debeat respondere merito, oportet quod etiam excellentiæ meriti, quæ est ex modo agendi, respondeat aliqua excellentia in præmio. Et ergo illi operi quod præter communem rationem bonitatis, quæ est ex radice caritatis, etiam ex ipso genere actus quamdam laudabilitatem et specialis certaminis rationem habet, ex debitis circumstantiis, ex habitu eliciente, et A ex proximo fine, debetur quoddam accidentale præmium, id est gaudium quoddam, ratione victoriæ excellentis. Sed quia nihil potest superaddi, quin sit eo minus; ideo præmium istud seu gaudium quod superadditur illi gaudio seu præmio essentiali, quod est de conjunctione animæ ad Deum, non aurea sed aureola vocatur. Unde super illud Exodi vicesimo quinto, Facies alteram coronam aureolam, (*Exod.* xxv, 25.) dicit Glossa : Ad hanc coronam pertinet canticum novum quod virgines tantum B coram Agno cantant. Ex quo videtur, quod aureola sit quædam corona non omnibus, sed quibusdam specialiter reddita. Aurea autem omnibus Beatis redditur. Ergo aureola est aliud quam aurea.

2. Fructus proprie in rebus corporalibus de terræ nascentibus dicitur, et diversos respectus ac conditiones habet. Secundum enim quod dulcedinem habet, reficit et in usum hominis venit; est etiam ultimum ad quod naturæ operatio pervenit; item est illud quod ex agricultura ex- C spectatur per seminationem ac quoscumque alios modos. Porro, quum ea quæ metaphorice dicuntur, possunt varie accipi, secundum adaptationes ad diversas proprietates ejus unde fit assumptio; ideo secundum diversas conditiones fructus corporalis, diversimode fructus spiritualis accipitur. — Quandoque igitur accipitur fructus spiritualis pro eo quod reficit, quasi finis ultimus : secundum quem modum dicimur frui Deo in patria. Virtutes quoque, quæ secundum B. Ambrosium, D mentem reficiunt quadam dulcedine, fructus vocantur secundum illud ad Galatas quinto : Fructus autem spiritus, caritas, (*Galat.* v,22.) gaudium, etc. Denique omne præmium quod in futuro pro nostris laboribus recipimus, fructus potest appellari, secundum illud ad Romanos sexto : Habetis fructum (*Rom.* vi,22.) vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. — Ceterum, accipiendo fructum quodam speciali modo, secundum quod procedit ex semine, qualiter de eo Christus loquitur Matthæi tertiodecimo, (*Matth.* xiii, 23.)

dividens inter fructum tricesimum, sexa- A
gesimum et centesimum : sic fructus distinguitur ab aurea et aureola : quia aurea consistit in gaudio essentiali, quod est de Deo; aureola vero in gaudio quod est de perfectione operis; sed fructus consistit in gaudio quod habet homo, in quantum per quamdam spiritualitatem a carne recedens, magis excultus, paratus atque dispositus fuit ut in eo semen spirituale, quod est verbum Dei, fructum uberiorem faceret.

3. Quum itaque in homine, carnis do- B
minio prævalente, minus sit efficax virtus sementiva spiritualis seminis verbi Dei, illi præcipue virtuti fructus adscribendus est, quæ ab hoc dominio hominem magis liberat. Hoc autem continentia facit. Nam delectationes venereæ, quæ per continentiam cohibentur ac reprimuntur, sunt præ ceteris magis vehementes, et per eas homo magis carni subjicitur : secundum quod Hieronymus dicit, quod in actu carnali Deus Prophetarum corda non tangit; et secundum Philosophum septimo Ethi- C
corum, impossibile est in illa delectatione aliquid intelligere. Et ideo continentiæ magis respondet fructus, quam alii virtuti.

4. Quia vero est quædam spiritualitas necessaria, ea videlicet quæ carnis delectationibus non utitur nisi secundum rectum ordinem rationis, cujusmodi est continentia conjugatorum; et quædam superabundans, per quam homo ab hujusmodi carnis delectationibus spiritum suffocantibus omnino se abstrahit, vel secundum omne tempus, videlicet præteritum, præ- D
sens et futurum, ut est spiritualitas virginum, vel secundum aliquod tempus, ut est spiritualitas viduarum : ideo servantibus continentiam conjugalem, datur fructus tricesimus, vidualem sexagesimus, et virginalem centesimus. Decet enim ut secundum diversum modum spiritualitatis quem continentia facit, diversi fructus distinguantur et assignentur. Cujus et alia ratio assignari posset ex natura numerorum; sed hanc brevitatis causa dimitto.

ARTICULUS CCXXII.

1. *An virginibus debeatur aureola.* 2. *An martyribus debeatur.* 3. *An debeatur doctoribus.* 4. *An Christo debeatur.* 5. *An competat angelis.* 6. *An conveniat etiam corpori.*

1. SI quidem aureola proprie accipiatur, tunc omnibus ac solis illis virginibus aureola proprie debetur, quæ propositum habuerunt virginitatem perpetuo servandi, sive hoc propositum voto firmaverint, sive non : etiam si interruptum fuerit, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitæ inveniatur, quia virginitas mentis reparari potest, non virginitas corporis. Nam ubi est specialis ratio victoriæ, ibi debetur aliqua specialis corona. Per virginitatem vero aliquis singularem quamdam victoriam obtinet de carne, contra quam pugnat continue, ut patet ad Galatas quinto : Spiritus concu- *Galat.* v, 17.
piscit adversus carnem. Quum vero meritum actui virtutis debeatur a caritate imperato; virginitas autem secundum hoc ad genus virtutis spectet, secundum quod perpetua incorruptio mentis et corporis sub electione cadit : patet quod non cuilibet virginitati, sed illi dumtaxat omni et soli corona debeatur quæ aureola vocatur, quæ est a proposito virginitatem perpetuo servandi. Unde Isaiæ quinquagesimo sexto dicitur : Hæc dicit Dominus *Is.* LVI, 4, 5.
Deus eunuchis; et sequitur : Dabo eis nomen melius a filiis et filiabus. Dicit Glossa : Propriam gloriam excellentemque significat. Sed per eunuchos qui se ipsos *Matth.* XIX, 12.
castraverunt propter regnum cœlorum, virgines designantur. Ergo virginitati debetur aliquod excellens præmium : et hoc vocatur aureola.

2. Martyrio quoque aureola debetur sicut et virginitati. Nam sicut per virginitatem perfectissime triumphatur de concupiscentiis carnis, quæ inter omnes passiones interiores sunt magis vehementes; ita et per martyrium triumphatur de morte, quæ inter passiones exterius illatas pri-

mum ac præcipuum locum obtinet : potissimum ea mors quæ propter Christum suscipitur, cujusmodi est mors martyrum. Martyrem quippe non pœna facit, sed causa. Unde Augustinus in libro de Virginitate : Nemo, quantum puto, ausus fuit virginitatem præferre martyrio. Sed virginitati debetur aureola : ergo et martyrio. Qualicumque igitur afflictione propter Christum illata, sive famis, sive carceris, sive vulneris, usque ad mortem continuata, sive mors inde sequatur, sive non, aliquis martyr efficitur et aureolam mereatur : sicut de B. Cæcilia patet, quæ accepto vulnere triduo supervixit. Et quorumdam martyria in Ecclesia celebrantur, qui in carcere mortui sunt, aliquibus vulneribus longe ante susceptis : sicut de Marcello Papa. Si autem afflictio non continuatur usque ad mortem, non propterea aliquis martyr dicetur, sicut patet de B. Silvestro, de quo non solennizat Ecclesia sicut de martyre; quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit.

3. Per prædicationem etiam ac doctrinam de pertinentibus ad salutem, diabolus a cordibus hominum expugnatur sicut quibusdam spiritualibus armis, de quibus dicitur secundæ ad Corinthios decimo : Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia. (*II Cor.* x, 4.) Ea vero est perfectissima victoria, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit (quod fit per virginitatem ac martyrium), sed etiam expellit eum, et non solum a se, sed etiam ab aliis. Et ideo quibuscumque licite actum prædicationis et doctrinæ exercentibus aureola debetur, non minus quam virginitati ac martyrio. Unde super illud ad Ephesios primo, Ut sciatis quæ sit supereminens, etc., (*Ephes.* I, 18, 19.) dicit Glossa : Quoddam incrementum gloriæ habebunt sancti doctores, ultra id quod alii communiter habebunt. Prælati ergo quamvis officium prædicandi habeant, tamen nisi actu prædicent, aut scribendo Scripturam sacram exponant (hic enim est etiam quidam docendi modus), aureolam non habebunt. Corona quippe non debetur habitui, sed actuali pugnæ, secundum illud secundæ ad Timotheum secundo : Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. (*II Tim.* II, 5.)

4. Quamvis vero id quod est in Christo non habeat rationem aureolæ, tamen est excellentius omni aureola. Illis siquidem competit habere aureolam, in quibus est aliqua perfectionis victoriæ participatio, secundum imitationem ejus in quo perfectæ victoriæ ratio plena consistit. In Christo autem invenitur hujus victoriæ plena et principalis ratio, per cujus victoriam omnes victores constituuntur : ut patet Joannis sextodecimo, Confidite, ego vici mundum; (*Joann.* XVI, 33.) et Apocalypsis quinto, Ecce vicit leo de tribu Juda. (*Apoc.* V, 5.) Ideo Christo non competit habere aureolam, sed id unde omnes aureolæ originantur. Unde dicitur Apocalypsis tertio : Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici et sedeo in throno Patris mei. (*Ibid.* III, 21.)

5. Nec angeli aureolam habent ratione eorum propter quæ hominibus aureola debetur. Aureola enim respondet cuilibet perfectioni excellenti in merito. Ea autem quæ in hominibus ad perfectionem meriti pertinent, angelis sunt connaturalia, ut est virginitas; vel etiam spectant ad communem statum eorum, sicut doctrina qua docent homines; aut etiam ad ipsum præmium essentiale ipsorum, sicut perpetua incorruptio spiritus, quæ in eis est de necessitate salutis, quum in eis non possit subsequi reparatio post ruinam.

6. Aureola quidem est principaliter in mente, quum sit gaudium de illis operibus quibus debetur aureola ; sed per quamdam redundantiam refulget etiam in corpore vel in carne. Sicut enim ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis; ita verisimile est ex gaudio aureolæ resultare aliquem decorem in corpore, ut sic merito quod exercetur per corpus, respondeat etiam præmium et in anima et in corpore.

ARTICULUS CCXXIII.

1. *An convenienter tres aureolæ designentur, virginum scilicet, martyrum et doctorum.* 2. *An virginum aureola sit inter alias potissima.* 3. *An unus aureolam virginitatis vel martyrii vel doctoris excellentius alio habeat.*

1. QUUM itaque sint tantum tres privilegiatæ victoriæ, in tribus pugnis quæ cuilibet homini imminent; ideo tres tantum aureolæ assignantur. Aut enim victoriam quis obtinet contra delectationes venereas (quæ sunt reliquis delectationibus vehementiores) : et sic est aureola virginibus debita; aut contra mundum, quando videlicet persecutiones mundi aliquis usque ad mortem sustinet, quæ in hac pugna est præcipua victoria : et sic secunda aureola debetur martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent. Doctoribus vero ac prædicatoribus tertia debetur aureola, quia in pugna qua contra diabolum pugnatur, illa censetur potissima, quando aliquis diabolum non solum a se, sed etiam a cordibus aliorum removet : quod fit per prædicationem et doctrinam. Sive igitur, secundum quosdam, distinguantur tres aureolæ secundum potissimos trium virium animæ actus (ut videlicet aureolam doctorum dicamus respondere potissimo actui rationalis, qui est veritatem fidei etiam in aliis diffundere; aureolam vero martyrum, potissimo actui irascibilis, qui est mortem propter Christum superare; virginum vero aureolam, potissimo actui concupiscibilis, qui est a delectabilibus carnis penitus abstinere); sive etiam distinguantur secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur, utpote in eo quod fuit doctor, martyr et virgo : constat nihilo minus tantum tres distingui aureolas.

2. Simpliciter quidem loquendo, aureola martyrum inter omnes est potior. Aureola enim secundum propriam rationem respicit victoriam et pugnam : sed pugna mar-
A tyrum est fortior, et vehementius affligens. Porro, quantum ad aliquid, nihil prohibet alias aureolas excellentiores esse. Pugna enim carnis est periculosior, in quantum est diuturnior, et magis nobis imminet e vicino quam pugna martyrum. Aureola quoque doctorum, ratione eorum de quibus est pugna, inter omnes est potior, quia hujusmodi pugna versatur circa intelligibilia, aliæ vero pugnæ circa sensibiles passiones.

3. Est autem non tantum una aureola
B potior alia, puta aureola martyrum potior quam aureola virginum ; sed etiam una aureola, videlicet virginitatis, martyrii vel doctoris, potest in uno esse major quam in alio. Aliquid enim intenditur et remittitur per intensionem et remissionem suæ causæ ; meritum autem, quod est causa aureolæ, potest esse majus et minus : unde et aureola potest esse major et minor, sicut patet in duobus quorum unus sustinet gravius martyrium, aut frequentius docet ac prædicat quam alius. Et quia in-
C tensioni meriti quæ attenditur penes radicem caritatis, non respondet intensio aureolæ, sed aureæ; intensioni vero meriti quæ est ex genere actus, respondet intensio aureolæ : fieri potest quod aliquis qui minus in martyrio meretur quantum ad essentiale præmium, habeat pro martyrio majorem aureolam.

ARTICULUS CCXXIV.

1. *An damnati in inferno sola pœna ignis*
D *affligantur.* 2. *An vermis quo affliguntur impii, sit vermis corporalis.* 3. *An fletus qui erit in damnatis, sit corporalis.* 4. *An damnati sint in tenebris corporalibus.*

1. HOC divinæ justitiæ convenit, quod Quæstio 97.
peccatores, qui ab uno recedentes, in rebus materialibus, quæ sunt multæ et variæ, finem suum posuerunt, multipliciter et etiam ex multis affligantur. Quamobrem non tantum ignis, sed quidquid est ignobile et fæculentum in elementis, in

infernum projicietur ad pœnam damnatorum, secundum Basilium, ut sic ex omnibus creaturis tormentum damnatis accrescat, secundum illud Sapientiæ quinto:
Sap. v, 21. Pugnabit cum illo orbis terræ contra
Ps. x, 7. insensatos. Et in Psalmo dicitur : Ignis, sulfur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quod vero (secundum illud Job
Job xxiv, 19. vicesimo quarto) transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium, nullum eis omnino refrigerium præstabit hujusmodi pœnarum vicissitudo aut varietas : quia passio ab exterioribus non erit per transmutationem corporis a sua pristina naturali dispositione; sed per actionem spiritualem, secundum quod sensibilia agunt in sensum secundum esse spirituale, et non secundum esse materiale.

2. Vermis ille qui in damnatis ponitur
Judith xvi, 21. (Judith sextodecimo : Et dabit ignem et vermes in carnes eorum; et Ecclesiastici
Eccli. vii, 19. septimo, Vindicta carnis impii, ignis et vermis), non debet intelligi esse materialis, quia sicut jam supra probatum est, innovato post diem judicii mundo, non remanebit aliquod animal aut corpus mixtum, nisi corpus hominis tantum. Dicitur autem conscientiæ remorsus, vermis spiritualis, quia ex putredine peccati oritur, et animam affligit, sicut corporalis vermis ex putredine ortus affligit pungendo. Unde Augustinus vicesimo de Civitate Dei : In pœnis malorum inexstinguibilis ignis et vivacissimus vermis, ab aliis atque aliis aliter atque aliter est expositus. Alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam recensent ; alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem : quod credibilius esse videtur.

3. Post diem judicii, quiescente motu cœli, non erit aliqua generatio, vel corruptio, vel corporalis alteratio : sicut superius est ostensum. Quantum ergo ad lacrimarum resolutionem, non poterit esse fletus corporalis in damnatis. In lacrimarum enim resolutione oportet esse illius humoris generationem qui per lacrimas distillat. Quum vero corpora damnatorum non solum ab exteriori, sed etiam ab interiori affligantur, secundum quod corpus immutatur ad passionem animæ in bonum vel in malum : quantum ad hoc fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem, secundum quamdam commotionem et turbationem capitis et oculorum, respondentem delectationi culpæ, quæ fuit in anima et in corpore.

4. Simpliciter quidem loquendo, infernus est locus tenebrosus : tum ratione situs localis, quia in terræ medio ubi infernus ponitur, non potest esse ignis nisi fæculentus et turbidus, et quasi fumosus ; tum ex commassatione et compressione corporum damnatorum, quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni, quod ibi nihil de aere manebit : et sic non erit ibi aliquid de diaphano, quod possit esse subjectum lucis, nisi oculi damnatorum, qui erunt obtenebrati. Unde Matthæi vicesimo secundo dicitur : Ligatis manibus *Matth.* xxii, 13.
et pedibus, projicite eum in tenebras exteriores. Super quod dicit Gregorius : Si ignis ille lucem haberet, in tenebras exteriores nequaquam mitti diceretur. Sed quia dispositio inferni talis erit quod maxime miseriæ competat damnatorum, ideo ex divina dispositione erit ibi aliquid luminis, quod sufficiat ad videndum illa quæ animam torquere possint. Visio quippe etsi secundum se sit delectabilis, ut dicitur in principio Metaphysicæ, tamen per accidens contingit visionem esse afflictivam, in quantum videmus aliqua nobis nociva, vel nostræ voluntati repugnantia. Et hoc est quod Gregorius nono libro Moralium super illud Job, Sempiternus hor- *Job* x, 22.
ror inhabitat, dicit : Quamvis ignis illic ad consolationem non luceat, tamen ut magis torqueat, ad aliquid lucet : nam sequaces quos secum traxerunt de mundo reprobi, flamma illustrante visuri sunt.

ARTICULUS CCXXV.

1. *An ignis inferni, quo cruciabuntur corpora damnatorum, sit corporeus.* 2. *An ignis*

ille sit ejusdem speciei cum igne isto corporeo quem videmus. 3. *An ignis ille sit sub terra.*

1. IGNIS ille, quo cruciabuntur corpora damnatorum post resurrectionem, etsi corpora materialiter non alteret, agit tamen in ea ad punitionem quadam spirituali actione. Et ideo oportet de illo igne dicere, quod sit corporalis, ac idem secundum substantiam cum igne materiali qui apud nos est, differens secundum punitionis effectum. Corpori namque non potest adaptari nisi pœna corporea. Unde B. Gregorius quarto Dialogorum probat ignem istum esse corporeum, quia reprobi post diem judicii in eum detrudentur. Sicut autem ignis fornacis modificatur ex industria fabri in sua actione, secundum quod competit suæ arti : ita et ignis ille infernalis modificatur ex ordine divinæ justitiæ, cujus est instrumentum, ut non uno modo omnes peccatores cruciet; sed unusquisque, quantum exigit culpa, tantum ab hoc igne sentiet de pœna.

2. Quod vero ignis inferni, quantum ad hoc quod habet de natura ignis, sit ejusdem speciei cum igne qui apud nos est, manifestum est. Quocumque enim modo ignis inveniatur, sive in materia propria, prout est in sua sphæra, sive in materia aliena terrestri, videlicet ut in carbone, aut aeria, ut in flamma; sive hoc sit per violentiam, ut in ferro ignito, sive ex principio intrinseco naturali, ut in sulfure : semper est idem in specie, quantum ad naturam ignis pertinet. Quum vero sit ignotum in qua materia sit ignis inferni, propria videlicet, an aliena, secundum hoc potest ab igne qui apud nos est, specie differre, materialiter consideratus. Potest enim diversitas esse in specie, quantum ad corpora quæ sunt materia ignis, sicut flamma et carbo differunt specie, et lignum igneum et ferrum ignitum. Quod itaque ignis qui apud nos est, lignis nutritur, et ab homine succenditur, propterea est, quia est artificialiter et per

A violentiam in alienam materiam introductus. Sed ignis ille infernalis lignis non indiget, quibus foveatur : quia vel est in propria materia exsistens, vel est in aliena materia non per violentiam, sed per naturam a principio intrinseco. Unde non est ab homine succensus, sed a Deo, qui naturam instituit : secundum quod dicitur Isaiæ tricesimo : Flatus Domini, sicut tor- *Is.* xxx, 33.
rens sulfuris succendens eam.

3. Quamvis per certitudinem ac evidentiam sciri non possit pro statu hujus vitæ,
B in qua parte mundi sit infernus, convenientius tamen est his quæ in Scriptura dicuntur, ut sub terra esse credatur. Hujus autem duas rationes B. Gregorius quarto Dialogorum assignat. Quarum prior est ex ipsa nominis ratione. Infernum enim dicimus quia inferius jacet. Altera est ex hoc quod dicitur Apocalypsis quinto : Ne- *Apoc.* v, 3.
mo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, etc. Ubi hoc quod dicitur, Subtus terram, refertur ad animas exsistentes in inferno. Idem confir-
C mat B. Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram duabus aliis rationibus. Una est, ut quoniam defunctorum animæ carnis amore peccaverunt, hoc eis exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet exhiberi, ut scilicet sub terram retrudantur. Alia est, quod sicut est gravitas in corporibus, ita tristitia in spiritibus, et lætitia sicut levitas. Unde sicut secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora.
D Et sicut conveniens locus gaudio electorum est cœlum empyreum, ita conveniens locus tristitiæ damnatorum est infimum terræ. Et sic Isaiæ quartodecimo dicitur : Infernus subter conturbatus est in occur- *Is.* xiv, 9.
sum adventus tui.

ARTICULUS CCXXVI.

1. *An omnis voluntas damnatorum sit mala.* 2. *An damnati unquam pœniteant de malis quæ fecerunt.* 3. *An damnati recta ra-*

tione et deliberativa possent velle non esse. 4. An damnati in inferno vellent esse alios damnatos, qui non sunt damnati. A

Quæstio 98. 1. VOLUNTAS deliberativa damnatorum, id est, quæ est in eis ex se ipsis, secundum quod est in potestate eorum inclinari in hoc vel in illud per affectum, est in eis solum mala : quia nulla voluntas potest esse bona, nisi in ordine ad ultimum finem ; damnati vero sunt ab hoc fine penitus aversi. Sola itaque voluntas naturalis damnatorum, quæ non est B in eis ex se ipsis, sed ex auctore naturæ, qui hanc inclinationem posuit, poterit esse in eis bona, natura in eis integra ac bona remanente. Sed quia etiam ista inclinatio bona naturalis per eorum malitiam corrumpitur, in quantum hoc bonum quod naturaliter desiderant, sub malis circumstantiis desiderant : ideo etsi aliquod bonum naturaliter velint, sicut vivere, intelligere, et hujusmodi ; tamen quia hoc bonum non bene volunt, non potest eorum voluntas ex hoc bona censeri simpliciter. C

2. Proinde, voluntatis malitia in damnatis perseverante, nec per se de peccatis pœnitebunt : quia peccatum, in eo quod peccatum est, non abominabuntur. Quum vero peccato pœna annexa sit per quam affligentur, ratione illius saltem per accidens pro peccato pœnitebunt. Unde Sapientiæ quinto de damnatis dicitur : Intra se pœnitentiam agentes. *Sap.* v, 3. Et Philosophus quarto Ethicorum dicit, quod pœnitudine replentur mali : mox enim tristantur de D hoc quod male lætati sunt.

3. Quamvis vero non esse, non sit per se eligibile, quum non habeat rationem boni, sed sit boni privatio; quia tamen non esse privat miseriam quæ est maximum malorum, per consequens habet quamdam rationem boni : secundum quod Philosophus quinto Ethicorum dicit, quod carere malo bonum est. Et ideo damnati possunt præeligere non esse, secundum deliberativam rationem. Unde Apocalypsis nono dicitur : In die illa desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis. *Apoc.* ix, 6.

4. Sicut in Beatis erit perfectissima caritas, propter quam de omnibus bonis gaudebunt ; ita in damnatis erit summum odium, per quod de omnibus bonis dolebunt, maxime vero de Sanctorum felicitate. Et ergo cupient omnes esse damnatos; secundum quod in eorum persona dicitur Isaiæ vicesimo sexto : Videant et *Is.* xxvi, 11. confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret.

ARTICULUS CCXXVII.

1. *An damnati habeant Deum odio.* 2. *An damnati demereantur.* 3. *An damnati possint uti notitia quam hic in mundo habuerunt.* 4. *An damnati cogitabunt de Deo.* 5. *An damnati gloriam videant Beatorum.*

1. QUICUMQUE Deum per essentiam vident, eum odio habere non possunt : quia quum ipse sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati displicere. Damnati vero quia Deum per essentiam non vident, sed tantum per effectus justitiæ, possunt eum odio habere. Hujusmodi quippe effectus sunt pœnales, et ob hoc voluntati repugnant. Et secundum hoc in Psalmo dicitur : Superbia eorum *Ps.* lxxiii, 23. qui te oderunt, ascendit semper.

2. Respectu retributionis essentialis, nullum erit meritum in Beatis, nec demeritum in damnatis, nec ante diem judicii, nec postea. Meritum quippe vel demeritum ordinatur ad aliquod bonum vel malum ulterius consequendum : sed quantum ad retributionem essentialem, et ante diem judicii, et postea, est ultima consecutio et bonorum et malorum. Sed quia usque ad diem judicii aliqui trahuntur ad bonum officio bonorum angelorum, et aliqui ad malum instigatione malorum ; ideo respectu præmii accidentalis ac pœnæ secundariæ, possunt augeri meritum et

demeritum usque ad diem judicii, præ- A
cipue in angelis bonis ac malis. Ex hoc enim crescit gaudium bonorum angelorum, et crescit pœna malorum.

3. In damnatis erit actualis cognitio eorum quæ prius fecerunt ; aliter tamen quam in Beatis : quia in Beatis erit ad materiam gaudii, ne quid desit perfectioni beatitudinis ; in damnatis vero, ad augmentum tristitiæ, ut sit eorum consummata miseria. Potest namque cognitio esse ratio tristitiæ, et ex parte cognoscibilium, quæ sunt nata contristare, et ex parte co- B
gnitionis, prout ejus imperfectio consideratur. Et sic damnati considerabunt et mala quæ gesserunt, ex quibus damnati sunt, et bona delectabilia quæ amiserunt. Similiter considerabunt notitiam quam de rebus speculabilibus habuerunt, imperfectam esse, et se amisisse summam ejus perfectionem, quam poterant adipisci. De quibus omnibus dolebunt.

4. Cogitatio vero damnatorum nullo modo erit de Deo secundum quod est ei proprium, scilicet esse bonitatis princi- C
pium : sic nempe sine gaudio de Deo cogitari non potest. Sed quia cogitatio de Deo potest tristitiam inducere, in quantum est ab eo punitio aut aliquid hujusmodi ; ideo damnati cogitabunt de Deo, saltem per accidens, id est secundum id quod est ei quasi accidentale in effectibus ejus.

5. Ad augmentum miseriæ damnatorum spectat, ut non solum ipsi pœnas suas experiantur, sed ut etiam gloriam Beatorum ante diem judicii videant, id est, D
cognoscant Sanctos esse in gloria inæstimabili. Ex hoc enim turbantur et affliguntur, tum propter invidiam, dolentes de felicitate eorum, tum propter hoc quod ipsi talem gloriam amiserunt. Unde dici-
Sap. v, 2. tur Sapientiæ quinto de impiis : Videntes turbabuntur timore horribili. Hac tamen visione ac cognitione post diem judicii privabuntur, ut etiam cognoscant se indignos reputari videre gloriam quam Sancti merentur habere.

ARTICULUS CCXXVIII.

1. *An ex divina justitia inferatur peccatoribus pœna æterna.* 2. *An per divinam misericordiam omnis pœna terminetur, tam hominum quam etiam dæmonum.* 3. *An Christianorum, præsertim opera misericordiæ facientium, pœna per divinam misericordiam terminetur.*

1. QUANTITAS pœnæ respondet quantitati culpæ secundum intensionem Quæstio 99.
acerbitatis, ut secundum quod quis gravius peccavit, secundum hoc ei gravior pœna infligatur. Unde Apocalypsis octavodecimo : Quantum glorificavit se et in *Apoc.* xviii, 7.
deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. Porro pœnæ duratio non respondet culpæ durationi. Sed pro quolibet peccato mortali, quod est contrarium caritati, etiam si in momento fuerit perpetratum, aliquis in æternum a societate Sanctorum expulsus, secundum divinam justitiam æternæ pœnæ addicitur : non minus quam secundum leges humanas aliquis per mortem aut perpetuum exsilium a societate civitatis sine spe redeundi expellitur, propter adulterium, aut quodlibet aliud crimen capitale, licet momentaneum.

Hujus autem plures rationes a Sanctis assignantur. Quarum prima est, quia peccaverunt contra bonum æternum, dum contempserunt vitam æternam, sicut Augustinus vicesimo primo de Civitate Dei dicit : Factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse posset æternum. Secunda ratio, quia in suo æterno peccaverunt. Unde Gregorius quarto Dialogorum : Ad magnam justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccato. Ex hoc ipso etenim quod mortaliter quis peccat, finem suum in creatura constituit. Et quia ad finem vitæ tota vita ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illud peccatum ; et vellet in perpetuum in peccato

manere, si hoc esset sibi impune. Et hoc Gregorius tricesimo quarto Moralium ostendens : Iniqui, inquit, ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in suis iniquitatibus permanere : nam magis appetunt peccare quam vivere. Tertia ratio : quia per peccatum mortale peccatur contra Deum, qui est infinitus. Et ergo quum creatura non sit capax alicujus qualitatis aut pœnæ infinitæ secundum intensionem, requiritur quod sit saltem duratione infinita. Quarta ratio : quia manente culpa, non debet cessare pœna ; culpa autem in perpetuum manet, quia remitti non potest sine gratia, quam post mortem homo acquirere non potest. Quinta ratio : quia ex perpetuatione pœnarum magna utilitas provenit, quia in his divina justitia conservatur. Secundum quod Gregorius dicit in Dialogis : Omnipotens Deus, quia misericors est, miserorum cruciatu non pascitur ; quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sunt etiam hujusmodi pœnæ utiles, ut de his electi gaudeant, dum non solum in Deo vident gaudia quæ perceperunt, sed in illis etiam perspiciant supplicia quæ evaserunt : quatenus tanto magis in æternum divinæ gratiæ debitores se esse agnoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt.

Soli igitur illi a consortio sanctæ civitatis in æternum non separabuntur, qui cum venialibus tantum in caritate hinc discesserunt. Caritas quippe est vinculum prædictam civitatem uniens. Unde secundum divinam justitiam temporalis tantum pœna illis infligitur, vel hic, vel in purgatorio, tanto brevior vel diuturnior, quanto magis vel minus erunt purgabiles.

2. Sicut dæmones, ita et animæ hominum quæ hinc sine caritate decedunt, nunquam sunt a pœna gehennæ liberandæ : dæmones quidem, quia Apocalypsis *Apoc.* xx, 9, 10. vicesimo manifeste dicitur, quod diabo-

A lus, qui seducebat homines, missus est in stagnum ignis et sulfuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum : per quod in Scriptura significari æternitas consuevit. De hominibus vero electis ac reprobis simul dicitur Matthæi vicesimo quinto : Ibunt hi in supplicium æternum, justi vero in vitam æternam. *Matth.* xxv, 46. Sed inconveniens est ponere quod justorum vita quandoque finiatur : ergo et inconveniens est ponere quod reproborum supplicium ter-

B minetur. Quo et Origenis error refellitur, qui misericordiam Dei extendere volens ad dæmones ac damnatorum hominum animas, retraxit eam ab angelis bonis ac salvatis : dicens dæmones ac damnatas hominum animas quandoque a pœna ac miseria liberandas, angelos vero ac beatos homines a beatitudine ad hujus vitæ miserias devolvendos.

3. Quicumque igitur cum peccato mortali decedunt, nec fide, nec quibuslibet misericordiæ operibus, a pœna æterna li-

C berabuntur, etiam post quantumcumque spatium temporis : quia sine caritate non potest aliquid esse Deo acceptum, nec sine ea prodest aliquid ad vitam æternam, ut patet primæ ad Corinthios tertiodecimo. *I Cor.* xiii, 1-3. Fides quoque sola, non tantum ab æterna pœna non liberat (quum fides sine operibus mortua dicatur, Jacobi secundo ; *Jacob.* ii, 20. et Matthæi septimo dicitur : Non omnis qui *Matth.* vii, 21. dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est), verum-

D etiam si quis fidem catholicam teneat, et ei male vivendo contradicat, non minori pœna dignus efficitur, sed majori. Dicitur enim secundæ Petri secundo, quia melius *II Petr.* ii, 21. erat eis viam veritatis non cognoscere, quam post agnitam retroire ab eo quod traditum est illis sancto mandato. Sunt item multi fornicarii, adulteri, et raptores, in operibus misericordiæ se exercentes, aut sua egenis impertientes, aut quæ ab aliis per rapinas atque calumnias extorserunt in eleemosynas refundentes; for-

I *Cor.* VI, 9, 10. nicarii vero, adulteri, ac raptores, regnum A
Dei non possidebunt, ut habetur primæ
ad Corinthios sexto. Sed secundum dictum
Jacob. II, 10. Jacobi secundo, Quicumque totam legem
servaverit, offendat autem in uno, factus
est omnium reus. Ergo quicumque servat legem quoad opera misericordiæ, alia bona opera aut negligens aut contemnens, reatum de transgressione legis incurret, et ita æternaliter punietur a justissimo judice Deo, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

FINIS LIBRI QUARTI ET ULTIMI

DIALOGION

DE FIDE CATHOLICA

PROŒMIUM

M*AGNA et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt* omnes *viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te et magnificabit nomen tuum? quia tu solus pius es. Tu* enim, Domine, *creasti omnia, et propter voluntatem tuam creata sunt.* (Apoc. xv, 3, 4; iv, 11.) *Tu* solus *omnium dominaris,* et *in ditione tua cuncta sunt posita,* quoniam tu *solus æternus* et independens es, cui nulla deest nobilitas. (I Par. xxix, 12; Esther xiii, 9; II Mach. i, 25.) *Digne te invenire non possumus, nec est investigatio sapientiæ tuæ.* (Job xxxvii, 23; Is. xl, 28.)

Porro omne verum omni vero consentaneum est, nec potest esse verum cui veritas contradicit. Propterea quidquid christianæ fidei, quæ utique divinæ auctoritati innititur, dissonat, falsum esse necesse est; nec potest supernaturalis atque theologica veritas naturali aut philosophica ratione confundi. Ideo divinus Apostolus Galatis scribens : Licet, inquit, angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam *Galat.* i, 8.
evangelizavimus vobis, anathema sit. Veritas nempe, quemadmodum beatissimus Augustinus disseruit, propter se ipsam, non propter annuntiantem, sive hominem, sive angelum, acceptanda servandaque est. Unde immobilem evangelicæ veritatis firmitatem demonstrare volens felix Apostolus, repetivit : Sicut prædixi, inquiens, *Ibid.* 9.
et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

Verumtamen, quum duplex sit sapientia, quarum una per revelationem, alia per naturalem inquisitionem innotescit, sit quoque magna (ut videtur) dissensio utriusque : investigandum jam est, quæ harum stabiliori sit fundamento innitens, et si una aliam vincere subjugareque possit. Ut autem et hæc atque similia evidentius fieri queant, in processu per modum dialogii disputatio fiet inter theologum et philosophum, proponente et defendente theologo quod fidei est, philosopho autem quod naturalis ratio dictat.

DIVISIO

LIBER PRIMUS. A solo Deo esse legem christianam.

LIBER SECUNDUS. De unitate divinæ naturæ, ac trinitate Personarum.

LIBER TERTIUS. De creatione distinctioneque rerum.

LIBER QUARTUS. De incarnatione, vita, passione et glorificatione Filii Dei, ac extremo judicio.

LIBER QUINTUS. De præcipuis quibusdam punctis orthodoxæ fidei, Eucharistia videlicet, angelis bonis et malis, prædestinatione, præscientiaque Dei.

LIBER SEXTUS. De Antichristo et fallaciis ejus.

LIBER SEPTIMUS. De probatione fidei christianæ ex lege et Prophetis, et de Judæorum erroribus.

LIBER OCTAVUS. De vita et miraculis Christi atque Sanctorum.

LIBER PRIMUS

DIALOGION
DE FIDE CATHOLICA

LIBER PRIMUS

A SOLO DEO ESSE LEGEM CHRISTIANAM.

ARTICULUS I.

Exordium assertionis Theologi de duodecim articulis fidei.

I Cor. I, 18-24. THEOLOGUS. — *Verbum autem crucis, pereuntibus quidem stultitia est; his vero qui salvi fiunt, virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt ; nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

PHILOSOPHUS. — Quid sibi vult exordium istud? Quod quum nulla ratione fulciatur, inane videtur. Siquidem multa asserere et nihil probare, vanum opinor; et quemadmodum meus ait Averroes, Levitatis est his assentire quæ probari non valent. De-
A nique, quum omnis sapientia omnisque prudentia sit de numero bonorum honorabilium, secundum meum Aristotelem, quomodo asseris eam reprobandam atque perdendam? Insuper, quum sapientia sit divina possessio, secundum Aristotelem, et causa prima sit creans scientiam, ut in libro de Causis quidam de nostris fatetur, irrationabile est quod dicis, Perdam sapientiam sapientium. Præterea similitudo est causa amoris. Quum ergo Deus sit sapiens et prudens, ipse sapientes non abjicit,
B nec prudentes contemnit, sed idiotis atque simplicibus eos præfert. Verumtamen malo audire a te quidnam velit hæc tua doctrina, quam multa arguere antequam sciero quid velis inducere.

THEOLOGUS. — *Nos sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi,* id est philosophorum ; *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo* I Cor. II, 6-8.
C *principum hujus sæculi cognovit.* Sed antequam rationes tuas absolvam, desiderio tuo satisfacere volo. Optas quippe, si rite concepi, ut tibi demonstrem quid utique documenta mea prætendant.

NOTA. — Secuti sumus Coloniensem editionem s. t. n. anni 1534.

Philosophus. — Hoc jam ardentius cupio quam ante, quoniam hæc tua quæ jam profaris eloquia, præsumptuosa mihi videntur. Quod enim nobis te catenus præfers in sapientia tua, morale non arbitror.

Theologus. — Quicumque de aliqua materia disputare contendunt, nisi in aliquibus primis principiis conveniant, stulte laborant : etenim, ut Aristoteles tuus testatur, contra negantem prima principia disputandum non est. Ut ergo fructuosa sit disputatio nostra, videamus quænam sint in quibus convenimus, et tunc demum videbimus quid rationabilius sit in his in quibus dissentimus.

Philosophus. — Placet valde quod dicis. Age ergo. Omnis sapientia atque scientia principia habet, ex quibus conclusiones ejus deducuntur. Ideoque omnis naturalis scientia ex primis principiis per se naturaliter cognitis elicitur atque dependet. Sed et singulæ artes singula habent principia, quæ in arte seu scientia illa præsupponuntur : et hæc principia particularia ad prima principia reducuntur, in quibus ultimata resolutio sistit. Primo igitur, apud me principium est, quod primis principiis contradicere stultum est; secundo, quod omne verum omni vero consonat, quia vero non opponitur nisi falsum; tertio, quod principium naturaliter notum, vel ex primis principiis directe et necessario sequens, inevitabiliter concedendum est ; quarto, quod naturali rationi nunquam contradicendum est, quando secundum lumen naturale recte discurrit, utpote dum demonstrative procedit. Ex his reor, quod nil concedi debeat quod naturali rationi non consonat, et quod extra naturalem ordinem rerum nil fieri possit.

Theologus. — Omnia hæc quæ velut principia habes, tecum concedo. Sed quod ex eis intulisti, nil esse concedendum quod naturali rationi non patet, et extra naturalem entium legem et ordinem nil effici posse, prorsus utique nego : an vero rationabiliter, demum clarebit. Nunc autem A tibi ostendam qualis sit sapientiæ meæ conditio. Est enim ipsa theologica dicta, et supernaturalis atque divina : quoniam non ex naturali ratione, sed divina revelatione innotuit; nec ex principiis per se notis, sed ex fide procedit; nec innititur probationi, sed auctoritati, non humanæ, sed divinæ. Habet quoque quædam velut prima principia, quæ in ipsa præsupponuntur, non ut per se nota, sed sicut soli divinæ auctoritati innixa. Hæc autem principia duodecim sunt, quæ duodecim B articuli fidei appellantur.

ARTICULUS II.

Interrogatio Philosophi circa præinducta.

Philosophus. — Ut cerno, sapientia tua omnino alterius naturæ est a sapientia mea : non enim humanitus inventa est, neque naturalis rationis indagine, sed ut asseris, divina revelatione; neque innititur principiis per se notis, sed auctori- C tati æternæ veritatis. Fateor, et certissime novi, quod divina increataque veritas sit universæ veritatis mensura, a qua omnino impossibile est falsa doceri. Unde nec ambigo quin omnia quæ doctrina tua complectitur, verissima sint, si a Deo sint atque auctoritate stabiliantur illius, qui secundum meum Averroem, est agens infallibile et non errans. Sed unde hoc sciam quod doctrina tua divinitus fluxit? Sunt enim et aliæ sectæ doctrinæ tuæ con- D trariæ, quæ et ipsæ a Deo institutas se adstruunt : quibus tamen non consentio, quoniam naturali rationi directe repugnant. Denique nequaquam videtur quod sapientissimus Deus, qui unicuique providet et influit secundum propriam capacitatem, homini legem donaverit supernaturalem, sed naturalem dumtaxat.

Theologus. — Duo, ut video, tibi ostendenda incumbunt. Nunc enim scire vis quibus argumentis, signis vel evidentiis pateat quod christiana theoria a Deo ma-

navit. Porro paulo ante quæsisti de ipsa sapientia, quæ esset et quid ipsa intenderet. Et ad hæc duo respondebo, ordine quem ipse elegeris.

PHILOSOPHUS. — Utilius mihi apparet ut primo edisseras de ipsa sapientia intentioneque ejus. Et quoniam in nulla scientia proficere quispiam valet, nisi in primis advertat quæ sint scientiæ illius principia, ex quibus totus scientialis processus elicitur; propterea duodecim illa sapientiæ tuæ principia, quæ duodecim articulos fidei appellasti, propone et pande.

ARTICULUS III.

Responsio Theologi ad quæstionem Philosophi de articulis fidei.

THEOLOGUS. — Magna via proficiendi est ordinatus modus discendi. Quæstio quoque sagaciter mota, dignam meretur responsionem. Quia igitur ordinate procedis et sapienter inquiris, efficaciter sapienterque tibi respondere par est.

Primus ergo fidei christianæ articulus est, unum esse Deum; secundus, eumdem in personis esse trinum; tertius, omnia a Deo esse creata; quartus est de justificatione quæ ad gratiam pertinet; quintus est resurrectio mortuorum; sextus, remuneratio meritorum. Alii sex articuli sunt de humanitate Filii Dei, utpote de ipsius incarnatione, conceptione, nativitate ex Virgine, passione, sepultura, resurrectione, descensu ad inferos, ascensu ad cœlos, et adventu ad judicium omnis carnis. Horum punctorum quædam sub uno comprehenduntur articulo : quorum videlicet unum non superaddit alteri specialem ac novam incomprehensibilitatis rationem, quemadmodum passio, mors et sepultura, et si quæ sint alia talia. His fidei nostræ articulis, et omnibus quæ sequuntur ex eis, multo certius atque immobilius credimus, quam vos vestris principiis assentiatis. Nam propter eorum credulitatem

A nulla tormenta horrent fideles, milleque mortes perpessi sunt.

Præterea, propter intellectualem naturam natura sensibilis atque corporea instituta est; intellectualem autem naturam Creator omnipotens, essentialiter bonus, liberalis et pius, propter se ipsum instituit, quatenus eum videret, amaret, eoque frueretur, et in ipso immediate felicitaretur. Hic autem finis omnis creati intellectus supernaturalis est, ad quem ex puris naturalibus nulla creatura pertingere va-

B let. Itaque quatenus fini corresponderent proportionarenturque media, oportebat ut darentur homini supernaturalia media, quibus finem creationis suæ attingat. Hæc vero sunt fides et gratia, atque cetera Spiritus Sancti dona. Et hæc est christianæ sapientiæ intentio : reducere hominem ad principium suum, unireque eum ultimo fini.

Denique, quoniam humana natura in protoplasto parente vitiata est, et damnationi seu prævaricationi veræ beatitudinis

C facta obnoxia, idcirco liberatore salvatoreque eguit, qui eam redemptam ad felicitatem amissam reduceret. Et hic est Christus, cujus crux reprobis subsanna- *I Cor.* I, 18.
tio est, uti in exordio dixi. Hic quippe unigenitus Dei exsistens, a Deo Patre in mundum misericordissime missus est, factusque homo, et mortem (quam non meruit) pro nobis ferens, Patri pro iniquitatibus nostris satisfecit, et ab æterna morte mundum eripuit. Hunc ergo Deum verum et hominem confitemur et credimus, pro

D nobis in mundo conversatum, passum, et ascendisse ad cœlos, hinc quoque rediturum ut judicet orbem in æquitate, ad *Act.* XVII, 31.
cujus adventum omnes resurgent, et resumptis corporibus, prout in præsenti ges- II *Cor.* V, 10.
serunt, recipient. Et ibunt fideles et bo- *Matth.* XXV, 46.
ni in vitam cœlestem, infideles vero in gehennæ tormenta. Porro sine fide im- *Hebr.* XI, 6.
possibile est aliquid boni et meritorium effici.

Ecce ad id quod postulasti, compendiose respondi.

ARTICULUS IV.

Admiratio Philosophi super inductis.

Philosophus. — Quicumque sapientiæ amator est, non jam dumtaxat vera, sed falsa quoque cum tranquillitate sine perturbatione æquanimiter audire debet : ne dum iræ ardore aut impatientiæ passionumque fumo mens ejus obruitur, a veritatis contemplatione impediatur. Quamvis igitur ea quæ asseris plurimum mihi displiceant, et nedum incredibilia, sed et B irrationabilia videantur, æquanimiter tamen ea me audire oportet, quatenus ordinatius ea discutiam atque impugnem.

Theologus. — Non miror, o Philosophe, quod sapientiæ meæ incomprehensibilis altitudo te dejicit, et ad contemptum inducit. Nempe quum ille meus divinissi-
Act. xvii, 16-20. mus Paulus Athenas venisset, et illic discipulis tuis hanc theoriam insinuasset, Stoici ceterique philosophi obstupefacti, dixerunt : Nova quædam infers auribus nostris. Et denuo : Quid, inquiunt, vult C seminiverbius iste dicere? Novorum dæmoniorum annuntiator esse videtur. Verumtamen prius intellige, et sic loquamur. Sæpe equidem videtur aliquid mirabile atque spernendum, quod, rationibus ejus auditis, credibile certumque efficitur.

Philosophus. — Ita prorsus est; sed omnibus hominum legibus sectisque transcursis, non reperio tam admirabilem legem vel sectam ut ista quam approbas. Unde et cunctis sectis incredibilior mihi facta est : propter quod ei credere levissi- D mum reor, si non efficacissimis evidentissimisque argumentis firmetur.

Theologus. — Æquo animo esto, et ve-
Ps. xcii, 5. ritatem lucidissime cernes. Testimonia namque mea credibilia facta sunt nimis, et secundum multitudinem incomprehensibilitatis eorum multiplicata sunt argumenta ipsorum. Nam quo christiana assertio incomprehensibilior est, eo divinitus multiplicius confirmata est, quemadmodum, si sustines me, auditurus mox es.

A Philosophus. — Nunc ergo absolve, si vales, rationes quibus superius probabam non esse decens, ut aliquid a Deo hominibus sola fide credendum tradatur. Dixi quippe levitatis esse, his quæ ratio non capit, assentire. Adjeci postremo, quod quum divina sapientia ordinatissima sit, nulli influit nisi prout natura sua capax exsistit, et ideo naturali legi debet homo esse contentus.

ARTICULUS V.

Responsio Theologi ad objectiones Philosophi.

Theologus. — Temerarius ille tuus Averroes in commento suo super librum de Cœlo et mundo, a tribus hominibus, Moyse, Jesu, et Mahometo, universum mundum deceptum disseruit, eo quod aliam legem quam naturalem docuerint. Sed ego jam tibi ostendam falsitatem ipsius, et quod levitatis non sit assentire christianæ theoriæ.

Nosti namque, ni fallor, Aristotele tuo testante, quod ad cognitionem divinorum intellectus se habet humanus quemadmodum ad lumen solis noctuæ visus. Et sicut Averroes tuus fassus est : sicut se habet materia prima in ordine entium, sic se habet rationalis anima in genere intellectualium substantiarum. Unde innotescit, quod intellectuale lumen in homine debilissimum est. Igitur si lumine gratiæ ipsaque fide non illuminetur et confortetur lumen naturæ, paucam et debilem habebunt homines divinorum notitiam; et hæc ipsa, nec certa erit apud omnes, neque immobilis, præsertim quum inter summos philosophos tanta consistat de Deo atque incorporeis opinionum diversitas : unde vulgus nil certum agnosceret, quia cui amplius adhærendum sit, ignoraret. Porro cognitio ista naturalis de divinis, non nisi studiosis et exercitatis atque subtilibus hominibus certa esse po-

test. Quum ergo paucissimi tales sint, pau- A
cissimi divinorum agnitionem haberent, nisi fides daretur, quæ propter infallibile suum fundamentum, cunctis fidelibus certam atque inconcussam notitiæ veritatem impenderet.

Præterea, præsentis vitæ cognitio quum sit imperfecta, non est ultimata hominum beatitudo, sed est via ad cognitionem perfectam atque felicem. Omnium vero hominum unus est finis ac una felicitas; sed ad eumdem finem omnes pertingere nequeunt, si in via discordent et errent. B
Universis ergo hominibus necessarium est ut idem de Deo atque divinis sapiant, si ad eamdem beatitudinem conscendere debent. Tanta autem uniformitas sine fide luceque gratiæ impossibile exstat : unusquisque enim in suo sensu abundat, et ratio nostra mutabilis est, vaga et debilis. Denique ad sensum elucescit quanta sit philosophorum diversitas, non solum de Deo, sed de intelligentiis quoque ac animabus humanis. Opportunum est ergo ut omnes in unum fidei lumen concurrant, C
idemque sentiant, nec suo quisque innitatur ingenio, sed infallibili æternæ veritatis stabilimento.

Sunt et aliæ rationes cur fidem hominibus tradi decebat : ut videlicet per hoc homo Deo totaliter secundum intellectum subderetur, atque per hoc amplius mereretur, quia assentire ei quod ratio per se ipsam intelligit, meritorium non est, sed naturale. Insuper, quum jam superius dictum sit, posteriusque probandum, quod finis hominis supernaturalis sit, ideo su- D
pernaturali lege opus erat, quæ ad hujusmodi finem perduceret.

Quod autem levitatis non sit fidei adhærere agnosces, quum ea audies quibus tibi ostendam christianam legem a Deo donatam. Nec indecens est a Deo supernaturalem legem præstari, quum finis id postulet, et in hoc major divinæ munificentiæ liberalissima plenitudo reluceat,
Ps. L, 8. dum incerta et occulta sapientiæ suæ tam supereffluenter nobis communicat. Denique per hoc Deo similiores efficimur, et ad futuram beatitudinem in præsenti ordinamur. Nec rursus verum est, quod homo supernaturalium donorum capax non sit : quoniam in omni natura creata est quædam obedientialis potentia, qua beneplacito Creatoris ad nutum obediat ; et per lumen opemque gratiæ, intellectualis creatura super se ipsam provehitur, et omnium divinarum influxionum capax efficitur. Hæc vero in sequentibus lucidius patebunt.

ARTICULUS VI.

Approbat Philosophus dicta Theologi.

Philosophus. — Fortiter, ut intueor, o Theologe, sapientiæ tuæ honorem defendis, et multis mihi jam rationibus persuasisti quemadmodum necessarium decensque fuerit homines fide juvari et instrui. Unde fateor non me rationabiliter amplius huic puncto contradicere posse. Sed quoniam perfectio responsionis tuæ me ad sequentia misit, quia asseris non ex levitate, sed condignis ex causis fidem Christi a tuis esse receptam, ideo ad ea declaranda te transfer, quibus elucescit a Deo legem christianam esse impensam.

Theologus. — Hoc jam diligenter agendum est. Et ut id evidentius fiat, ad primum quæro a te : Quum fides nostra tam incomprehensibilis sit, et lex vitæ christianæ tam ardua, utpote carnales voluptates omnemque sæculi pompam præ omnibus legibus prohibens, et ad incessabilem pœnitentiæ compunctionem inducens, nonne vehementer miraris quemadmodum universus pene mundus ad talem fidem talemque legem induci valebat ?

Philosophus. — Nil magis admiror, præsertim quoniam tot tantique potentes et principes ac sapientissimi viri, etiam in naturali philosophia edocti, ad eas induci valuerunt.

Theologus. — Secundo, interrogo te : Nonne quo doctrina rarior, mirabilior, incomprehensibiliorque consistit, eo homines ad ipsius difficilius inducuntur assensum, pluribus quoque rationibus fortioribusque argumentis opus est ut recipiatur, nisi forte per violentiam aut magicam illusionem homines vel compulsi aut decepti acquiescant ?

Philosophus. — Istud ad experientiam constat verum esse : aliter enim, ut dixi, levitatis esset his credere.

Theologus. — Credis fidem christianam ab illis talibusque hominibus prædicatam per mundum, quemadmodum christiana narrat historia ?

Philosophus. — De hoc te audire volo, et tunc demum consultius respondebo.

Theologus. — Omnium Christianorum hæc una assertio est, quod a discipulis ejus quem colunt, paucis viris (qui et Apostoli dicti sunt, et simplices et illitterati atque ignobiles erant pene omnes, utpote piscatores), fides christiana diffusa edoctaque sit, non violentia armorum, neque subtilitate verborum, quum viri illi pauperrimi atque impotentes ac idiotæ exstiterint, nec aliud quam paupertatem mundique contemptum ac simplicitatem docuerint, quemadmodum usque ad præsens doctrina eorum ejusdemque sectatores testantur.

Philosophus. — Fortassis confinxerunt Christiani hujusmodi illos fuisse tales, ut per hoc fides eorum magis a Deo esse putetur, et non ab hominibus adinventa.

Theologus. — Oportet Christianum et ab his qui foris sunt habere testimonium. (I *Tim.* III, 7.) Igitur per infidelium scripta dicta stabiliam. Lege Josephum Judæorum historiographum, lege Philonem sapientissimum Judæorum, et ex eorum dictis agnosces quod dico. Insuper, nonne tuus Averroes principes Apostolos vilissimos vocavit piscatores atque indoctos ? Nonne simplicitatem Evangelistarum nostrorum sæpe irridet Porphyrius ? Porro si Apostolorum scripta inspicias, clarissime cernes, A quod neque eloquentiæ neque philosophiæ subtilitatibus intendebant, imo magis eas tanquam inanes spernebant. Sed et ipse mendacissimus atque impiissimus Christi inimicus Mahometus, Apostolos nostros viros dealbatos* et divinitus fatetur instructos. Si vero suspicaris quod a magistro suo magicis artibus erant imbuti, hoc hinc clare falsum videtur, quod non nisi unius veri Dei cultum docebant, quod idolorum culturam et templa destruxerunt, dæmonumque manifestabant atque B perimebant fallacias, quod insuper hujuscemodi illusiones magicas omnemque conventionem cum dæmone sub æternæ salutis periculo vitandas disseruerunt.

* *alias* vestibus albis indutos (*Contra Alcoran.* lib. I, art. 8.)

Philosophus. — Fateor quod licet deceptoriis artibus aliqua forsan doctrina inanis hominibus persuaderi posset, non tamen opinor eam sic diffundi durareque posse uti fides christiana diffusa est atque duravit, nisi per continuationem talium fraudum ac signa mendacia. Igitur si veri Christiani talia eatenus horreant, C nec dæmonum ope utantur, sed ejus duntaxat quem colunt, non video cur negare debeam Apostolos tuos tales fuisse ut asseris. Si enim nobiles et potentes atque eruditi viri fuissent, non est verisimile quod se ignobiles et simplices in scriptis suis fuisse docerent. Sed jam quid ex his intendis elicere ?

ARTICULUS VII.

D *Prosecutio disputationis Theologi.*

Theologus. — Ex concessis ergo a te propositum meum ostendam. Nam quum fides christiana omnem intellectum transcendat, nullo modo, si rite consideras, ad ipsius consensum mundus induci valebat, nisi per ea quæ et ipsa omnem naturalem rerum legem, virtutem et ordinem supergrediuntur, quemadmodum sunt suscitare mortuos, statio solis in cœlo, quæ non nisi ab omnipotente Deo fieri posse

certum est. Intellectus quippe humanus nequaquam assentit veritati ignotæ, præsertim cui ratio naturalis contradicit, et quæ nullatenus comprehensibilis est in præsenti hac vita, nisi per proportionata inducatur argumenta : nam sicut media proportionantur fini, sic præmissæ correspondent conclusioni. Quoniam ergo Deo *Marc.* xvi, 20. cooperante, et prædicationem Apostolorum confirmante sequentibus signis hujusmodi, quæ alius nullus valet efficere, fides nostra prædicata susceptaque est, palam quod vera sit atque divina.

Philosophus. — Unde mihi ostendis tam admiranda fecisse Apostolos, quæ, ut arbitror, fieri nequeunt ?

Theologus. — Jam concessisti quia quo doctrina est rarior et incomprehensibilior, eo fortioribus et item evidentioribus eget argumentis, ut approbetur et recipiatur. Si igitur negas hæc divina facta miracula, per quæ ad fidem mundus conversus a nobis censetur, restat ut aliud assignes quo ad fidem homines persuasi sunt.

Philosophus. — Quum secundum præhabita, nec per violentiam, nec per eloquentiam, nec per subtilitatem naturalium rationum, nec per magicam artem, hoc factum sit, non invenio quod assignem.

Theologus. — Audi et aliud. Quando causa in suo effectu resplendet, probatur causa per effectum. Quoniam ergo mundi conversio ad tam incomprehensibilem fidem ac arduam legem te teste summe miranda sit, in ea tanquam in effectu omnia divina relucent miracula quibus conversum ad fidem asserimus mundum. Ideoque necesse non est mirabilia illa jam denuo fieri, quoniam in effectu suo videntur.

Philosophus. — Sic esse assentio.

Theologus. — En ab exordio nascentis Ecclesiæ usque in diem præsentem, potissimum tamen annis circiter quadringentis in principio fidei, gravissimas crudelissimasque persecutiones pertulit populus christianus a tyrannis atque hæreticis (sicut A infinita martyrum millia, quorum usque in præsens habentur reliquiæ, contestantur), quibus Christiani humana virtute nec resistebant, neque resistere poterant. Et nihilo minus, quo erat rabies persequentium major atque crudelior, quo plures trucidabantur inauditis suppliciis, eo ipsa fides magis invaluit, et populus fidelis vehementius crevit : donec tandem ipsum quoque Romanum imperium fidei colla submitteret. Nunc vero, quando armis hæreticis et paganis Christiani resi- B stunt, sæpe parum proficiunt, sæpe vincuntur, sæpeque fugiunt, potissime quia in armis confidunt, nec fideliter vivunt. Quomodo igitur hoc contigit, nisi Christo protegente legem quam tradidit ?

Philosophus. — Profer si quid amplius habes.

Theologus. — Si sapienter consideras, quicumque proprium honorem quærentes legem fallacem statuerunt, ea ad quæ homines facilius induci poterant, proponebant atque spondebant, utpote quæ in- C tellectum non multum transcendunt, et appetitui placent, ac homini dulcia sunt, quemadmodum in ceteris legislatoribus falsis, et in Mahometo conspicimus. Non enim alta aut difficilia edocet, sed carnales voluptates admittens, atque in earumdem abundantia felicitatem summam constituens, libidini itemque luxuriæ habenas dissolvit ; nec per miracula legem suam firmavit, sed per rudem ruralemque populum, quem primo decepit, armis et bellis sibi homines subdidit ; et uti in suo D Alcorano est scriptum, noluit Deus ut miracula faceret, sed in virtute armorum se promissum asseruit : quod utique genus signorum nec tyrannis nec latronibus deest.

Philosophus. — Verisimile est quod nullus præsumit ea docere quæ nequit stabilire, probare atque ostendere ; et si homines sibi allicere nititur, ea, ni fallor, proponit ad quæ amplius inclinantur, sic tamen ut per talia quod intendit assequi queat.

THEOLOGUS. — Quomodo igitur Christus A Jesus quem colimus, tam incomprehensibilem fidem ac arduam legem, omnem intellectum excedentem, appetituique ac libertati summe difficilem, advexit, si non supernaturali virtute agnovit posse se easdem firmare, et ad eas homines introducere ?

PHILOSOPHUS. — Considerationem istam non reprobo.

THEOLOGUS. — Negare non potes quin ad martyrum confessorumque tumbas multa miracula fiant, neque in tanto honore B mortuorum cadavera haberentur, si non tam celeberrimis coruscarent miraculis, mirificante Deo Sanctos suos : quia nec aliquos canonizat Ecclesia, nisi qui signis honorantur a virtute divina. Et cur quidam præ aliis tam famosissimi sunt, nisi quoniam amplioribus a Deo approbantur miraculis? Quomodo ergo vivunt ubi vivunt, si sic vivunt ubi occisi et mortui sunt? Sed hæc argumenta de præteritis loquuntur. Ecce, o Philosophe, etiam nunc quoque mirabilissima in Ecclesia fiunt, C quæ si quis non credit, oculis cernere potest ; et nunc usque non cessavit divina benignitas infinita agere signa.

PHILOSOPHUS. — Duo mihi occurrunt quæ objicere possum : primo, quia ut Avicenna meus testatur, miracula in causas naturales reducuntur ; rursus, quia ut Christus tuus fatetur, et Christiani (ut audivi) id asserunt, reprobi signa magna, imo et vera miracula facere possunt. Qualiter igitur per id quod malis commune est, fidem tuam adstruis ?

Matth. VII, 22, 23.

ARTICULUS VIII.

Solutio objectionum Philosophi.

THEOLOGUS. — Et te ipsum requiro, Philosophe. Approbas in hoc Avicennæ doctrinam, quod dicit per virtutem motoris cœlestis fieri posse miracula ?

PHILOSOPHUS. — Experiri volo quid sentias, et scientiæ tuæ subtilitatem audire desidero.

THEOLOGUS. — Non jam dumtaxat a theologis, sed a philosophis quoque in hac parte contradicitur Avicennæ. Nam quum cœlum sit quasi instrumentum intelligentiæ moventis, nil potest intelligentia in hunc mundum imprimere, nisi per motum cœlestem. Denique, ut ait Averroes, tanta est habitudo intelligentiæ ad orbem, quod motor solis lunam movere non posset. Nil ergo agunt motores cœlestes, nisi per motus cœlorum. Unde ad solam conceptionem eorum non sequitur effectus in inferiori materia, ut asserit Avicenna. Præterea ex falso fundamento procedit ista positio, quia Avicenna opinatus est formas naturales esse omnino ab extra, videlicet ab intelligentia, ipsamque inferiorum materiam ab ea fore creatam : quod et philosophi negant, quum creare non sit nisi actus infinitæ potentiæ.

PHILOSOPHUS. — Approbo quæ dicis, quia et solennes philosophi tibi consentiunt.

THEOLOGUS. — Quod autem secundo adducis, posse a malis (secundum nos) miracula fieri, quod tempore Antichristi potissime fiet, ita absolvitur. Nam et magi Pharaonis virgas verterunt in serpentes, et tempore Antichristi vera miracula ab impiis dæmonum potestate contingent, et jam Deo permittente effici queunt : quæ tamen non sunt perfecta miracula secundum veram rationem miraculi ; sed talia solum facere mali possunt, ad quæ se naturalis virtus aliquo modo extendit. D Nam quum occultas rerum virtutes et semina dæmones noscant, easdem colligere applicareque valent ad certa passiva, ut aliquid præter consuetum naturæ modum proveniat, quod nihilo minus natura per naturalem successum et ordinem potest : quemadmodum per putrefactionem naturalem virgæ in serpentes mutantur. Sed fides etiam per talia stabilitur, quæ nulla naturali virtute neque industria fieri possunt, ut est suscitari mortuos, et alia multa, quæ nunquam a malis veraciter effici

Exod. VII, 12.

Apoc. XIII, 13.

valent, sed in præstigiis tantum, quæ et ipsa diu durare non queunt. Et hæc est prima differentia, qua christiana miracula a ceteris discernuntur. Verumtamen signa Antichristi mendacia dicuntur, quia ad fallendum ordinabuntur. Secundo quoque discernuntur, quia signa Sanctorum utilia sunt, ut infirmos curare; signa vero pravorum de vanis et inutilibus sunt, ut reddere hominem stupidum, seu volitare per aerem. Rursus, modus agendi in istis omnino diversus est : quoniam boni divinam clementiam pie reverenterque implorando signa efficiunt; mali vero deliramentis quibusdam utuntur, ut quod se cultris incidunt, nec facta sua ad mores honestos adducunt.

Philosophus. — Sufficienter respondes. Sed adde quod restat.

ARTICULUS IX.

Disputatio Theologi contra Philosophum, quod per naturalem rationem salvari non possunt quæ sensibiliter apparent et fiunt.

Theologus. — Si itaque naturali lege contentus fidem non recipis, necessarium tibi est ut eorum omnium quæ fiunt naturalem rationem assignes, et ad naturales causas omnes effectus reducas.

Philosophus. — Ita est.

Theologus. — Purus philosophus seu naturalis dæmones esse non admittit. Sed dæmones esse experimentaliter constat, quia et eorum auxiliis quidam manifeste utuntur atque cum ipsis pactum componunt, sicque quod optant consequuntur et faciunt. Cogeris ergo naturalem rationem relinquere et fidem consulere.

Philosophus. — De hac re inter meos dissensio est. Platonici quippe dæmones esse concedunt, eosque definientes dicunt, quod sint animalia corpore aeria, mente rationalia, animo passiva, tempore æterna. Peripatetici autem omnino hæc negant, nec concedunt esse substantias intellectu- A ales hujusmodi : quibus naturalis ratio magis assentit. Ideoque, o Theologe, omnia quæ dæmonibus adscribis, ego occultis quibusdam cœlorum influentiis, vel naturalium rerum secretis virtutibus tribuo, quia miranda inest rebus potestas ad imperscrutabiles effectus.

Theologus. — Cum motibus cœlorum aut rerum virtutibus nullus pactum componit aut loquitur. Sed ad sensum agnoscimus quosdam sceleratissimos homines cum quibusdam spiritualibus substantiis B pactum inire, sic ut repente ditentur, aut mulieres dementent, aut ignorata denuntient. Amplius autem, vides et audis, si vis, quosdam subito amentes fieri, insensatos ac furiosos, et quod idiota variis loquitur linguis quas ante non didicit neque novit; ubertim ex uno ore plurimæ simul voces promuntur, etiam diversarum linguarum. Videres quemadmodum homines per Christianorum exorcistas ab omni sanentur insania; quomodo antequam liberantur, torqueantur, pallescant, intume- C scant; quomodo in eorum corporibus dæmon interroganti respondeat, et nunc se in pede, nunc in manu, nunc in lingua esse demonstret; quomodo per sacramenta Ecclesiæ compescatur et ejiciatur.

Philosophus. — Horum naturalem rationem non video.

Theologus. — Non ergo tibi sufficit lex naturalis.

Philosophus. — Antequam tamen legi me tuæ subjiciam, prius ad Stoicos fugio, nec me fidei assertionibus subdam, donec D Stoicorum quoque improbes dogma.

Theologus. — Etiam concesso illo (quod tamen verum non est) quod dæmones, ut Platonici adstruunt, animalia essent corpore aeria, non tamen reddi potest ratio naturalis quomodo per homines loquantur, atque in nomine Christi ejiciantur. Nam, secundum omnem philosophiæ doctrinam, determinatæ formæ et actus, itemque motores, determinata requirunt passiva, videlicet determinatas materias, potentias atque mobilia. Corpus autem humanum

ad rationalem animam determinatum est : non ergo esse potest dæmonis instrumentum secundum ordinem naturæ, sed dumtaxat secundum ordinem culpæ. Præterea, quum dæmon sit naturaliter superior homine, cogi non potest ab eo nisi virtute alicujus divini, per quod superior dæmone homo efficitur. Hoc autem est sanctitas mentis, quam a Christo Christiani sortiuntur, vel ipsa virtus Christi in sacramentis suis ac verbis contenta : unde in expulsione dæmonum virtus Christi ac sanctitas semper resplendet.

Philosophus. — Secundum divinum meum Platonem et Stoicos, ordo dæmonum triplex est. (Cf. in *Act.* XVII, 18.) Sunt enim quidam boni, qui catodæmones dicti sunt, et hominibus in bonis persuasores adjutoresque sunt. Sunt quoque quidam mali, cacodæmones dicti, qui malorum instigatores ac punitores consistunt. Calodæmones vero summo Deo adsistunt. Igitur secundum hanc philosophiam, inconveniens non est secundum ordinem virtutis et culpæ, dæmones in homines sic et sic imprimere.

Theologus. — Nunc Peripateticos prorsus relinquis, et Aristotelem non imitaris.

Philosophus. — Quid enim? Nonne et Platonis philosophia famosa subtilisque est? Si ergo per eam argumenta tua evado, nullum absurdum est.

Theologus. — Fateor tibi quia in hac parte philosophia ejus mihi amplius consonat, et fidei vicinior est, quia per eam cito tibi probabo multa quæ fidei sunt, omnino facilius quam ex Peripateticorum sententiis. Nos quippe similiter triformem asserimus intellectualium substantiarum ordinem. Quarum quædam bonæ sunt, et administratorii spiritus appellantur, (*Hebr.* I, 14.) hominumque custodiæ deputantur in bonis ; ceteræque sic Deo adsistunt, ut foris non exeant. Quædam autem malæ sunt, quas dæmones communiter dicimus : licet dæmon dici possit omnis intellectualis substantia, quia a δαίμων nomine Græco, quod Latine sonat intellectus, dæmon vocatur. Igitur ex hac positione tua, o Philosophe, A primo constat humanas animas immortales esse, et post vitam præsentem secundum merita sua a Deo præmiari.

Philosophus. — Hoc philosophiæ non derogat, quia et Avicenna et Epicurei id ipsum admittunt : quia et naturalem felicitatem post hanc vitam admitto. Sed per hoc mihi probare non vales fidem esse necessariam, quoniam ad naturalem finem naturalia sufficiunt media.

Theologus. — Dæmones quum pessimi sint, non insidiantur errori, nec invident B falsis. Cur ergo Christianis tam incessabiliter adversantur et invident? Si Christianorum fides falsa est atque erronea, si supernaturalis felicitas non est, non egent conatu ne assequamur eamdem. Denique dæmon dæmonem non expellit, nec falsitas falsitatem. (*Matth.* XII, 26.) Ergo si lex christiana prava est atque erronea, qualiter perfecti ejus cultores tam manifeste et experimentaliter dæmonibus imperant, prævalent, eosque expellunt, et ipsorum cultum ac templa undique perimunt, et ipsos tanquam C nihilum spernunt? Et hæc quidem vera esse negare non potes, quum sensui constent.

Philosophus. — Compulisti me ante a Peripateticorum doctrina recedere; nunc vero me cogis admittere quod dæmonibus contraria sit christiana religio, et per hoc quod sancta sit, vera atque divina. Sed deprecor te, edissere mihi : nonne iniquis atque gentilibus dæmones adversantur?

Theologus. — Utique, quatenus vel pejores fiant, vel ne ad fidem convertantur ; D sed bonis et sanctis multo invidiosius, itemque subtilius insidiantur. Verumtamen, non magis quam permittuntur exsequi possunt.

Philosophus. — Pagani, et magi, ac pessimi, dæmonibus (ut dicitur) imperant, quemadmodum de Mahometo quædam leguntur; et ut asseris, sceleratissimi Christiani cum eis pacta componunt. Non ergo ex dominio super dæmones, fidei tuæ virtutem sanctitatemque efficaciter ostendisti.

Theologus. — Nos in nomine Christi et virtute fidei ejus dæmonibus dominamur; illi vero non dominantur eorum, sed primo se eis subjiciunt, sicque demum Deo justissime permittente, dæmones eis obediunt ut eos decipiant et errorem confirment. Si autem per religiosam ac puram divini nominis invocationem mali dæmonibus imperarent, recte objiceres.

Philosophus. — Contradicere nequeo.

ARTICULUS X.

Disputatio Theologi contra idololatras.

Theologus. — Nunc vero si tibi crucifixum colere ridiculosum apparet, intueamur quid melius sonet: dicere quod Filius Dei Patri coæternus et consubstantialis, humanitatem in unitate personæ assumpsit sine majestatis derogatione, quatenus per mortem crucis, quam non meruit, sed ex inæstimabili caritate pro nobis sustinuit, universum mundum ab æterna morte redimeret, Deoque Patri reconciliaret; vel asserere colendos esse Jovem, Saturnum, Vulcanum, Typhonem, Liberum, aliaque deorum quos tui colunt portenta. Non erubescis de patricidio incestuque Jovis, qui et patrem occidit vel occidere nitebatur, sororemque violavit? Pudeat te fugæ Saturni atque devorationis liberorum nequissimæ. Verecundare de Typhonis insidiis. Et quid necesse est deorum vestrorum revolvere crimina? Ille semen fudit in terram, ille in proprium desæviit sexum; et quod in aliis lex dirissima nece ulciscitur, dii vestri plus ceteris peregere. Quomodo ergo his divinitatis honorem adscribitis, qui præ ceteris iniquiores fuere? Aut leges errant, aut dii vestri, nisi forte illis dumtaxat male agere licet qui ceteris vitæ exemplum esse debent.

Philosophus. — Homines in deos translati non sunt, nec honorantur dii propter facinora, sed propter utilitatem quam hominibus advexerunt, et providentiam
A qua eis singulariter providerunt et profecerunt.

Theologus. — Quidquid boni quis dicat aut doceat, si ipse nequiter vivit, magis ad vituperium ei cedere debet, secundum rectam censuram, quam ad honorem; nec divino honore dignus est, qui prudentiam suam turpissima vita contaminat. An diis vestris licuit quidquid libido suggessit? Non confunderis super raptu Jovis, atque concubitu mulierum ac puerorum? Præterea honor est exhibitio reverentiæ in si-
B gnum virtutis. Qui autem aliquid habet ab alio, et non recognoscit eum a quo quod habet sortitus est, neque illius sed propriam gloriam quærit, is utique valde ingratus est, nec est ei tanquam virtuoso honor impendendus, sed est velut ingratus spernendus. Sed si divinum aliquid in hominibus fuit, hoc esse non potuit nisi participatione ejus qui naturaliter et a se ipso Deus est. Hic autem unus dumtaxat est, uti tibi ostendam post pauca. Quum ergo dii tui hujus veri Dei notitiam non
C habuerint, nec ad eum providentiam suam et bonitatem retulerint, sed ad se ipsos, constat quod ingrati cæcique erant, superbi et vani atque blasphemi : tanquam si miles honorem debitum regi, sibi quærat impendi.

Philosophus. — Si ergo eos colere nefas est, ingrati omnino erimus beneficiis providentiisque eorum. Denique ipsi et post mortem consilium, itemque auxilium præbent suis cultoribus. Itaque invocandi sunt.

Theologus. — Gratiarum actio potius
D debetur principali opifici quam instrumento. Et rursus, nihil honoris præstandum est ei qui sub potestate superioris consistit, nec tamen suo superiori obedit, quantum ad id quod non obedit : velut si baro imperatori non pareat, honorandus non est secundum quod inobediens. Quum igitur dii tui vero Deo ingrati fuerint, nec ejus legi paruerint, ipsi contemnendi sunt, et summo omnium divinarum bonitatum fonti, vero Deo, dumtaxat gratiæ referendæ sunt, qui non ab aliquo quidquam

participat, sed ex propriis divitiis cuncta bona distribuit. Porro, quod asseris deos tuos hominibus prodesse posse atque obesse, simpliciter falsum est, quum sibi ipsis prodesse non possunt, neque Apostolis Apostolorumque successoribus resistere quibant : imo ipsi in inferno æternaliter ardent. Verumtamen propter scelera idololatrarum, Deo permittente, dæmones subinde hominibus in illorum forma apparuerunt, non utique ob alium finem nisi ad stabiliendum errorem. Proinde non de omnibus futuris dæmones respondere sufficiunt, sed tantum de his quæ ex naturalibus causis vel conjecturis seu dispositionibus rerum scire possunt.

Philosophus. — Quum infideles Christianorum ecclesias, terras et bona sæpius destruent, potestne illis Christus resistere?

Theologus. — Utique; sed propter fidelium peccata illa permittit.

Philosophus. — Ita aio et deos, quia ab hominibus offensi erant, talia in sui perniciem permisisse ad tempus, licet valerent resistere.

Theologus. — Jam intuere differentiam. Christus Ecclesiam suam nunquam in toto periclitari relinquit ; sed quum eam in parte destrui sinit, hoc ipsum electis suis prænuntiat, causamque evidenter insinuat, et correctione peracta, eamdem cito reformat, quemadmodum de reparatione atque amissione Terræ sanctæ ubertim evenit, et in plurimarum exstirpatione hæresum frequenter innotuit. Sic autem de diis tuis esse perhibere non potes. Sed precor te, ut compendiosior fiat disputatio nostra, explana quid de deorum cultura sentias, quem etiam ordinem libertatemque in ipsis consistere opineris.

ARTICULUS XI.

Assertio Philosophi de diis ac deorum ordinibus.

Philosophus. — Universi qui de Deo loquuntur, hinc divinam proprietatem ac-
A cipiunt, utpote quod id quod Deus vocatur, in causalitate et providentia ceteris præeminet. Propterea ea in entibus deos asserimus, quorum est universalior causalitas atque providentia excellentior. Constat præterea, quod in his duobus principatum sortiantur cœlorum motores : primo quidem, intelligentiæ; secundo autem, animæ orbium atque stellarum. Tertio ordine, secundum Platonicos, dæmonibus adscribitur divina appellatio ; et quarto, animabus eorum qui in terris adepti sunt
B divinitatis participationem. Quinto, quidam statuas naturalium animatas deosque putarunt; sexto, elementa, propter utilitatem ipsorum. Septimo, Trismegistus et alii quidam, opinantes Deum esse omne quod est, tanquam videlicet sit omnium formale esse atque intrinsecus actus, omnia ponebant esse Deo plena, deificata et latria veneranda. Porro Platonici ideales separatasque formas, quas universalia vocant, in primo deorum ordine fassi sunt.

Verumtamen, o Theologe, non omnes
C positiones has approbo, quum quædam a philosophis sufficienter destructæ sint, ut est illa de ideis Platonis, illa quoque Trismegisti : quoniam Deus utique non est esse alicujus formale, sed est purus actus, ac esse tantum in se subsistens. Elementa insuper quum inanimata sint, colenda non sunt; sed animas bonorum ac heroicorum virorum, ut Hectoris et Romuli, cum ceteris intellectualibus substantiis, inter deos reponere par est, quippe quæ ad feliciorem translatæ sunt statum. Enimvero de
D planetis ac cœlis ait Plato : O dii deorum ! quorum pater opifexque ego. Aristoteles quoque in sua Metaphysica testatur quod corpus cœleste ratione suæ animæ est causa omnium formarum hujus mundi, et ratione sui corporis, causa omnium inferiorum corporum. Et denuo : Oportet, inquit, hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur. Non immerito ergo cœli et sidera atque planetæ dii censentur, quum ab eis hic mundus regatur atque depen-

deat. Nam et cessante motu cœlesti, omnis mox motus cessaret, quum secundum Aristotelem, ipse sit quasi vita quædam omnium inferiorum.

ARTICULUS XII.

Destructio positionis hujus, et quod soli Deo sit exhibendus latriæ cultus.

Theologus. — Secundum Aristotelem tuum, o Philosophe, Deus est actus purus ; et secundum Platonem, est bonitas pura ; et quemadmodum omnes eorum sectatores fatentur, Deus est ens simpliciter perfectum, cui nulla deest nobilitas : ideo natura ejus omnino incircumscriptibilis est. Porro omnis natura post eum, est admixta potentiæ, et finita, atque in certo genere posita.

Philosophus. — Hæc omnia vera philosophia demonstrat.

Theologus. — Quum igitur infiniti atque finiti nulla consistat proportio, necessario sequitur quod omne ens post summum Deum, ab ejus perfectione in immensum deficiat.

Philosophus. — Hoc consequens est.

Theologus. — Quo autem alicujus majestas præstantior est, eo sublimior veneratio eum decet.

Philosophus. — Utique.

Theologus. — Adoratione seu cultu latriæ non est veneratio dignior.

Philosophus. — Hoc omnes fatentur.

Theologus. — Ipsa ergo soli vero Deo exhibenda est, et nullatenus creaturæ, cui debetur honor in infinitum declivior, sicut et dignitas ejus est infinite inferior. Iniquissimum ergo est creaturas pro Deo colere.

Philosophus. — Rite concludis, quod altissima debeatur vero Deo veneratio. Sed quum non habeat, ut videtur, providentiam immediatam nisi de rebus cœlestibus, dispositio vero hujus sensibilis mundi quum lationi atque virtuti cœlorum et

A eorum qui movent eos, prorsus subdita commissaque sit, sunt quoque et hæ causæ secundæ secundario venerandæ atque ut dii colendæ.

Theologus. — Omnes orbes cœlestes, planetæ et sidera, ipso suo motu et ordine famulatum suum ostendunt, et cum motoribus suis comparantur ad primam causam sicut instrumenta ad causam principalem, sicut media ad finem, et sicut effectus ad causam independentem. Quidquid autem dignitatis et excellentiæ in in-
B strumento effectuque est, ad principalem causam est referendum et ei adscribendum. Si ergo splendor et decor superiorum corporum aut elementorum, humanas mentes in admirationem commovit, in effectibus et obsequentibus standum non erat ; sed ad Creatoris summique principis gloriam referenda cuncta fuerunt. Ideoque non immerito omnis creatura inge- *Rom.* viii,
miscit super idololatrarum peccato, dum 22.
sibi impenditur quod soli Deo debetur. Præterea, quum instrumenta recte dispo-
C sita non agant nisi secundum directionem architecti, nec cœli, nec sidera, neque motores eorum aliter agere possunt quam secundum divinæ legis eis a Creatore præfixæ atque impressæ tenorem, nec cursum suum variare aut influentiam immutare valent : nullo ergo modo invocandi colendique sunt, quum hoc nihil prosit. Nec verum est quod ais, divinam providentiam non universa complecti.

Philosophus. — Antequam disputemus de hoc, responde ad id quod tibi oppono.
D (1) Videmus in terrenis principatibus, quod non solum regi, sed familiaribus quoque ipsius, præsertimque præcipuis, utpote ducibus atque baronibus, honor ab omni vulgo impenditur : inclinant cervices, genua flectunt, et quidquid reverentiæ possunt, exhibent eis qui regi subditi sunt. Quum ergo motores cœlorum, ipsique orbes ac astra, primi principis ministri et cooperatores consistant, et post eum in divinis proprietatibus eminentiores, quomodo divino honore non digni censentur?

(2) Præterea, uti jam tetigi, non utique decet nos divinis beneficiis esse ingratos. Quum ergo allatio solis sit eorum quæ vitam nostram sustentant (videlicet omnium terræ nascentium atque animarum) causa, ipsique orbes in inferioribus incessabiliter agant et influant : si eis cultum nullum impendimus, prorsus ingrati videmur.

(3) Adhuc autem, secundum Aristotelem meum, diis, parentibus, ac magistris non potest exhiberi æquivalens. Omnino ergo venerandi sunt dii.

ARTICULUS XIII.

Solutio rationum quas induxit Philosophus.

Theologus. — Si præinducta vere consideras, rationes tuæ, o Philosophe, non utique contra me, sed pro me militant. Nempe quum separatæ substantiæ, quas tu intelligentias, ego autem angelos nuncupo, administratorii spiritus sint : nos (*Hebr.* I, 14.) utique venerationem eis præstamus, solennizatque Ecclesia eorum memoriam; inclinamus, genua flectimus, atque devotissime eos precamur : precamur, inquam, non adoramus; veneramur, non latriæ, sed duliæ cultu, non ut ipsi nos sua virtute juvent, sed ut a summo rege omnipotenteque Deo opem nobis acquirant; appellamus eos, non deos, sed ministros; non quiescimus in laude ipsorum, sed quidquid excellentiæ sortiti sunt, primæ omnium causæ adscribimus. Enimvero argumenta tua fortia essent, si intelligentiæ inferiorum rerum creatores essent, et in eis nostra beatitudo consisteret, quemadmodum multi Peripateticorum opinati sunt. Sed quum secundum probata atque probanda, ita non sit, sed dumtaxat, secundum philosophiam, sint naturalia agentia primæ causæ supposita ac instrumentalia, divinus honor, seu latriæ cultus, ipsis nullatenus exhibendus est.

Nec dona naturalia sunt eorum be- A neficia, sed Dei : non enim ex eorum liberalitate procedunt, sed ex divina munificentia, eis instrumentaliter cooperantibus. Unde nec eis ingrati sumus; sed eorum cultores Deo ingratissimi sunt, a quo bona cuncta emanant, gloriam Creatoris ad creaturas perversissime retorquentes.

Porro, eatenus tam angeli quam homines nobis honorandi sunt, in quantum ad finem nostrum, qui est ipsa Dei fruitio, adjuvare nos valent. Et quoniam ob hanc B causam intellectuales substantias gentiles non honoraverunt, ideo erraverunt, ponentes sibi finem in medio. Sic quippe et ministri terreni regis, ut arguis, a vulgo honorantur, in quantum ad commune bonum politicum, quod est pax, apud regem cooperantur; non autem in quantum sunt velut regis instrumenta : sic enim et in ordine ponuntur servorum. Alioqui et inanimata honoranda forent, quum eorum ministerio nobis necessaria procuremus.

Insuper, ipsa tua objectio non mihi, sed C tibi resistit. Nam et si regis ministri honorandi sunt, specialis tamen honor regi debetur, quem exhibere ministris nefarium est. Nefandissimi igitur sunt qui adorationem seu latriam soli Altissimo debitam, obsequentibus creaturis impendunt. Amplius, a quo singularia eminentissimaque bona suscepimus, speciali cultu colendus est. Sed, etiam secundum Peripateticos tuos, omnes essentiales bonitates, videlicet esse, vivere, intelligere, a solo primo principio sunt per creationem, sed a cau- D sis secundis per informationem. Primo ergo principio specialis cultus, qui latria dicitur, rite tribuitur. Adhuc autem, quum latria sit perfectissimus cultus, nulli debetur nisi propter se ipsum. Quum ergo solus Deus sit essentialiter bonus, et ab eo cetera, ipse solus propter se ipsum colendus est : quod est latriæ honor. Nec debetur creaturis honor nisi alterius ordinis, qui dulia a Græcis appellatur. Præterea nullus sapiens in deum sibi eligit, qui sibi in necessitatibus suis succurrere ne-

quit. Omnis autem creatura eo ipso quo ex nihilo est, egena est, nec sibi nec aliis sufficiens; nisi divina manutenentia conservetur, in nihilum tendens, sicut et Aristoteles et Avicenna scripserunt : quomodo ergo ipsa pro Deo colenda invocandaque est ?

Philosophus. — Efficaciter mihi respondisti, et ostendisti quia soli vero Deo, qui nullius eget, impendenda sit latria : dummodo id quoque demonstres, quod ipse actuum humanorum providentiam curamque habeat. Demum et id audire desidero quid de cœlis sentias : an veraciter, secundum fidem tuam, animata sint.

II *Mach.* xiv, 35; *Ps.* xv, 2.

ARTICULUS XIV.

Quod Deus providentiam habeat de actibus hominum.

Theologus. — Ecce in libro Ethicorum Aristoteles ait, quod homo contemplativus atque theoricus est amantissimus Deo. Non autem eum amaret Deus, eique justam mercedem tribueret, nisi et eum et opera ejus agnosceret. Denique, quid tam indecens tamque injustum, ut diligentem et honorantem non amare nec honorare? Quum ergo Deus benedictus, sanctissimus atque justissimus sit, ipse utique eos qui se tota mente et viribus diligunt atque coram eo sollicite ambulant, diligit et honorat, ab impiis eos secernens et dividens. Adhuc autem, quidquid in luce divinæ essentiæ splendet, Deus intelligit; quidquid autem divinam bonitatem aliquo modo participare imitarique potest, in divina natura resplendet : quoniam per hoc res creatæ in Deo sunt, quod ejus essentia est earum exemplar. Sed nil adeo vile est, quod non aliqualiter divinam bonitatem participet, quum ipsa sit omnis essentiæ et bonitatis origo. Itaque non jam duntaxat hominum et omnium quæ eis accidere possunt, verum et universorum quomodolibet exsistentium, per-A fectam notitiam habet Deus. Et ne hoc mireris, Philosophe : nam infinita quæ nec sunt nec erunt, ipse simplici intelligentia cognoscit, eo quod infinita ejus bonitas infinitis modis et gradibus communicabilis sit.

Philosophus. — Quomodo ergo peccata et mala, negationes privationesque agnoscit, in quibus nil divinæ perfectionis relucet ?

Theologus. — Qui cognoscit unum oppositorum, cognoscit et reliquum. Privatio B quoque agnoscitur per oppositum habitum, et negatio per affirmationem. Deus igitur quoniam res creatas earumque bonitates ac perfectiones cognoscit, mala quoque, itemque defectus ipsarum intelligit.

Philosophus. — Derogare mihi videtur dignitati et puritati divini intellectus, si hæc vilia atque immunda agnoscere asseratur.

Theologus. — Quum divinum esse incircumscriptibile sit, omnia utique pe- C netrat, nec tamen ab aliquo inquinari potest. Si itaque res ipsæ divinum esse sibi præsens inquinare nequeunt, quomodo earum notitia divinæ sapientiæ lucem indignificaret aut offuscaret? Imo, quum divina sapientia simpliciter perfecta sit, restat ut ejus intuitum nil prorsus subterfugere valeat, præsertim quum Deus omnia in se ipso conspiciat æternaliter et immutabiliter. Præterea in libro de Causis dictum est, quod causa prima creat scientias. Quidquid ergo intelligentiæ in D scientia continetur, in divina mente clarius patet. Porro ad divinam justitiam pertinet, ut bona agnita approbet atque remuneret, mala autem reprobet atque puniat. Deus igitur hominum providentiam atque curam habet, et ipsos discernit ac judicat.

Philosophus. — Amplius tibi dissentire non valeo.

Theologus. — Sunt alia multa quibus idem demonstrari potest : ut quod rationalis anima a Deo immediate creata est,

atque similia, quæ posterius forsan occurrent.

Philosophus. — Quid sentis de animabus cœlorum ?

ARTICULUS XV.

Quid de animatione cœlorum ac siderum secundum catholicam fidem sentire oporteat.

Theologus. — Quum fides ambiguitatis admixtionem non sufferat, sed firmissima sit, de his quæ ad fidem pertinent dubitare non licet. Quum ergo doctor, imo et lingua Ecclesiæ, gloriosissimus Augustinus super Genesim atque in suo Enchiridio hanc quæstionem incertam habeat neque determinet, sed sub dubio deserat, constat quod ad fidem non pertinet, sive cœli animati dicantur, sive non. Nihilo minus magnus ille theologus atque præclarus philosophus, S. Thomas, super secundum Sententiarum scribit, quod secundum fidem, cœli animati non sunt : adjiciens quod idololatria hinc sumpsit originem, quod homines aliquid vivum cœlis, itemque sideribus, inesse arbitrati sunt. Verumtamen in libris suis quos postea edidit, consultius locutus est. Ait ergo in prima parte Summæ, quod sicut de animatione cœlorum inter philosophos, sic inter theologos quoque dissensio sit. Plato namque et Aristoteles cum suis cœlos animatos ponebant. Anaxagoras vero ideo ab Athenis pulsus est, quoniam dixit aliud non esse solem nisi lampadem* ardentem. Conformiter, inter theologos Basilius et Damascenus cœlos adstruunt non esse animatos. Cujus oppositum videtur sentire Hieronymus super illud Ecclesiastæ, Lustrans universa in circuitu pergit spiritus. Origenes autem et Rabbi Moyses cœlos aperte animatos fatentur. Porro in Summa contra gentiles Thomas manifeste testatur nil pertinere ad fidem, quidquid horum dicatur.

* lapidem

Eccle. I, 6.

Philosophus. — Quia ergo quæstio ista A fidem non tangit, amplius de ea disputare non convenit.

ARTICULUS XVI.

Quod statuæ quas colunt idololatræ, animatæ non sunt.

Theologus. — Sed jam quid de statuis, o Philosophe, sentis ? Constat nempe quia hominibus præstent responsa et vocem B emittant. Numquid et ipsæ animatæ censendæ sunt ?

Philosophus. — De hoc Hermes sic ait : Quemadmodum cœlestium deorum factor est Deus, sic eorum qui in templis coluntur deorum fictor est homo, qui humana proximitate contenti sunt. Statuas, inquit, animatas dico sensu et spiritu plenas, futurorumque præscias, de somniis ac aliis multis prædicentes, hominibus imbecillitatem facientes, eosque curantes, lætitiam atque tristitiam pro meritis dantes.

C Theologus. — Hanc fuisse opinionem Hermetis non ambigo, quoniam Augustinus de Civitate Dei hoc asserit. Sed estne vera positio ista ?

Philosophus. — Quum loqui et respondere sint actus vitales, non videntur posse prodire a statuis nisi per animam, quoniam anima est principium vitæ et motus.

Theologus. — Secundum firmissimas demonstrationes Aristotelis tui, non sunt ejusdem rei duæ formæ substantiales, nec recipit aliquid novam formam substantia-D lem, nisi priorem, si quam habuit, deserat.

Philosophus. — Hoc universi Peripatetici docent.

Theologus. — In formatione statuæ non destruitur forma auri vel cupri, imo manet ut ante, sed fit dumtaxat mutatio secundum accidentalia atque figuram. Non ergo introducitur nova forma substantialis in eam, nec animata veraciter perhibetur.

Philosophus. — Unde ergo causantur operationes illæ vitales ?

THEOLOGUS. — Non dubium quin a dæmonibus.

PHILOSOPHUS. — Quum dæmon sit immaterialis intellectus, nec habens organa ad vocis formationem necessaria, quomodo per statuam loqui potest?

THEOLOGUS. — Tam angeli quam dæmones, propter subtilitatem, dignitatem atque industriam suæ naturæ, super corpora inferiora dominium habent, eaque multiformiter movent; et quod agit anima per plura, faciunt ipsi per pauciora. Verumtamen non omnino convenit eis locutio univoce, sicut et nobis. — Præterea nihil agit ultra propriam speciem, gradum et ordinem : quomodo ergo homo deum fingere potest? Imo si est homo fictor deorum, est utique dignior eis : non ergo eos colere debet. Et palam quia qui eos colunt, non eos colunt, sed dæ-
Ps. xcv, 5. mones, quemadmodum scriptum est : Quoniam omnes dii gentium dæmonia; rur-
Ps. cxiii, 4, 5, sec. Hebr. susque : Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum; os habent, et non loquentur. Non enim ipsi loquuntur, sed spiritus patris eorum qui colunt eos, id est diaboli, qui homines ita decipere propter peccata ipsorum juste a Deo permittitur. Porro, si tanta esset virtus eorum ut asserit Hermes, nunquam a Christi discipulis sic destrui potuissent atque comminui.

PHILOSOPHUS. — Volebam audire te. Sciebam equidem quia nec naturalis ratio in hac parte Hermeti consentiat, neque omnes gentiles sibi concordant.

ARTICULUS XVII.

Invectio Theologi contra Philosophum.

Rom. i, 18, 21, 23, 25. THEOLOGUS. — *Revelatur autem ira Dei super omnem impietatem et injustitiam hominum : quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; sed mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis ho-* A *minis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium : et coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est* Deus *benedictus,* et sublimis, et solus adorandus. Quum ergo ita sit, o Philosophe, cur illi tui præcipui, Plato et Aristoteles, deos, imo et idola coluerunt?

PHILOSOPHUS. — Unde hoc nosti quod idola coluerunt?

THEOLOGUS. — In Timæo multa de his Plato conscribit; tandemque illam Atheniensium olim Minervam, sapientem deam B appellat. Insuper, in epistola ad Alexandrum Aristoteles : Testes, inquit, mihi sunt Jupiter et Posidon.

PHILOSOPHUS. — Si philosophorum istorum gesta plene legisses, scires utique quia ex corde idola venerati non sunt, sed quod talia aut scripserunt aut certe dixerunt, propter vulgus fecerunt. Nam et Aristoteles legitur ideo ab Athenis fugisse, quia volebat eum quidam idolorum sacerdos tanquam deorum contemptorem accusare, atque judicibus prodere.

C THEOLOGUS. — Pro veritate, præsertimque pro divino honore moriendum est.

PHILOSOPHUS. — Hoc Socrates fecit.

THEOLOGUS. — Ideo ceteris rite præfertur. Placet autem mihi ista responsio. Augustinus namque meus id ipsum fatetur, quod licet in plebe philosophi idola colenda assererent, aliter tamen inter se colloquendo senserunt.

PHILOSOPHUS. — Precor te, quid de Aristotele, Platone, atque similibus sentis? Suntne ipsi damnati?

D THEOLOGUS. — Nunquam sine fide Christi, vel explicita vel implicita, adultus quis *Hebr.* xi, 6.
salvari valebat. Insuper, pura naturalia nulli unquam ad salutem sufficiunt. Naturalis igitur ratio sine supernaturali fidei ope ac lumine eis nequivit sufficere. Itaque, si sine fide erant, salvari non poterant. Præterea quidquid non est ex fide, *Rom.* xiv, 23.
est peccatum, secundum Apostolum, id est, quidquid fit propter finem contrarium fini quem fides constituit, peccatum est. Quum ergo Plato beatitudinem ho-

minis non eam posuerit quam fides, sed neque Aristoteles, non videntur fuisse in gratia : ideoque nil meritorium peregerunt. Rursus, quod mundum ab æterno fuisse testantur, signum est quod neque de principio neque de fine humani generis veram cognitionem sortiti sunt.

Philosophus. — Si ita est, tunc periit omnis illa philosophorum caterva : quorum tamen conversatio admodum erat virtuosa atque miranda. Unde dura mihi videtur fides, quæ tales condemnat.

Theologus. — Multi gentilium ante Christi adventum per legem naturæ et fidem futuri Salvatoris salvati sunt. Enimvero hæc universalis regula est, quia immensa divinæ bonitatis clementia nunquam hominem relinquit, si fecerit quod in se est. Si igitur philosophi illi præcipui fecerunt quod in se erat, Deus revelavit eis quod ad salutem necessarium fuit. Agnosce ergo, Philosophe, quoniam de Aristotele tuo atque Platone manifeste ait sanctissimus doctor Ecclesiæ, gloriosus Hieronymus, quod ardeant in inferno cum discipulis suis. Verumtamen, si librum illum de Morte et pomo Aristoteles edidit, tunc utique non penitus fide caruit. Porro de Platone certum est quod libros Moysis vidit et legit.

Philosophus. — Possit ergo de eis haberi fiducia?

Joann. v, 22. Theologus. — Pater omne judicium dedit Filio. Committamus ergo et nos ei istud judicium, hoc firmissime cognoscentes, quia nullum bonum est irremuneratum.

Philosophus. — Si alia nosti quæ christianam fidem a Deo esse corroborent, profer.

ARTICULUS XVIII.

Deductio fidem christianam demonstrans a Deo esse, ex veteri lege atque Prophetis.

Theologus. — Deus autem gloriosus quum sit superessentialis et æterna at-
A que immensa sapientia, nil fortuitu agit neque a casu, sed secundum infallibilem æternæ dispositionis scientiam. Est insuper sapientium consuetudo opificum, ut quum inconsuetum atque præcipuum quidpiam facere velint, id ipsum futurum prænuntient, præludia agant, hominumque animos excitent. Itaque, quum ea quæ christiana lex tradit tam singularia tamque ineffabilia sint, noluit ea Deus a principio exhibere, sed ad eorum exhibitionem ab exordio corda præparavit humana multis
B præsagiis, oraculis variis, vaticiniis pluribus, præclaris miraculis, omnia ea futura insinuans quæ credimus jam esse impleta. Quum igitur solius Dei sit futura contingentia certo præagnoscere, eaque cuncta impleta cernamus quæ de Christo erant prædicta, palam quoniam non nisi a Deo est lex illa, quæ talibus innititur fundamentis.

Philosophus. — Nescio quid dicis.

Theologus. — Fortissima probatio est, qua ex ore adversariorum probat quis
C quod intendit. Erat ante adventum Christi lex vetus, atque Prophetæ. Sunt libri, leguntur, et tam a nobis quam ab adversariis conceduntur, sed diversimode intelliguntur. Illic divinitus invenimus præsignata, quæ in nova sunt lege exhibita.

Philosophus. — Duo mihi ambigua sunt: primo quidem, quoniam legem illam a Deo fuisse ignoro; secundo, si ipsius Scripturæ a vobis et aliis diversimode exponuntur, cui amplius credam non video.

Theologus. — Eisdem rationibus quibus
D superius demonstravi a Deo legem esse christianam, ostendo et illam esse divinam. Eisdem nempe et ipsa est instituta signis atque miraculis, et tam infinitis confirmata prodigiis, ut usque in diem præsentem, licet innumeris opprimantur reliquiæ gentis illius ærumnis, ambigere tamen non valent quin a Deo patres eorum electi fuerint, divinitusque formati. Denique Christus eam legem confirmat. Et quoniam Prophetæ ejus veraces inventi sunt, elucescit quia divinitus vaticinati

sunt. Nam et locum, et tempus, et vitam, A et mortem, ac opera futuri Christi scripserunt, universaque intuemur completa.

Philosophus. — Cur ergo reliquiæ populorum illius legis non credunt?

Theologus. — Multipliciter eorum errorem ostendimus, et non nisi ex lege ipsorum. Etenim ab eo tempore quo Christi Evangelium prædicari exorsum est, omnis gloria legis eorum ablata est, et ad fidem abundantissime translata. Non apparuerunt interim vates, cessaverunt miracula, ablatum est regnum, defecit sacerdotium. B Quumque nulla sint ex quibus pateat eos Deo placere indicia, sola in ipsis perseverat obstinata superbia. Et ne illa te moveat aut fidelis reputetur constantia, scito quia eorum quoque perfidiam obstinationemque ab ipsis eorum Prophetis probamus prædictam. Enimvero, quod luce clarius est, si universa patrum eorum legatur historia ante Christi adventum, licet ubertim quam gravissime peccaverint, nunquam tamen ultra septuaginta annos una vice a Deo puniti atque a terra sua com- C periuntur expulsi. Nunc vero mille quadringenti anni prope fluxerunt, ex quo a Deo relicti sunt, a terra sua expulsi, omnique paternæ legis gloria destituti. Cujus quidem punitionis causam assignare non valent, nisi Christum fateantur se interemisse. Quidquid enim aliud dixerint, (*Cf.* lib. VII, art. 16.) graviora ante fecerunt: sicut et Prophetæ eorum, qui nunc usque apud illos et nos famosi sunt, contestantur.

Philosophus. — Quæ erant illa legis antiquæ miracula?

Theologus. — Fatentur, tam ipsi quam nos, Sarraceni quoque, ille etiam tuus astronomorum peritissimus Ptolemæus, ac aliæ multæ historiæ, quemadmodum olim Deus cœli omnipotens eduxit Hebræos de (*Exod.* VII-XII.) terra Ægypti, in manu potenti, ac inauditis prodigiis, percutiens Ægyptum, præsertim decem plagis. Denique divisit mare (*Ibid.* XIV.) Rubrum, et per medium ejus velut per siccam eosdem traduxit. Quumque ipsi transiissent, persequentes eos Ægyptios redeuntibus aquis submersit. Insuper, quadraginta annis eos in deserto pane pavit (*Exod.* XVI.) cœlesti, legemque eis cum horribilibus (*Ibid.* XIX *et seq.*) visionibus tradidit. In ipso itinere peccatores prostravit: quosdam terra vivos absorbuit, quosdam ignis combussit; quos- (*Num.* XVI, XXI, XXV.) dam serpentes, quosdam gladius ac similia tormenta multiformiter et juste consumpserunt. In tot annis non erat in tribubus (*Ps.* CIV, 37.) eorum infirmus, vestimenta non sunt attrita, nec calceamenta læsa seu vetustate (*Deut.* XXIX, 5.) consumpta. Nunquam defuit eis columna (*Exod.* XIII, 22.) nubis per diem, neque columna ignis per noctem. — Porro, ingredientibus terram, patribus eorum a Deo promissam, expulsi exterminatique sunt septem populi robustissimi, non in arcu neque in potestate ipsorum, sed Deo glorioso et sancto pro eis sine labore pugnante, ac impiissimos peccatores destruente. Præterea, deprecante duce eorum, sol stetit in cœlo immobi- (*Josue* X, 12-14.) lis spatio unius diei, ipsaque Jordanis flu- (*Ibid.* III, 16.) enta abierunt retrorsum, atque ad instar turris intumescentes, ascenderunt in altum, sicque in sublimi fixa manserunt, donec transeunte populo Dei redirent. Sed et alia innumerabilia contigerunt miracula. — Postremo fuerunt in eis viri sanctissimi divinis fulgentes prodigiis, mortuos suscitantes, ignem de cœlo procurantes, solem regredi obtinentes, et de his quæ soli Deo innotescunt vaticinantes. Erant eis de eorum prosapia sacerdotes ac reges.

Et ecce, Christo eis promisso, ut credimus itemque probamus, adveniente, omnia hæc eis ablata sunt, et in nostra Ec- D clesia incomparabiliter renovata et aucta, uti constare eis potest qui utriusque legis agnoscunt historiam. Nihilo minus ipsi in incredulitate sua perdurant, quatenus in hoc quoque Prophetæ eorum inveniantur fideles.

Philosophus. — Fateor tibi, o Theologe, quia hujusmodi non mediocriter fidem tuam corroborant, meque ad eam inclinant. Non invenio in aliis sectis probationes tam stabiles.

Theologus. — Diversis infidelibus diver-

simode necesse est fidem probari : non quod fides rationi subjaceat, sed ut fas est eam ostendi. Alii enim novam legem recipiunt, sed non veterem, ut Manichæi hæretici : et contra hos per novæ legis Scripturas disputare oportet. Alii veterem legem, non tamen novam suscipiunt, ut Judæi : et contra eos per veteris testimonia legis arguere par est. Ceteri vero, quemadmodum tu quoque, o Philosophe, nullam acceptant : et contra eos fides defensanda est, videlicet, quod ratione confundi non potest. Sed et indirecte probanda est per rationis industriam, non per argumenta naturalia, sed per divina opera atque miracula : quemadmodum hactenus egi. Si ergo legem veterem scires et crederes, multo tibi evidentius fidem ostenderem : quod tamen postmodum faciam.

ARTICULUS XIX.

Consideratio ex perfectione ac sanctitate vitæ atque doctrinæ christianæ fidem esse a Deo demonstrans.

Theologus. — Quemadmodum ille tuus Aristoteles ait, perfectum est unumquodque, quum unitum fuerit suo principio. Perfectio igitur omnis intellectus creati, est ejus ad divinum intellectum unio sive conversio. Porro, quo lex excellentiorem perfectioremque hujuscemodi conversionem docet et efficit, eo utique divinior est atque præclarior.

Philosophus. — Hoc palam est; sed talem esse christianam legem ostende.

Theologus. — Ut hoc tibi ostenderem præinducta injeci. Elucescit quoniam quo mens humana pluribus intendit atque distrahitur, eo uni, præsertimque summo illi æternoque bono, minus potest esse intenta. Lex ergo quæ ea perfectius tollit quæ mentem a Deo abducunt, et item illa plenius instruit quæ eam ad Deum convertunt et in ipso stabiliunt, sanctior diviniorque rite censetur.

A Philosophus. — Hactenus tibi consentio.

Theologus. — Talis est lex christiana. Ea nempe quæ hominem a Deo elongant atque impediunt, vel sunt omnino in homine, ut propria voluntas, passiones, voluptas et vitia; vel sunt prorsus extra hominem, ut possessiones, pecuniæ; vel sunt partim quidem nobis conjuncta, partimque separata, ut parentes, uxor, cognati. Omnia autem hæc christiana doctrina perfectissime aut præcepto prohibet, aut consilio tollit.

B Philosophus. — Hoc tibi incumbit probare.

Theologus. — Secundum Aristotelem tuum in Physicis, virtus uniuscujusque pensanda est a maximo in quod potest, et ab eo quod in aliquo ordine potissimum et simplicissimum est, mensura atque judicium in ordine illo accipienda sunt. Nunc ergo contemplare, o Philosophe, si dignitatem perfectionemque christianæ legis vere agnoscere cupis, eos qui illam perfectius implent, et vitam suam secun-
C dum ipsius doctrinam plenissime dirigunt.

Philosophus. — Quales sunt hi?

Theologus. — Hi sunt qui secundum Christi Domini sui exempla ac dogmata, ut soli Deo pura et libera mente vacare possint, omnia quæ memini sponte relinquunt : divitias, terram natalem, parentes, universos propinquos, familiares et socios, uxorem, omnemque carnis libidinem; demum quoque, quod eminentius est, se ipsos, propriam voluntatem, motus sensuales, iram, superbiam, vanitatem,
D omnemque affectionem quæ veræ caritati repugnat, et mentem a divina contemplatione atque amore aut elongat aut distrahit. Vides, si non dissimulas, quemadmodum illustrissimi, ditissimi, pulcherrimi adolescentes, pro Dei amore cuncta contemnant et tanquam stercora reputent, cœ- *Philipp.* III, 8.
nobia intrent, humillime, sobriissime, studiosissime vivant, nec a Dei servitute et laudibus retrahi queant. De nullo dolent, nisi quod a Deo abducit; neque de alio gaudent, nisi quod eos Deo conjungit. De-

nique, quod prorsus mirabilissimum est, A et soli Deo possibile, ubertim quum in omnibus mundi sint enutriti deliciis, neque ab hominibus ad talia exhortati, subito tamen mutati, et utique non nisi ab eo quem quærunt et diligunt inspirati, cum tanta alacritate respuunt omnia, ut facilius possint occidi, quam a Dei obsequio, a cœnobii durissimo jugo, atque a pœnitentiali itinere retrahi. Quid mirabilius isto? præsertim in teneris multis puellis, sexuque fragili.

Philosophus. — Vitam talem reprehen- B dere nequeo; sed horum similia in multis philosophis cerno, qui et ipsi turbas fugerunt, continenter et sobrie vixerunt, ac mundi divitias contempserunt, et solis divinis studebant. In quo ergo præfers tuos meis?

Theologus. — Verum esse quod dicis, ipse quoque meus testatur Hieronymus. Fateor equidem, quoniam omnia hæc eatenus fecerunt quidam elegantes philosophi, in quantum naturalis eis ratio dictabat hujuscemodi ad philosophiæ studium fore C accommoda, et ad subdendam rationi sensualitatem proficua. Verumtamen nulla eorum ad Christianos comparatio. Primo quidem, quia non retulerunt opera sua ad debitum finem. Denique ad talem cordis munditiam quam Christus edocuit, nunquam pervenerunt, imo nec de ea loqui sciverunt. Unde nec quotidianas mentis suæ maculas deplanxerunt, neque debitam Deo reverentiam exhibuerunt: imo nec veram unquam humilitatem sortiti sunt, sed minores alios spreverunt, seque ceteris D prætulerunt. Præterea præcipui inter eos, videlicet Diogenes, Anaxagoras, Heraclitus, atque consimiles, nedum alia, sed se ipsos quoque ignorabant. Diogenes animam esse aerem dixit; vaporem, Heraclitus. Positionem Platonis Aristoteles reprobat. Sed nec ipse Aristoteles de animæ immortalitate atque beatitudine assertive ac plene locutus est: imo, quod se in libris suis dicturum promisit, non utique invenitur dixisse. Solus Socrates pro veritate ac Dei honore mori legitur exstitisse paratus.

Itaque secundum naturalis rationis potentiam, veritatem scrutati et virtutes operati sunt. Sed quoniam Deum non sicut *Rom.* I, 21. Deum glorificaverunt, neque in ipso solo sed in se ipsis confisi sunt, ideo quantum gratia et in Deo fiducia naturam præsumptionemque excellunt, tantum Christianorum sapientia, virtus seu vita, illorum conversationemque excedit atque scientiam.

Enimvero, quod apud philosophos paucissimi quidem fecerunt, hoc in christiana religione innumerabilia hominum millia, juvenum, virginum, senum, doctorum indoctorumque egerunt, multo utique excellentius atque perfectius. Et qui secundum christianam legem purius veriusque in omni simplicitate vixerunt, his Deus gloriosus et fortis cuncta subjecit, leges ac ordinem rerum: quoniam spes ipsorum in Deo fixa consistens, dubitare non valuit quin a Deo, quem super omnia et in omnibus ardentissime diligebant, universa quæ salubriter peterent, obtinerent. Et quod philosophi tui prorsus impossibile opinati sunt, ipsi celeriter a Deo precibus sunt sortiti.

Philosophus. — Quid de Socrate sentis? Numquid ipse ex puris naturalibus salvus factus est?

Theologus. — Temporibus suis, tam ipse quam Plato, ac alii multi, Hebræorum, qui tunc famosi verique Dei cultores fuerunt, libros (Moysis scilicet et Prophetarum) legisse scribuntur, et ex eis edocti. Sed nec Socratem arbitror sine speciali Dei subsidio tantam habuisse virtutum constantiam in vita et morte.

Philosophus. — Jam nunc universis præinductis diligenter rememoratis, ecce assertionibus tuis, o Theologe, cedo atque consentio, fidemque catholicam a Deo datam et item stabilitam penitus credo. Verumtamen, de singulis fidei tuæ articulis disputare tecum ac edoceri a te concupisco.

Apoc. VII, 12. THEOLOGUS. — Eia! Benedictio, et claritas, et gratiarum actio, honor, et virtus, et
I *Tim.* II, 4. fortitudo Deo nostro, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad sui cognitionem venire. Nunc ergo, o Philosophe, imo et Catholice, audi. Quamvis præhabita fidem nostram a Deo esse sufficienter tibi demonstrent, ea tamen quæ restant, te vehementius confirmabunt, ac in fide stabilient. Quumque ipsa legis christianæ A documenta audieris, magis miraberis atque consenties.

PHILOSOPHUS. — Cupio igitur ut velut ab exordio inchoes, et quid primum credendum sit, mihi patenter insinues, meisque demum dubitationibus satisfacere digneris.

THEOLOGUS. — Rationabili tuæ petitioni libens ac lætus acquiesco. Ideoque hic primum librum consummans, a secundo novoque libro exordiar.

LIBER SECUNDUS

DIALOGION

DE FIDE CATHOLICA

LIBER SECUNDUS

DE UNITATE DIVINÆ NATURÆ, AC TRINITATE PERSONARUM.

PROŒMIUM.

Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. I, 9.

Joann. I, 18. Unigenitus Dei, qui est in sinu Patris :
Ibid. VIII, 12. Ego, inquit, sum lux mundi. Rursusque :
Ibid. XIV, 6. Ego, ait, sum via, veritas et vita ; nemo
Act. IV, 12. venit ad Patrem nisi per me. Neque enim
est aliud nomen datum hominibus sub
cœlo, in quo oporteat eos salvos fieri, nisi
nomen Filii Dei, quem misit Pater salva-
Sap. II, 24. torem mundi. Sicut enim invidia diaboli,
per unius hominis terrestris prævaricati-
onem mors introivit in orbem terrarum :
sic quoque caritate Dei per unius homi-
nis cœlestis obedientiam salus sæculi re-
Jer. X, 14. parata est. Vanus factus est omnis homo
Sap. XIII, 1-3. a scientia sua. Siquidem vani sunt om-
nes homines in quibus non subest scien-
tia Dei ; et de his quæ videntur bona,
non potuerunt intelligere eum qui est; sed
aut ignem, aut solem, aut lunam, recto-
res putaverunt orbis terrarum ac deos.
Quorum si specie delectati, deos arbitra-
bantur : sciant quanto his dominator eo-
Rom. I, 20. rum speciosior est. Invisibilia enim Dei
per ea quæ facta sunt, a creatura mundi
cognoscuntur, sempiterna quoque virtus
ejus atque divinitas, ita ut sint inexcusa-
Act. XVII, 30. biles. Verumtamen, tempora prioris igno-
A rantiæ despiciens Deus, novissime diebus Hebr. I, 1, 2.
istis locutus est nobis in Filio suo, quem Joann. III, 35, 15.
diligit, in cujus manu omnia dedit, ut
omnis qui credit in ipsum non pereat,
sed habeat vitam æternam.

ARTICULUS I.

De primo articulo fidei orthodoxæ.

THEOLOGUS. — *Audi, Israel : Dominus* Deut. VI, 4.
Deus tuus, Deus unus est. Si præinducto-
B rum, o Philosophe, rite memineris, hujus,
ni fallor, mox memor eris, quemadmo-
dum in superiori libro, quum duodecim
fidei memorarem articulos, primum eo-
rum esse testabar, credere esse unum, so-
lum, verum Deum, uti scriptum est : Vi- Ibid. XXXII, 39.
dete quod ego sim solus, et non sit alius
Deus præter me. Et hoc quidem veteris
legis testimonium est. Paulus vero ait :
Unus Deus et Pater omnium, qui est su- Ephes. IV, 6.
per omnes, et per omnia, et in omnibus
nobis.

C PHILOSOPHUS. — Quum juxta præhabita,
sit fides eorum quibus ratio non præbet
stabilimentum, utpote argumenta non ap- Hebr. XI, 1.
parentium : quomodo credere Deum esse
unum, est articulus fidei, quum naturalis
ratio id ipsum agnoscat, atque philosophi
hoc ratiocinando invenerint ?

Theologus. — Secundum præostensa, Divinitatis proprietas et appellatio a causalitate et providentia institutæ sunt. Hoc nempe omnes Deum esse sunt fassi, quod in causalitate et gubernatione aliis eminet. Quamvis itaque unum esse primum principium primamque causam philosophica ratio noverit, verumtamen illud eo modo esse rerum principium, sicque cuncta disponere uti fidei veritas instruit, ratio humana non utique certo comperit. Quidam enim philosophi mundum ab æterno fuisse putabant, et Deum immediate non providere nisi cœlestibus, et eorum impressioni inferiora omnia necessario subjacere : quod fidei dissonat. Docet igitur fides unum esse Deum, universorum causam atque rectorem eo modo quo adstruit sacra Scriptura. Nihilo minus de ipsa creatione specialis exsistit articulus. Denique fides non solum eruditis, sed vulgo quoque proponitur, in quibus plures per rationis indaginem divinæ unitatem naturæ ignorant.

Philosophus. — Labore non eges ut mihi Dei unitatem edisseras : hoc equidem philosophia tam Platonicorum quam Peripateticorum demonstrat.

Theologus. — Expedit nihilo minus ut de proprietatibus Dei secundum quod unus est, plenius colloquamur, videlicet de æternitate, sapientia, atque similibus. Propter quod si molestum tibi non est, enuntia quid meliores philosophi de divina unitate, ipsoque Deo excelso et sancto senserunt.

ARTICULUS II.

Responsio Philosophi de natura Dei, secundum meliores philosophorum.

Philosophus. — Quemadmodum ex naturalium rerum generatione ostendit Aristoteles in Physicis, infimum in entibus, scilicet materiam primam, esse puram potentiam, utpote totius actualitatis atque formalis perfectionis expertem ; sic in Me-
A taphysicis, ex ipsis intellectualium substantiarum primariarumque causarum ordinibus demonstrat Deum consistere purum actum, omnis videlicet imperfectionis ac totius materialis conditionis alienum. Unde consequitur eum esse incommutabilem, itemque æternum. Est enim, secundum eumdem Aristotelem, potentia principium transmutandi ab altero, in quantum alterum ; actus autem est principium transmutandi aliud, secundum quod aliud. Itaque uti puræ potentiæ est dum-
B taxat transmutari, pati et perfici, sic puri actus est solum omnia alia movere, agere atque perficere. Ideo Aristoteles : Ab hoc, inquit, ente dependent cœlum et terra. Denique, secundum eum ejusque Commentatorem, et Avicennam, Deus est ens simpliciter et extra omne genus perfectum, in quo est universa essendi nobilitas et quidquid ad entis plenitudinem pertinet; et ob hoc est penitus infinitus.

Præterea ille Platonicorum subtilissimus Proclus, in Elementatione sua theolo-
C gica probat, quod primum ens est penitus ignotum, et omnem intellectum omnino incomparabiliter vincens. Et in libro de Causis scriptum est : Causa prima est superior omni narratione, et non est ei perfectio nec diminutio ; sed ipsa est super omnem perfectionem, cujus esse nec effabile, nec imaginabile, nec intelligibile est, sed est incircumscriptum et prorsus ignotum. Scire enim est per causam cognoscere. Primæ autem causæ nulla est causa. Porro Plato et Proclus, et post eos
D Alphorabius et Algazel, Dei naturam aiunt esse puram bonitatem, simplicissimam, omnisque perfectionis, virtutis, scientiæ ac sapientiæ fontem. De quo in Timæo Plato fatetur, genitorem opificemque universi tam invenire difficile, quam inventum digne profari.

Theologus. — Rationabiliter, compendiose et elegantissime respondisti, Philosophe. Et quoniam sapientem virum te esse contemplor, supervacua nos relinquere atque ad interiora ingredi par est.

Philosophus. — Si præinductis a me consentis, et si de incomprehensibilitate, omnipotentia, sapientia Dei atque similibus aliter sentis, edissere mihi.

Theologus. — De incomprehensibilitate ac immensitate divina, nullus nobis exstat conflictus : quanquam, uti postmodum elucescet, alias quoque causas habeam incomprehensibilitatis divinæ (videlicet emanationes Dei ad intra, de quibus philosophi nihil locuti sunt), quam quas tu adducis. Porro de omnipotentia atque scientia Dei, magis convenimus in voce quam in ipsa re. Coarctant nempe sapientes tui divinam potentiam ad hanc naturalem entium legem ac ordinem, quasi Deus omnipotens aliter in rebus operari non posset quam naturalis exigit cursus. Insuper, opinati sunt multi eorum, Deum hæc variabilia non cognoscere, nisi secundum species suas, non autem secundum individua : et hoc Averroes æstimavit. Alii, ut Avicenna cum suis, quamvis etiam individuorum Deo agnitionem adscriberent, asserebant nihilo minus Deum nequaquam cognoscere omnes illas habitudines atque innumerabiles contingentias, quæ suppositis istis moralibus accidunt, utpote, quod nunc loquar, nunc taceam, nunc movear, nunc quiescam, etc.

Philosophus. — Contra hanc positionem de scientia Dei circa creata superius efficaciter disputasti, pleniusque quum locus se offeret, ut appeto, disputabis. Nunc vero antequam de Dei omnipotentia disputem tecum, evidenter mihi, quæso, insinua quemadmodum de omnipotentia Dei catholica sapiat fides.

ARTICULUS III.

De omnipotentia Dei, et incoarctabili ejus virtute.

Theologus. — Nulla autem potentia perfecta est, si non possit in omnia quibus proprii ratio objecti non repugnat : sicut non esset perfectus visus, qui non om-
A ne coloratum ac lucidum intueri valeret. Quum ergo Deus sublimis sit ens per essentiam independens, a quo cuncta dependent, divinæ virtutis objectum est ens creabile aut certe causabile.

Philosophus. — Ita est.

Theologus. — Cuicumque ergo ratio entis causabilis non repugnat, hoc divinæ potentiæ subjacet ?

Philosophus. — Utique.

Theologus. — Sed quidquid contradictionem non implicat, rationi entis creabilis
B non disconvenit.

Philosophus. — Unde hoc probas ?

Theologus. — Quoniam in re ipsa est capacitas, et in eo qui infinitæ virtutis est, consistit efficax omnino causalitas.

Philosophus. — Utrumque horum falsum videtur. Non est enim res capax ejus quod naturæ suæ repugnat. Porro, quum Deus sit invariabilis, semperque uniformiter atque eodem modo se habens, non nisi uniformiter agere potest, videlicet secundum capacitatem recipientis. Idem
C enim, in quantum idem, efficit idem. Nihil ergo extra naturalem naturæ cursum fieri valet.

Theologus. — Visibiliter conspicis per violentiam motoris gravia quædam ascendere, leviaque descendere, quum tamen ascensus gravium naturæ repugnet, levibus quoque descensus. Si igitur res creatæ talia patiuntur ab his quæ naturas earum non condiderunt, per agentis violentiam, cur non erunt capaces motionis et influentiæ ejus qui condidit eas, non utique
D per violentiam, sed per supernaturalem obedientiam ? Nonne Creator omnipotens imperialem liberamque potestatem super ea quæ creavit jure sortitur ? Nonne rationabile est, ad ejus nutum naturam mutari, ad cujus imperium potuit de nihilo inchoari ? Quid enim majus est rem de nihilo facere, aut factam supernaturaliter transmutare ? Nonne de nihilo facere ? Ibi enim infinita est terminorum a quo et ad quem distantia ; hic autem non nisi de modo in modum variatio est.

Præterea, quod asseris, Deum quia immutabilis est, invariabiliter agere, verum est ex parte agentis, non autem ex parte objecti seu facti. Imo, quum virtus divina sit penitus infinita, omnino ei repugnat limitari eam ad hunc rerum cursum et ordinem. Infinitæ enim virtuti nihil resistere potest, nec quidpiam difficile est. Imo, quum sit Deus sapientissimum atque liberrimum agens, omnia potest secundum propriæ determinationem sapientiæ; et quemadmodum diversa itemque temporalia unice ac æternaliter contemplatur, sic absque sui mutatione mobilia atque difformia operatur.

Præterea, quod ais, idem, in quantum idem, agere non diversa, sed idem, de naturali agente verum est, quoniam secundum necessitatem naturæ agit; agens autem intellectuale secundum rerum proprias rationes cuncta producit. Denique dici nil prohibet, quod licet Deus gloriosus in se ipso semper idem sit, atque eodem modo se habeat, nihilo minus secundum relationes idealium rationum diversimode se habet ad entia, prout singula propriis cognoscit producitque exemplaribus formis. Est enim ars rationibus plena.

Philosophus. — Secundum hæc, omnia potest Deus quæ contradictionem non implicant. Potest igitur totum mundum annihilare, potest et justum damnare, et multa quæ eum non decent.

Theologus. — Est in Deo absoluta potentia, secundum quam omnia potest quæ non implicant. Tamen secundum potentiam suam ordinatam, nihil posse dicitur nisi quod ordini sapientiæ atque justitiæ suæ competit. Porro, quod justum damnare non potest, ita non potest quomodo peccare non potest. Posse enim quod nec decet nec bonum est, non est utique potentia, sed impotentia; et quamdiu quis potest quod non expedit, impotens est.

Philosophus. — Quum sit Deus summe simplex, ejus potentia est sua essentia, et sicut sua essentia est simplex et una, sic et potentia. Non ergo est in Deo distinctio
A potentiæ absolutæ et ordinatæ. Præterea, incommutabile agens non utique aliter aliterque se potest habere. Quum ergo Deus mundum condiderit ac esse voluerit, non potest voluisse eum non esse aut fieri : ergo necessario fecit mundum. At vero, quidquid in Deo est, Deus est : ergo quidquid in Deo est, necesse est esse. Sed voluntas fiendi aut essendi mundum, ab æterno in Deo fuit : ergo non potuit in Deo esse voluntas ad oppositum.

Theologus. — Distinctio duplicis in Deo
B potentiæ non est realis, sed rationis. Potest enim ipsa divina potentia considerari secundum se ipsam, et sic omnia potest, absolutaque dicitur. Rursus, considerari potest secundum exigentiam atque decentiam operantis, ordinem quoque ad creata : et ita non potest Deus oppositum ejus quod futurum simpliciter esse prædixit. Hoc tamen potentiæ ejus non derogat, sed veritatem commendat. Potuit namque non prædicere illud esse futurum. Per hoc autem soluta est ratio quam secundo addu-
C cis, quod incommutabile agens non potest aliter aliterque se habere. Quia ergo sic est, quod Deus ab æterno mundum esse voluit, aliter esse non potest. Hoc verum est secundum potentiam ordinatam, præsupposito quod sic voluerit. Sed objectio tertia hanc instantiam roborat, eamque plenius solvi requirit.

Respondendum est ergo ad rationes has, quod objectum voluntatis est bonum seu finis, et ea quæ sunt media secundum quod ad finem necessaria sunt. Porro ob-
D jectum et finis voluntatis divinæ aliud prorsus non est quam bonitas divina, non autem bonitates creatæ, quæ etiam nec necessariæ Deo sunt ad consecutionem sui finis, quæ est propria bonitas ejus. Voluntas ergo divina secundum ordinem ad proprium objectum seu divinæ bonitatis effectum, aliter se nequit habere : quemadmodum etiam non potest Deus non esse. Nec secundum hoc libera fertur. Est vero libera in ordine ad creata, quum ad divinam perfectionem non sint necessaria.

Itaque verum est, quod quidquid in Deo est, necesse est esse : ergo voluntas mundum essendi quum sit ipse Deus volens mundum esse, aliter se habere non potest. Verum est, secundum id quod ex parte fundamenti est; sed per comparationem ad volita, potuit Deus velle mundum non esse, eo quod volita necessariam ad Deum relationem non habeant absolute, nec ipse ad ea. Unde sicut in Deo misericordia non repugnat justitiæ, nec vice versa ; sic nec necessitas in eo libertati derogat, neque econtra, secundum Platonem in Timæo.

Philosophus. — In tam alto negotio sufficere merito debet mediocris responsio. Ideoque responsioni huic, nedum mediocri, imo et eleganti, libenter consentio. Sed jam quod tibi de sapientia atque providentia Dei dicendum videtur, edissere.

ARTICULUS IV.

De sapientia, scientia et providentia Dei viventis.

Theologus. — Nonne omnis causa cognoscitiva, præsertimque intellectualis, naturaliter proprium germen effectumque diligit, curat atque conservat? Quomodo ergo Creator supersapiens, essentialiter bonus, creata, potissime vero rationis beatitudinisque capacia, non diligeret, curaret, disponeret ac manuteneret? Præterea unicuique enti naturalis quædam inclinatio ingenita est a Creatore naturæ, qua in proprium finem proficisci festinat. Nempe hoc secundum tuum Averroem, dans formam seu speciem, dat consequentia formam, videlicet locum et motum. Et secundum Aristotelem, non deficit natura in necessariis. Deficeret autem, si non ea præstaret quibus propriam perfectionem seu finem res causata sortiri idonea est. Sed dare rebus inclinationem ad proprios fines, est gubernare easdem. Deus ergo excelsus et sanctus omnia regit : est enim regere, in finem dirigere.

A At vero intellectualibus rebus indidit Creator omnipotens rationem, voluntatem ac libertatem : rationem, ut veritati adhæreant; voluntatem, ut bonum diligant; libertatem, ut utrumque incoacte efficiant. Ceteris vero irrationabilibus nullam intellectualitatem libertatemve tribuit, sed naturalem appetitum. Ideoque hujusmodi potius aguntur quam agant, quoniam secundum naturæ impetum ac directionem procedunt. Intellectuales autem essentiæ actuum suorum dominium habent, et ob B id eis dumtaxat ratio culpæ et virtutis, demeriti et meriti, competit. Culpæ autem atque demerito pœna, virtuti vero et merito honor præmiumque debentur. Ad intellectualium igitur Creatorem substantiarum pertinet ut regat eas eisque provideat, nedum ut aliis, sed speciali utique modo : utpote ea impendens quibus proprium finem consequi possint; insuper quoque, propria ratione ac libertate bene utentibus gloriam, abutentibus autem confusionem rependens. Et quoniam, ut ad ocu- C lum cernimus atque præhabitum est, hoc in præsenti vita non fit, imo in ea optimis viris ubertim mala, pravisque prospera accidunt, constat quoniam alia restet præmiorum pœnarumque retributio et vita.

Philosophus. — Jamdudum, in superiori libro sufficienter te illic probasse fatebar divinum intellectum universa distincte cognoscere. Tu vero nunc prorsus implesti quod te facturum spondebas. Clarius enim et clarissime, præsertim in ultimo argumento, nunc ostendisti quod D specialem habeat Deus providentiam hominum, demumque quod anima immortalis sit. Veruntamen habeo parum quod tibi objiciam.

Theologus. — Propone.

Philosophus. — Dupliciter malum deletur : per anticipationem videlicet, ne eveniat; et per correctionem, ut jam factum quis malum emendet. Perfectius autem est per anticipationem quam per correctionem malum delere. Quum ergo Deus perfectissimus sit, si ipse hujus sensibilis

mundi regimen ac providentiam habeat, A videtur quod per anticipationem omne malum deberet vitare : cujus tamen oppositum patet. — Præterea, ubertim per superfluam irrigationem, interdum quoque per nimiam siccitatem, terræ nascentia destruuntur, ex quo hominum itemque brutorum vita vel periclitatur, aut certe perimitur. Hoc autem ad divinam supersapientissimam gubernationem non pertinet. Imo sapientis ac benigni rectoris est secundum congruentiam debitumque moderamen singulis providere. — Rursus, B quum Deus non sit immediata omnium singularium causa, non videtur omnia sigillatim agnoscere atque disponere, sed in communi dumtaxat.

Theologus. — Trium rationum istarum primæ duæ uno modo solvuntur. Sapientissimi enim rectoris est unumquodque secundum propriæ conditionem qualitatemque naturæ disponere. Propterea, licet divina cognitio, providentia ac dispositio, invariabilis, æterna ac infallibilis sit, rebus tamen necessitatem immutabilitatemque C non imponit ; sed aliter superiora, aliter inferiora, aliter divina atque perpetua, aliterque generabilia et corruptibilia dispensat et regit. Ideoque non omne malum in inferioribus per anticipationem impedit, quoniam naturis eorum hoc ipsum non convenit, quippe quæ naturalem variabilitatem mutuamque contrarietatem sortita sunt : quod utique ordini universi concordat et competit.

Porro, quod tertio adduxisti, sic solvitur. Constat quippe quoniam quidquid D perfectionis in regimine universi consistit, Deo sancto adscribere æquum est. Pertinet autem ad excellentiam principis ut cuncta et singula, imo et minima, in se ipso cognoscat atque discernat. Propterea namque admiramur viros quosdam præcipuos, quod quum summi essent in summis, summi nihilo minus erant in minimis, quemadmodum de fratre suo venerabili illo Gerardo electus Dei Bernardus testatus est : Erat, inquiens, in altis divinisque rebus præclarus, et circa minima quoque disponenda præcipuus.

Verumtamen ad imperialem regalemque pertinet dignitatem, non singula, sed eminentiora per se ipsum operari et exsequi, inferiora autem ministris prosequenda committere. Itaque princeps principum, Deus superexaltatus, quum sit substantialiter ipsa perfecta ac exemplaris sapientia, in se ipso cuncta æternaliter, præsentialiter, providentialiterque disponit, superiora per se ipsum dispensans et regens, inferiora autem per causas secundas : quemadmodum etiam in Timæo Plato tuus fatetur, principem omnis regiminis ad orbium motores sic fari inducens : O dii deorum ! quorum idem pater opifexque ego : horum sementem ego faciam, vobisque tradam ; vestrum autem exsequi par erit. Igitur sicut generabilium corruptibiliumque istorum non est Deus proxima immediataque causa, sed principalis et prima, sic nec per se ipsum immediate ea gubernat. Vere tamen atque originaliter ea regit. Hoc enim et Aristoteles undecimo Primæ philosophiæ disseruit : Entia, inquiens, nolunt male disponi : unus ergo [sit] princeps; videlicet quem omnia appetunt, quique universa in se tanquam in ultimum finem naturaliter utique inclinat et movet.

Philosophus. — Efficaciter respondisti, Theologe ; et ut cerno, ipsam naturalem nostram philosophiam in theologicæ tuæ obsequium veritatis retorques.

Theologus. — Sic fieri justum est. Quemadmodum enim creatura Creatori obsequitur, sic naturalis scientia divinæ sapientiæ famulatur.

Philosophus. — Sed quid de fato affirmas ? Etenim si, ut asseris, immobilis infallibilisque Dei providentia cuncta complectitur, videntur omnia secundum invariabilia fata contingere, uti Poeta : Fata, ait, volentem trahunt, nolentem cogunt.

Theologus. — Si tibi in præsenti articulo ad ista respondero, eumdem nimium prolongabo. Ut igitur recentius atque atten-

tius audias, paulisper quiescam, ut respires, et demum specialem hinc formabo articulum.

Philosophus. — Hoc sapientiale piumque moderamen efflagitat.

ARTICULUS V.

Quid de fato sobria veraque ratio sentiat.

Theologus. — Fati nomen, o Philosophe, Christianis suspectum est. Ait enim S. Gregorius : Absit a fidelium mentibus, ut fatum aliquid esse dicant. Et hoc dixit Gregorius secundum quod quidam mathematici de fato locuti sunt, contra quos disputavit. Voluit ergo ut nequaquam cum illis communicaremus in ipsa re fati. Insuper, quia cum infidelibus etiam nec in nominibus communicare debemus, ideo licet fidelium quispiam de ipsa re fati veraciter sentiat, prohibet tamen beatissimus Augustinus usum nominis fati. Ait equidem quinto de Civitate Dei : Si quis virtutem aut potestatem Dei nomine fati appellet, linguam corrigat, sententiam teneat.

Verumtamen, quoniam vir ille illustrissimus, catholicus ac fidelis, Boetius, fatum definit eoque utitur, nunc eum sequendo, gratia disputationis utar fato; dicamque, quod sicut Providentia est fiendorum regendorumque dispositio prout in mente primi principii exstat, sic hæc ipsa dispositio in quantum rebus impressa atque in eis digesta est, fatum vocatur. Est enim fatum inhærens rebus mobilibus dispositio, qua Providentia suis quæque nectit ordinibus. Intellectuales ergo naturæ, quæ a Deo omnipotenti immediate reguntur, providentialiter gubernantur. Corporalia vero, quæ reguntur a Deo mediantibus incorporalibus, fataliter disponuntur. Estque fatum hoc modo sumptum in Deo exemplariter; in intelligentiis divinam ordinationem exsequentibus, active et instrumentaliter; in inferioribus autem, passive, utpote rectis. Porro in cœlestibus orbibus A est quasi mixto modo : nam et ipsi elementa mixtaque regunt et movent. Oportet autem hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur : quemadmodum non solum Aristoteles, sed ipse quoque divinus Dionysius in libro de Divinis nominibus asserit. Rursusque, ipsa cœlestia corpora a causis secundis, videlicet motoribus suis, reguntur. Sic denique sumptum fatum negare, est divinam providentiam negare.

Philosophus. — Si fatum singula suis B nectit ordinibus, et secundum inviolabilem certissimamque mentis divinæ providentiam cuncta prosequitur et in actum deducit, certus est ordo causarum, nec erit aliquid a fortuna vel casu, sed necessario universa provenient, quemadmodum Marcus Tullius argumentatus est. Adhuc autem, quum divina cognitio sit rerum causa : si Deus omnia noscit et providet, omnia inevitabiliter fient. Quod enim a causa invariabili proficiscitur et infallibilem provisorem habet, necessario fit. C Et secundum hoc non erit libertas, et mala necessario accident.

Theologus. — Cognitio quum sit operatio cognoscentis, non fit secundum conditionem cogniti, sed cognoscentis : eamdem enim rem aliter sensus aliterque conspicit intellectus. Et hoc omnes Peripatetici adstruunt. Sed et Platonici aiunt, mutabilia, corporalia ac temporalia, immobiliter, incorporaliter æternaliterque Deum intelligere. Quoniam ergo divinus intellectus omnia secundum propriæ excellentiam D deitatis cognoscit, non autem secundum qualitatem scitorum, ejus cognitio non tollit ab entibus proprias qualitates atque naturas. Imo, quum secundum te, divina scientia sit entium causa, Deus per suam cognitionem causat in rebus earum differentias, gradus et ordines. Sed, ut Aristoteles ait, differentiæ entis sunt necessarium et contingens. Gradus demum ordoque rerum requirit, ut sint quædam immobilia, quædam mobilia, quædam uno modo se habentia atque simplicia, quædam vero

instabilia, et item corporea. Et ut Aristoteles optime dixit, ordo causarum est, ut quædam sint causæ ut semper, quædam ut frequenter, quædam ut raro. Divina ergo providentia has rerum proprietates non tollit, sed edidit atque conservat.

In compendio igitur dico, quod fatum in ordine ad providentiam omnia invariabiliter nectit; nec per comparationem ad divinam providentiam ac præscientiam aliquid casualiter aut fortuite accidit. Nihilo minus in ordine ad proprias ac proximas causas, res quædam libere contingenterque fiunt, imo et simpliciter aliter fieri possunt. Nempe quum Deus singula perfectissime distinctissimeque secundum omnes eorum proprietates agnoscat, scit necessario necessaria fieri; contingentia vero contingenter necessario eveniunt, quia sic a Deo ventura esse prævisa sunt. Non est enim divina præcognitio uniformiter rerum principium, sed unicuique secundum propriam naturam capacitatemque influit.

Quum ergo dicis, omnia ab invariabili ac necessaria causa, videlicet divina præscientia fieri, ergo omnia necessitate quadam proveniunt: non sequitur, quia divina præscientia non est omnium uniformiter causa, neque est semper contingentium effectuum propria, proxima, totalisque causa. Judicium autem vere non ex causa universali et prima, sed propria ac proxima, sumere competit. — Præterea mala, in quantum mala, nullam entitatem habent, sed fundantur in bono commutabili: et ideo, in quantum mala, secundum se nec sciuntur, nec providentia est de eis; sed secundario sub providentia cadunt et ordinantur in bonum universi. Ideoque mali, in quantum hujusmodi, nullo modo est Deus causa, sed ipsa voluntas creata, secundum quod ex nihilo est et de se non nisi deficere et in nihilum tendere potest; sicut et Plato de diis inducit summum Deum ita loquentem: Natura quidem corruptibiles estis, mea autem voluntate indissolubiles.

A PHILOSOPHUS. — Adhuc unum tibi objiciam. En Avicenna licet dicat intellectualem animam motibus non substerni cœlorum, eo quod corporeum in incorporeum agere directe non possit, omnia tamen quæ in hoc mundo contingunt, necessario fieri asserit, causamque necessitatis in influentiam cœlestem reducit. Ait equidem, quod semper influentiæ cœlesti inferiora subduntur, nisi defectus ex parte inferiorum proveniat. Omnis autem talis defectus aut est naturalis, aut certe voluntarius. B Sed omnis causa naturalis ac etiam voluntaria reducitur in quoddam cœleste principium: ergo impedimentum cœlestis influentiæ ex causa cœlesti procedit. Cœlum enim ratione sui corporis, dominium habet super corpora; ratione autem motoris, super animam rationalem. Igitur si consideremus totum cœlestium corporum ordinem simul, nunquam effectus ejus cassari valebit, sicque omnia de necessitate contingent.

THEOLOGUS. — Hanc positionem ipse quoque C princeps Peripateticorum Aristoteles in Metaphysica narrat et destruit. Neque enim Avicenna hujus erroris primus erat assertor, sed antiqui naturales ante Aristotelem. Omnes autem isti ex falso fundamento inducti sunt. Avicenna quippe omnia inferiora a motoribus orbium creata esse opinatus est. Ideoque mirum non est si ad causas cœlestes universa reduxit. Porro antiqui illi philosophi, in quibus, Aristotele teste, nulla vel pauca erat separatarum substantiarum cognitio, quia D nec sensum ab intellectu distinxerunt, solem, lunam, orbes ac sidera, mundi putabant rectores et causas: quum tamen omnia illa ipso suo incessabili motu ac celerrimo cursu ministerium suum evidenter insinuaverint: quod etiam posteriores philosophi fassi sunt.

Insuper, positio ista Avicennæ atque Albumasar, itemque Alkindi astronomi, valde irrationabilis est. Nam motor cœli, sive dicatur anima, secundum Avicennam, sive intelligentia tantum, non agit in hunc

mundum nisi per orbem qui est proprium ejus instrumentum. Agens autem per instrumentum, illis dumtaxat influit ad quæ actio instrumenti pertingere valet. Actio vero orbis non nisi ex parte corporis corporalis est : ergo motor ejus per ipsum in corporalia tantum imprimere potest, et non directe in intellectum aut voluntatem. Præterea, quod alicui naturale est, ei per nullum extrinsecum agens, eo manente, auferri potest. Sed voluntati libertas naturalis est ; et ratio quidem per demonstrationem cogi potest, nunquam autem voluntas. Nullatenus ergo per cœlestem quamcumque causam necessitari potest aut cogi.

PHILOSOPHUS. — Copiosissime mihi respondes. Et quoniam te in naturali quoque philosophia eruditissimum cerno, tecum libenter disputo.

THEOLOGUS. — Audi tamen paulisper. Secundum Aristotelem, qui experientiæ contradicit, non ratione, sed pœna indiget. Et ut Averroes ait, signum sapientis est, ut ea quæ quis affirmat, sensui quidem atque experientiæ non repugnent. Experimur autem in nobis ipsis quod ad multa liberrimi sumus, quod providentiæ nostræ ac humana consilia sæpius plurimum prosunt. Videmus quod si divinæ providentiæ ac fato nos ipsos committimus, et id quod in nobis est operari negligimus, cito peribimus, vel fame aut simili modo. Qui igitur omnia de necessitate evenire arbitrantur, insipientes sunt, quoniam sensui ac experientiæ contradicunt.

PHILOSOPHUS. — Ad alia transeamus, quia in his tibi prorsus consentio.

ARTICULUS VI.

De immensitate atque beatitudine incomprehensibilis Dei.

THEOLOGUS. — Quoniam, secundum præinducta, Deus est ens simpliciter perfectum, totius nobilitatis plenitudo ei com-
A petit, nilque eo dignius cogitari potest. Nullum autem ens cujus perfectio finita est, tale est. Omni namque perfectioni finitæ addere potest intellectus perfectionem ulteriorem ; et quod finitum est, terminum habet. In termino autem rei incipit ejus non esse, desinitque et sistit sua perfectio. Denique quod finitum est, ad certum genus reducitur, et est determinatum ad specialem perfectionem : non est ergo simpliciter universaliterque perfectum. Deus itaque, qui est extra om-
B ne genus, illimitatam perfectionem sortitur, nullo modo finitus. Porro dubium non est quin si sit infinita perfectio, ipsa omnem perfectionem finitam incomparabiliter transcendat et dignior sit. Si igitur omnis dignitas Deo inest, tunc utique infinitæ perfectionis consistit. Præterea actus non nisi per potentiam finitur. Deus autem est actus purus : nullatenus ergo esse ejus terminabile est.

PHILOSOPHUS. — Secundum Aristotelem, intellectus naturaliter abhorret infinitum.
C Et denuo ait in Physicis, quod si infinitum esset, ipsum imperfectissimum foret. Deus ergo infinitus non est.

THEOLOGUS. — Tu ipse nosti, quod Aristoteles de infinito ex parte potentialitatis atque materiæ, quod scilicet privative dicitur et quantitatis proprietas est, loquitur ; non autem de infinitate ex parte actus et formæ, quod negative dicitur, eo quod propter propriæ perfectionis plenitudinem nullo valet termino coarctari. Divina ergo immensitas aliud prorsus non
D est quam infinita virtus, infinita felicitas, infinita pulchritudo, infinita dulcedo, infinita lætitia, infinita sufficientia, infinita libertas, omniumque bonorum atque pulchrorum perfecta possessio. Et hæc est beatitudo supergloriosi æternique Dei, cui utique omnis debetur honor et gloria. Propterea demum incomprehensibilis est, quia actualitas ejus et lumen omnem capacitatem finitam in infinitum excedit ; et denuo, quoniam ipsius nulla est causa. Dicitur autem Deus incircumscriptibilis per

comparationem ad locum, incomprehensibilis in ordine ad intellectum, æternus secundum durationem, infinitus secundum se ipsum, licet se ipsum perfectissime comprehendat.

PHILOSOPHUS. — Hæc omnia naturalis ratio approbat : ideoque ad ea quæ fidem concernunt te transfer. De his enim in quibus convenimus, non utique disputare egemus.

THEOLOGUS. — Quemadmodum exigis agam. Verumtamen ista secundum naturalem sapientiam præinduxi, quoniam ad futura proficient.

ARTICULUS VII.

De secundo articulo fidei, scilicet de benedicta Trinitate.

I *Joann.* v, 7. THEOLOGUS. — *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.*

PHILOSOPHUS. — Quid est hoc ?

THEOLOGUS. — Confitetur catholica sancta Ecclesia Deum verum, omnipotentem, æternum, sic unum, ut tamen sit vere trinus, sicque nihilo minus trinum, ut sit veraciter unus.

PHILOSOPHUS. — Hoc impossibile reor. Vera namque unitas ac pura simplicitas, pluralitatem diversitatemque excludit. Si ergo Deus vere unus ac summe simplex est, nulla in eo trinitas est, quæ sine pluralitate atque diversitate esse non valet.

THEOLOGUS. — Secundum ineffabilem inviolabilemque fidei veritatem, est in Deo pura unitas, vera trinitas, ac summa simplicitas ; nec tamen unitas trinitati repugnat, nec vice versa. Servatur et insuper in unitate et trinitate summa simplicitas. Asserimus enim Trinitatem in Deo, esse tres veras supersubstantiales æternas personas, suppositaliter realiterque distinctas. Verumtamen hæc ipsa Trinitas, aliud non est nisi purissima unitas, utpote ipsa divina essentia ac immultiplicabilis deitas : sicque salvatur in Deo summa sim- A plicitas, quoniam quidquid in eo est, est una simplex natura divinitasque æterna.

PHILOSOPHUS. — Assertionis hujus incomprehensibilis novitas confusionem mihi inducit. Et licet variis tibi rationibus obsistere queam, propter confusionis tamen inordinationem, quid primo opponam vix advertere valeo. Denique, consideratione paulisper resumpta, illud primo inducam. En quemadmodum Aristoteles demonstravit, unum in substantia, facit idem in quantitate æquale, in qualitate- B que simile. Quum ergo sit in Deo simplicissima unitas, erit etiam in eo mera identitas, et per consequens nulla realis distinctio nec diversa personalitas.

THEOLOGUS. — Ordinate sciscitare et argue, et veritas clare patebit. Ecce concedo quia sicut in Deo est summa unitas, sic et vera identitas, quoniam tres divinæ ac increatæ personæ sunt non jam dumtaxat unum, sed etiam idem, non in persona, sed in ipsa divina essentia.

PHILOSOPHUS. — Priusquam amplius ar- C guam aut magis interrogem, primo mihi insinua quid de divinis personis sentias, quæ earum origo, quis ordo, qualis distinctio, et tunc compendiosius sciscitabor atque objiciam.

THEOLOGUS. — Ita agendum est.

ARTICULUS VIII.

De divinarum personarum origine, identitate ac distinctione.

D THEOLOGUS. — *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ? dicit Dominus.* Quemadmodum Peripatetici aiunt, Deus est intellectus universaliter agens, semper in actu, summeque simplex. Et ut Plato tuus testatur, Deus meus est cujus visus contemplatioque [est] intellectus. Deus ergo sublimis, cujus sapientiæ non est numerus, se ipsum perfecte, semper, actualiterque intelligit. Quod autem intelligitur est in ipso intelligente. Porro intellectum, secundum quod in lumine intelligentis

Is. LXVI, 9. *Ps.* CXLVI, 5.

consistit, est verbum, imago conceptusque intelligentis.

Itaque Deus se ipsum intelligens, in semetipso de ipsa sua sapientia format conceptum, profertque immanens Verbum. Et quoniam Deus se ipsum omnino perfecte intelligit, se quoque perfecte diligit. Ideoque quidquid in Patris sapientia est, in Filio sicut in speculo atque imagine plene
Joann. I, 1; resplendet. Unde et Verbum Patris, splen-
Hebr. I, 3; II *Cor.* IV, 4; dor gloriæ, imago et speculum Dei Pa-
Sap. VII, 26. tris vocatur. Hoc vero Verbum necessario æternum est, quoniam divinus intellectus incommutabilis est, et semper in actu, seque æternaliter intuens ac dicens. Est insuper consubstantiale coæqualeque Patri, quoniam quidquid Patris est seu perfectionis Paternæ, in ipso tanquam in naturali splendet imagine. Ideoque tota divinitas seu divina essentia in ipso est. Et quoniam omnis creatura necessario finita est, et ab increata majestate infinite occumbens, palam utique quia Verbum istud creatura non est, sed verus Deus.

Denique, sicut Deus se ipsum perfecte intelligit, sic quoque se plenissime diligit. Pater igitur et Verbum seu Filius se invicem contemplantes atque amantes, ex ipsa sua complacentia mutua amorem quemdam producunt, qui utriusque nexus est ac dulcis complexus, et vocatur Spiritus Sanctus, estque tertia in superbenedicta Trinitate persona : qui et ipse est verus Deus, æternus, immensus, quoniam amor iste minor esse non potest, quam sit amabilitas itemque complacentia Patris ac Verbi, a quibus spiratur ; sed et complexus ille suavissimus Patris et Filii necessario est æternus.

Hæc est igitur fides nostra de Trinitate divina.

ARTICULUS IX.

Admiratio ac disputatio Philosophi circa præhabita.

Philosophus. — Nunquam tam incomprehensibilem doctrinam audivi, o Theologe.
A Et nisi in superiori mihi libro persuasum esset, a Deo fore fidem christianam, hunc fidei articulum irrationabilem arbitrarer.

Theologus. — Ego tibi ostendam, Philosophe, quod philosophorum præcipui, tam inter Peripateticos quam inter Stoicos, mirabiliorem et item irrationabiliorem philosophiam induxerunt, quam sit fidei nostræ hic præsens de Trinitate articulus. Et ut a Peripateticis inchoem, en summus ille commentator Averroes, atque ante eum Themistius, nonne in omnibus
B hominibus unum numero intellectum ponebant? Quid ergo miraris si nos in tribus personis unam fatemur essentiam ? Denique Plato et Proclus cum Stoicis, nonne universales idealesque formas a singularibus realiter posuerunt sejunctas, et nihilo minus totas eorumdem quidditates sive naturas? Si igitur secundum hos, una humanitatis natura in se ipsa subsistens ac separata, omnibus hominibus exstat communicabilis, et de eis quoque prædicabilis : cur catenus mens tua obstupuit,
C audito quod eadem Deitatis essentia tribus personis communis sit et quævis ipsarum ? præsertim quum nullatenus opinemur eam a personis sejunctam, atque extra ipsas in se ipsa subsistentem, sed in ipsis dumtaxat constantem.

Philosophus. — Ab ipsis philosophis contradicitur eis quos tu modo adducis. Et igitur quum illæ eorum positiones falsæ sint, argumentum tuum contra te est, quia videtur sic etiam de isto esse articulo.

D Theologus. — Falsam esse assertionem eorum agnosco : imo nedum falsa est, sed est demum hæretica. Verumtamen negare non vales quin viri isti quos induxi, quamvis in hac parte decepti sint, erant tamen ingeniosissimi subtilissimique philosophi. Si ergo humana ratiocinatio eos ad tam incomprehensibilem admirabilemque philosophiam inducere potuit, cur non potius illa quæ in primo libro commemorata sunt divina miracula, fidelium mentes ad ea credenda inducerent quæ naturalis ratio

capere nequit? Enimvero præstolare paulisper, et ego tibi vel demonstrabo vel certe suadebo, quam rationabilis atque credibilis sit præsens sacratissimæ fidei nostræ articulus.

Philosophus. — Quemadmodum cervus a venantibus fatigatus aquarum fontes desiderat, sic ad promissa tua implenda anima mea penitus suspirans suspensaque est. Age ergo, ingrediamur pessimum bellum, ineamus forte duellum. Et quoniam, juxta Aristotelem, duobus exsistentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem; sic et nunc, licet nobis tam philosophica ratio quam fides ipsa amicæ sint, veritatem indagemus, nulli parcentes. Porro, ut singula discretius fiant, colligam et proponam quæ me rationabiliter movent. Tu autem eadem postmodum tali ordine, si vales, solvas, atque post hoc vel demonstrationes vel persuasiones tuas proponas, ut ita postremo elucescat quid verius sit.

Theologus. — Bene concepisti. Ideoque specialem forma articulum, et age ut cupis.

ARTICULUS X.

Rationes Philosophi contra generationem æternam processionemque divinam ad intra.

Philosophus. — (1) Quemadmodum in libro de Causis demonstratum est, impossibile est plures esse deos, quoniam Deus est ens simpliciter perfectum, ideoque omnis ei perfectionis nobilitas competit. Si est igitur alius Deus : vel in nullo ab isto distinguitur, et sic non erit alius; vel in aliquo differunt, et sic neuter erit perfectus verusque Deus, quoniam perfectio qua unus differt ab alio, alteri deest, alioqui convenirent in ea. Itaque si Pater est verus Deus, et Filius quoque est verus Deus : vel omnis perfectio Patris est in Filio, et econtra, et sic in nullo distinguentur, nec erunt duæ personæ; vel aliqua inest perfectio uni quæ alteri deest, qua distinctæ sunt, et ita uterque non erit verus Deus.

A (2) Præterea, ex eadem consideratione similis ratio fieri potest. Nam quum Deus sit ens universaliter simpliciterque perfectum, nulla potest esse in Patre perfectio quæ non sit in Filio, si Filius verus Deus est : quo concesso, Pater et Filius in nullo different, nec duæ personæ erunt.

(3) Amplius autem, habere Filium Deum, infinita videtur esse fecunditas atque perfectio. Si ergo Filius verus Deus est, non utique deerit ei tam præclara perfectio. Itaque et ipse Filium Deum habebit, eruntB que quatuor personæ divinæ, imo infinitæ : quoniam sicut de Filio arguo, sic de Filii Filio, ipsoque Spiritu Sancto arguere possum.

(4) Adhuc autem, ipsa divina essentia quum sit purus actus puraque bonitas, per se ipsam summe individua, singularis, atque per se subsistens rite conceditur : est ergo persona, quoniam persona est rationalis naturæ individua substantia. Itaque si Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt una deitatis essentia, tres personæ C erunt una persona : quod impossibile est. Imo una persona generaret se ipsam.

(5) Præterea, quæ sunt eadem uni tertio singulari, sunt eadem inter se, secundum omnem philosophiam Aristotelis. Si igitur tres personæ uni singulari essentiæ eadem sunt, inter se quoque eadem erunt.

(6) At vero, si personæ in essentia divina communicant, atque in alio quodam distinctæ sunt, est in Deo aliquid ultra ac præter essentiam : et sic non erit in Deo vera simplicitas; neque veraciter dictum D est, quia quidquid in Deo est, est ipsa divina essentia.

(7) Denique quod per se ipsum singulare est, itemque subsistens, eo ipso quo tale est, incommunicabile est. Subsistentia enim non nisi suppositorum est. Nam hoc semper de Platone admiratur Aristoteles, quod asserebat universalia esse formas realiter separatas et per se stantes, nihilo minus tamen vere communicabiles. Sed divina essentia per se ipsam summe singularis est atque subsistens. Nempe quo

actus seu forma præstantior est ac immaterialior, eo ad sui subsistentiam minus indiget alio. Divina vero essentia est purus actus immensæ præstantiæ, summeque simplex. Per se ipsam ergo vehementissime singularis ac subsistens consistit. Non igitur est communis tribus personis nec eisdem substantialiter communicabilis.

(8) Insuper, ubicumque est vera generatio, est vera productio; et per consequens, est ibi aliud, esse a producente recipiens. In Deo ergo est persona una, esse recipiens ab alia. Est igitur in Deo prioritas saltem originis, licet non temporis. Itaque, quod secundum prioritatem originis ante generationem accipitur, id utique non generatur neque producitur. Sed divina essentia seu natura necessario ante generationem intelligitur : est enim natura agendi operandique principium. Igitur quod naturali ordine ea posterius est atque productum, esse non potest divina essentia. Ipsa enim ante generationem est ac improducta. Genitum autem post generationem activam est atque productum. Filius ergo nullo modo erit divina essentia : alioqui recipiens esse, atque secundum originem posterius, erit non recipiens esse, et secundum naturalem originis ordinem prius : quod implicat.

(9) Porro quidquid procedit ab alio, de se est in potentia et imperfectum ac nihil : recipit namque esse suum, et quidquid exsistit, ab alio; et si sibi ipsi relinquatur, est nihil : alioqui non vere esset totum quod est ab alio. Filius igitur in divinis et Spiritus Sanctus quum a Patre procedant, hujusmodi erunt, videlicet personæ secundum se imperfectæ ac nihil atque dependentes a Patre; et si sibi relinquantur, nihil. Hæc autem vero Deo competere nequeunt, quippe qui est actus purus, habensque necessarium esse omnino et omnimode.

(10) Rursus, nobilius est, aliquid habere et esse a se ipso quam ab altero. Si ergo Filius et Spiritus Sanctus esse et quidquid sunt, a Patre suscipiunt, nulli eorum inest omnis nobilitas, eritque Pater eis nobilior. Non ergo erit quisquam eorum Deus perfectus et verus.

Alia quoque, o Theologe, plurima argumenta istis similia introducere possem; sed præstolabor paulisper, quatenus horum responsione audita, contempler quid tibi efficacius possim objicere, fortiusque adversus tua replicare responsa. Nunc ergo, si placet, responde.

ARTICULUS XI.

Responsio Theologi ad rationes Philosophi contra divinas emanationes ad intra.

Theologus. — Jam nunc memento, Philosophe, verbi magni Platonis, qui quum de productione mundi sensibilis disputationem contexeret, auditores affatus, atque humanæ rationis imbecillitatem, et materiæ quoque illius difficultatem contemplans : Mementote, inquit, tam me qui loquor quam vos qui judicatis, mortales esse. Hoc autem indico, non quod me rationum tuarum virtus conterreat, sed ut te ad sobriam moderatamque inquisitionem invitem. Verumtamen scio difficillimum esse onus laboris, fidem contra naturalem rationem defendere; sed Deo auxiliante, veritas ejus inviolabilis ac insuperabilis perseverat. Nunc ergo intende.

En unicuique competit agere secundum propriæ dignitatem naturæ ac modum sui esse. Quum ergo, secundum præhabita, Deus seu divina essentia sit omnino inscrutabilis et incomprehensibilis, et verius de Deo scitur quid non est quam quid est; imo quid sit Deus prorsus ignotum est : consequens est ut operatio Dei, præsertim emanatio illa ad intra, seu actio immanens, sit penitus ineffabilis, inexcogitabilis, et incomprehensibilis. Ideoque eam imprudenter ac inconsiderate velle scrutari, metiri et discutere, est omnino præposterum, præsumptuosum et stultum : quia incomprehensibile et ineffabile com-

prehendere velle atque effari, tale est ac A si quis infinitum velit finiri; estque Deo auferre quod ei proprium est, quemadmodum qui vellet hominem irrationalem ac non risibilem dicere, de homine stulte et false sentiret. Insuper, si consideremus quam vehementer in agnitione rerum creatarum, imo et sensibilium ac infimarum, intellectus noster deficiat, non utique mirabimur si in divina generatione ipsaque Deitate, incomparabiliter amplius occumbamus. Sobrie ergo de præsenti materia loqui par est. B

Philosophus. — Vere sic est. Nunc ergo responde, et ego reverenter te audiam.

Theologus. — Ad primam igitur rationum tuarum respondeo, quod ipsa veraciter atque demonstrative ostendit impossibile esse plures fore veros deos : quoniam non solum philosophi, sed theologi quoque eam inducunt. Dico ergo, quod Filius seu Spiritus Sanctus non est alius Deus quam Pater : imo tres personæ sunt unus verus perfectusque Deus. Quum vero adjungis, Si igitur Pater et Filius sunt dis- C tinctæ personæ, in aliquo distinguuntur : hoc verum est, quia per relationes distinctæ sunt. Quod igitur concludis, aliquam perfectionem inesse uni personæ quæ alteri deest, et sic neuter erit verus Deus, quoniam nullus erit simpliciter et summe perfectus : ad hoc quid dicturus sim diligenter adverte, quoniam per hoc ipsum omnia pene argumenta tua dissolvam. — Dico itaque, secundum opinionem quorumdam, quod ipsa divinitatis plenitudo, quæ in singulis personis vere perfecteque D est, omnem imperfectionem ab eis excludit : quia etsi aliqua perfectio, utpote notio aut certe relatio, uni personæ inest ac convenit, non autem alteri, nulla tamen imperfecta relinquitur, quoniam hæc ipsa relativa seu notionalis perfectio, licet in una persona sit secundum appropriationem propriamque rationem, in singulis tamen est secundum id quod essentialiter est. Verbi gratia, paternitas generatioque activa in solo Patre sunt secundum quod hujusmodi : nihilo minus paternitas atque generatio, quoniam aliud nihil sunt nisi ipsa divina essentia, quæ in singulis tota perfectaque est, ideo paternitas et generatio secundum id quod substantialiter sunt, non solum Patri, sed Filio quoque ac Spiritui Sancto insunt; sed ut dixi, non eodem modo neque secundum proprietatem eamdem. Itaque Pater et Filius in aliqua perfectione differunt, et tamen hæc ipsa perfectio alteri non penitus deest, licet alio modo.

Et per hoc secunda ratio soluta est. Concedo enim quod Filius in divinis sit ens universaliter perfectum; nec aliqua inest perfectio Patri, quæ Filio desit : non tamen utrique conformiter inest. Unde et Filius : Omnia, inquit, quæcumque habet *Joann.* XVI, 15.
Pater, mea sunt; et denuo, Omnia, ait, *Matth.* XI, 27.
mihi tradita sunt a Patre meo. Ipsa quippe divina natura quum perfici nequeat, aut vilior fieri, neque mutari, omnem perfectionem incommutabiliter comprehendit. Ideoque Filius ac Spiritus Sanctus quum veram deitatem a Patre sortiti sint, nullius perfectionis absentiam sustinent.

Porro, per hæc tertia quoque instantia solvitur. Verum est enim quod habere Filium Deum est infinita perfectio atque fecunditas, et non est nisi in Patre secundum proprietatem relativam. Est tamen in Filio secundum identitatem essentialem. Denique, sicut immensa est Patri perfectio habere Filium verum Deum, sic Filio demum infinita nobilitas est, veri Dei verum naturalemque esse Filium. Ideoque in utroque est infinita perfectio, nec deest unius perfectio alteri, quoniam ambæ sunt una perfectio, utpote divina essentia. Per eamdem quoque potentiam est Pater generans et Filius genitus, secundum Thomam in prima parte et alibi, quoniam trium personarum est una potestas, unus intellectus, et una voluntas.

Ad quartam tibi respondeo, quod divina essentia est de se maxime hæc, et summe singularis, nulloque ad sui subsistentiam egens. Ideoque persona veraciter dici po-

test eo modo quo naturales philosophi atque Judæi loquuntur de persona in Deo. Non tamen concedendum est absolute, quod divina essentia sit persona eo modo quo christiani theologi de persona divina loquuntur. Persona nempe absolute dicitur, secundum primordialem sui institutionem. Verumtamen propter indigentiam nominum, id usus obtinuit, ut in divinis persona dicatur ratione relationis, quemadmodum theologi aiunt quod in divinis relationes personas constituunt. Tres ergo personæ per comparationem ad esse relativum, sunt unum in ordine ad esse absolutum : quemadmodum etiam tres personæ sunt unum esse, una natura, una res, unus omnium Creator ac Dominus ; et tres res sunt, et una res : tres, propter distinctionem relationum; unum vero, propter essentiæ identitatem.

Per hoc interea quinta objectio solvitur. Verum est equidem quod Pater et Filius sunt eadem uni tertio singulari ; non tamen Pater est Filius, quia tertium illud singulare non est convertibiliter unum cum aliqua personarum. Licet namque Pater sit divina essentia, et econtra, non tamen quidquid est divina essentia, est Pater. Et quoad hoc necessaria est theologis distinctio triplicis distributionis, videlicet in termino, extra terminum, et extra numerum : quæ etiam Platonicis necessaria fuit ad salvandum quod idem homo separatus sit Sortes et Socrates, quum tamen Sortes non sit Socrates.

Ad sextam dicendum, quod personæ in essentia unum sunt, et propter relationes differunt; nec tamen relatio est aliud ab essentia, nec quidpiam superaddit eidem. Quum enim divina essentia sit essentialiter universaliterque perfecta, imo universæ perfectionis plenitudo exemplaris atque immensa : ea quæ in rebus creatis per plures formas entitatesque fiunt, in Deo una supersimplici forma consistunt, quemadmodum creatura intellectualis per aliud est sapiens, itemque per aliud justa. Deus autem uno eodemque esse, et est, A et sapiens est, justus, omnipotens, misericors, felix, etc., quæ ei conveniunt. In una itaque simplici Deitatis essentia comprehendi nil prohibet, et quod distinctionis est ratio, communionisque causa. Eadem namque essentia est habens naturale esse, et sui ipsius verbum intelligibile, prout intellectus actui substat. Unde etiam in eadem Deitatis essentia, distinctæ relationes fundantur.

Ad septimam respondendum est, quod propterea Plato erravit, quia formas universales B dixit extra omnia singularia per se quidem subsistere, nihilo minus tamen substantialiter communicabiles esse his quæ suppositaliter differunt, et in quibus ipsa quoque universalis natura per accidens multiplicatur atque distinguitur. Nos autem nequaquam opinamur divinam essentiam extra personas subsistere, neque arbitramur eam in personis aliquo modo multiplicari aut dividi, sed neque distingui. Ideoque Platonis positio rationi repugnat, quia ea quæ loco, tempore et C subsistentia differunt, unum esse non possunt. Divina vero essentia non communicatur aliquibus a se diversis : nam quælibet persona est ipsa divina essentia.

Ad octavam dicendum, quod in Deo est vera productio. Recipit enim Filius a Patre quidquid habet et est, et ab utroque Spiritus Sanctus. Nec tamen recipit Filius a Patre aliud esse aliamve naturam, quam esse naturamque Patris. Neque propterea sequitur quod idem gignat se ipsum. Pater namque vere generat prolem a se sup- D positaliter differentem. Quæ utique proles, secundum prioritatem ac ordinem originis, ante activam generationem Patris non est, sed per generationem vere producitur. Nihilo minus hæc ipsa proles producta, est divina essentia, quæ producta non est, neque producens, sed est in Patre tanquam in fonte, atque per generationem communicatur et Filio. Unde divina essentia non est terminus generationis paternæ ; sed Filius eo ipso quo gignitur, naturam Patris veraciter recipit. Filius

namque necessario ex substantia Patris **A** nascitur, ejusque naturam sortitur. Quum ergo Filius Dei sit verbum Patris atque imago, omnino oportet in ipso, sicut in propria imagine atque intelligibili verbo, Patris contineri naturam. Verbum enim imagoque Dei in corde Patris quiescens, accidens esse non valet : imo procedit immediate naturaliterque ex substantia Patris sine operatione intermedia, quoniam in supersimplici Deo idem sunt agens et actio. Quoniam quidem ergo divina essentia simplex est et indivisibilis, ac **B** omnino perfecta, restat eamdem quæ in Patre est naturam, in Filio esse. Unde ipse ad *Joann.* XVII, 10. Patrem loquens : Omnia (ait) mea tua sunt, et tua mea sunt.

Ad nonam dicendum, quod in emanatione divina ad intra, non est nisi processus actus ab actu. Ideoque omnis illa imperfectio quæ in ceteris processionibus reperitur, ab ea sejungitur. Enimvero, dum ex consideratione creaturarum ad Creatoris contemplationem conscendimus, tunc quidquid perfectionis in creaturis est, ei **C** adscribere par est. Quod autem imperfectionis exsistit, rite relinquitur, atque a superexaltato Deo negatur. In emanatione ergo divina ad intra, quæ utique intellectualis est, incommutabilis et æterna, nulla est dependentia, imperfectio nulla. In æternis namque non esse nullo modo præcedit esse. Ideoque omnino falsum est, quod Filius in divinis si sibi relinquatur, erit non ens aut nihil; neque de se nihil est. Hoc autem totum ideo est, quia Filius et Spiritus Sanctus hoc ipsum esse atque **D** eamdem naturam quæ Patris consistit suscipiunt. Unde in Deo non est emanatio nisi perfecti a perfecto.

Porro per hoc ultima quoque objectio solvitur. Nam quum Pater propriam essentiam Filio et Spiritui Sancto communicet, nulla in eis imperfectio remanet. Hoc tamen ratio tua convincit quod theologi adstruunt, utpote, quod licet in divinis nihil sit majus aut minus, nihilo minus quia in superbeata Trinitate est vera origo, est etiam in ea auctoritas et subauctoritas ; sed hæc essentialem gradum aut ordinem introducere nequit.

Hæc igitur est responsio quam imbecillitas mei ingenii in tam alto negotio potest afferre. Nec sic ista disserui tanquam existimem me divinam generationem aut processionem posse scrutari, comprehendere, aliumve docere, aut clare effari (hoc enim extremæ esset dementiæ); sed ut ab impugnatione naturalis rationis fidem defenderem, idque ostenderem quoniam sicut humana ratio hanc fidem non reperit, sic nec eam destruere valet.

ARTICULUS XII.

Replicatio Philosophi contra responsiones Theologi.

Philosophus. — Vere, quemadmodum sapientissimus philosophorum Aristoteles ait, sensati hominis est, in omni utique disciplina rationem certitudinemque exigere prout subjecta materia sustinet. Quoniam igitur ad divinorum notitiam sic se habet ratio nostra sicut ad diurnum jubar noctuæ visus, fateor, o Theologe, quoniam merito quidem responsionibus tuis contentari deberem : præsertim quum ipse testatus sis, non te velle fidem Trinitatis humana ratione ostendere, sed contra infidelium objectiones protegere. Itaque, licet responsiones præhabitæ ex primis principiis non procedant, fide tamen Trinitatis supposita, secundum subjectam materiam rationabiles satis videntur. Nihilo minus, si tamen molestum non est, replicabo nunc paululum, non tam ut impugnem quam ut instruar.

Theologus. — Induc quod vis.

Philosophus. — Videre non valeo, quomodo una singularis essentia in tribus personis esse possit, remanente penitus una. Quum enim divina essentia sit indivisibilis, una et simplex ac tota in Patre : si eam Filio Pater communicat, totamque in eum diffundit, non videtur remanere in

Patre. Sic namque in omnibus cernimus. A — Præterea intelligere nequeo, quomodo id quod vere producitur, scilicet Filius, possit esse una res cum eo quod nequaquam producitur, utpote cum divina essentia, quæ quum sit principium omnis divinæ actionis et vere una, nullatenus potest produci. Alia quoque inducere possem ; sed ex solutione istorum mihi, ni fallor, utcumque patebunt.

Theologus. — Si tibi me dicerem posse effari quemadmodum Pater Filio se totum communicet, ipsaque demum Divinitatis B natura in tribus personis indivisa ac una permaneat, Deo derogarem et fidei, essemque temerarius nimis, ineffabilia effari usurpans. Verumtamen, ne nos omnino ignoto atque impossibili alicui credere arbitreris, respondebo quod tibi merito sufficere debet. Nempe si ordinem creaturarum profunde inspicias, in singulis rerum ordinibus, hujus superbenedictæ Trinitatis ac unitatis quædam vestigia clare videbis. Nonne rerum quædam sunt idem genere, quædam idem specie, quædam idem nu- C mero, sic quoque quædam differunt genere, quædam specie, quædam numero? Nonne Joannes et Paulus sunt magis unum quam Joannes et leo? Rursus, nonne Joannes et leo magis sunt unum quam Joannes et lapis? Nonne secundum Philosophum, species est tota quidditas individuorum? Nonne secundum Porphyrium, participatione speciei plures homines sunt unus homo? Itaque, si quarumdam rerum creatarum natura est una genere, quarumdam autem una specie, cur increatarum divi- D narumque personarum natura non erit una numero? Sed hujus simile in creaturis non apparet ; nec mirum. Non enim potest creatura perfectionem Creatoris perfecte mutuari aut participare : imo necessario in infinitum distat ab ea.

Insuper, secundum Peripateticos, etiam in rebus creatis ipsa natura communis, de qua dumtaxat realis scientia est invariabilis, est ingenerabilis et incorruptibilis, nec tamen a suppositis generatis realiter differt, quia prædicatur de eis. Ex hoc igitur aliqualiter innotescit, quod impossibile non est ipsam divinam essentiam improductam, ipsamque personam productam, esse unam rem, nec realiter differentes. — Denique, per eamdem formam rationalem, videlicet animam in quantum sensitivas vires complectitur, convenit homo cum brutis, et nihilo minus per hanc ipsam differt ab eis in quantum intellectualis consistit. Imo, et homo secundum esse intellectuale immortalis est ; secundum esse autem sensitivum, mortalis. Quum ergo in Deo sit omnium perfectionum supersimplex itemque immensa plenitudo : secundum diversas rationes, eidem ipsius naturæ, diversa conveniunt. Nec rationis hujus diversitas inanis est, quoniam omnibus nostris conceptionibus divinum esse ob suam plenitudinem satisfacere potest. Semper quippe quod in inferioribus fit per plura, in altioribus fit per pauciora, et in ipso demum altissimo Deo, uno suo simplici esse.

Præterea, ut potui, paulo ante dixi, si recolis, quomodo divina essentia sit vere in Filio. Non enim sic est in eo quasi ipsa sit terminus generationis paternæ ; sed Filius per generationem ex Patre eam recipit, quoniam ubique natura ejus quod intelligitur, est in verbo atque imagine in lumine intellectus exsistente. Verumtamen hoc differt in Deo et creatis, quod in creaturis natura intellecti non est in verbo intellectus, nec in imagine sua seu intelligibili specie, secundum esse substantiale et idem, quoniam in intellectu creato verbum est accidens, neque procedit immediate ex intelligentis substantia, sed per operationem quæ mediat. In Deo autem Verbum accidens esse nequit, sed a Patre naturaliter ac immediate procedit. Ideoque quidquid Patris est, in se continet, et in ipso resplendet : et ob id imago Dei atque splendor gloriæ appellatur. II *Cor.* iv, 4; *Hebr.* i, 3.

Philosophus. — Plurimum allicit atque accendit me sapientialis tua responsio, dictisque tuis prompte, cunctis pensatis,

consentio, quamvis ipsam veritatem plene capere nequeam. Sed antequam alia sciscitier, primo precor edissere, cur Verbum, et non Spiritus Sanctus, Filius nominetur, cur etiam non nisi tres personæ in Deo sint, et quare a Spiritu Sancto nulla divina persona procedat, quum tamen unaquæque personarum æque potens, æque bona, et item æque sapiens sit.

ARTICULUS XIII.

Cur una divinarum personarum dicatur Filius, et non alia, quum tamen utraque ex substantia Dei immediate emanet.

Theologus. — Inter ceteras quæ in creaturis reperiuntur, potentiæ duæ in Deo sunt, intellectus videlicet et voluntas. Verbum autem ab intellectu procedit, amor vero a voluntate. Porro perfectio intellectus per assimilationem efficitur, et in ea consistit in quantum similitudo intelligibilis, quæ est imago ; verbum autem conceptus intellecti, inest intelligenti. Itaque, quum de ratione Filii sit, ut secundum rationem similitudinis ex substantia producentis emanet, rationabiliter verbum divinæ mentis, Filius Dei Patris vocatur, quoniam ex paterno intellectu secundum assimilationis proprietatem proficiscitur. Denique voluntatis perfectio est, ut in volitum tendat, uniaturque amato et in ipso quiescat. Quum ergo Spiritus Sanctus ex una Patris et Filii voluntate spiretur, non secundum proprietatem cujusdam similitudinis, sed secundum rationem tendentiæ inclinationisque in alterum effluit atque procedit. Ideoque non Filius, sed Spiritus dicitur, quoniam est quasi impellens amantem in amatum. Unde et amor, ac nexus, et velut quædam suavitas, osculum, itemque complexus Patris ac Prolis consistit : hæc enim ad voluntatem potissime pertinent.

Insuper, quum Deus Pater unico verbo se ipsum et omnia plenissime exprimat, atque in verbo isto universa reluceant, A non est in Deo nisi unum Verbum. Nec rursus hoc Verbum alterum Verbum gignit. Denique perfecta dilectio ac summa felicitas, non nisi tres personas requirit, quarum una aliam diligat, tertia quoque mutuæ dilectionis vinculum sit et condilecta utrique. Porro, sicut de unitate Verbi, sic de amoris unitate censendum est.

Philosophus. — Quum Deus sit infinita simplicitas, intellectus atque voluntas sunt in eo penitus eadem virtus. Sed ab una simplici virtute duæ personæ proficisci B non possunt. Præterea, tam intellectus quam voluntas sunt potentiæ liberæ. Quidquid ergo agunt, libere agunt. Posset ergo divinus paternus intellectus Filium non generare, ipsaque Dei Patris ac Prolis voluntas Spiritum Sanctum non spirare, et per consequens Verbum et Spiritus possunt non esse : quod vero Deo non convenit.

Theologus. — Ubertim tibi, si memineris, dixi quod in divino supersimplici esse ipsaque Dei virtute omnis perfectio C eminenter atque unitissime continetur. Ideoque divina simplex potentia, in quantum intellectualem perfectionem complectitur, generat Verbum ; prout autem voluntatis quoque perfectionem includit, spirat amorem.

Insuper, quod secundo adducis faciliter solvitur : licet enim divinus intellectus ac Dei voluntas liberrimæ exstent potentiæ, non tamen respectu omnium. Unde sicut Deus non potest non esse, sic divinus intellectus non potest se ipsum non intel- D ligere, neque divina voluntas propriam bonitatem non amare. Ipse ergo divinus intellectus, secundum quod natura quædam est, naturalem actionem habet, quæ est Verbi productio. Conformiter quoque Dei voluntas naturaliter atque necessario æternaliterque divinam bonitatem amat. Unde et ab ea, secundum quod natura quædam est, profluit Spiritus Sanctus. Et hujus quidem simile in nobis apparet. Intellectus enim noster primis principiis de necessitate assentit, ipsaque demum vo-

luntas respectu ultimi finis inclinationem A necessariam habet. Nemo enim potest non velle esse beatus, imo beatitudinem omnis homo naturaliter cupit, quia tam intellectus quam voluntas natura quædam est. Porro natura, in quantum hujusmodi, determinatur ad unum, secundum Aristotelem.

Philosophus. — Dum præsentis materiæ altitudinem difficultatemque intueor, atque humani quoque intellectus imbecillitatem contemplor, responsiones tuas admiror et approbo. Sed priusquam ultra B progrediar, si probabiles aliquas rationes ad Trinitatis fidem adstruendam habeas, audire desidero.

ARTICULUS XIV.

De rationibus probabilibus circa assertionem supergloriosissimæ atque superbenedictissimæ Trinitatis æternæ et adorandæ.

Theologus. — Bonitas, communicabilitatis origo, est diffusionis principium. Por- C ro, quo bonitas plenior atque præstantior, eo utique communicabilior est.

Philosophus. — Etiam secundum Aristotelem, præsertimque secundum Platonem, bonum naturaliter sui communicativum censetur.

Theologus. — Secundum præinducta, Deus sanctus et verus est superessentialis, immensa puraque bonitas, sic ut quidquid ad bonitatis perfectionem pertinet, ei cum infinita plenitudine inesse oporteat.

Philosophus. — Quum natura Dei sit D bonitas, omnis necessario ei bonitatis nobilitas competit. Nullius enim rei natura in ipsa a propria et item essentiali sua perfectione minorata esse potest.

Theologus. — Optime dicis : natura nempe seu species rei in indivisibili constat. Itaque tanta, tamque immensa, plena atque exuberans est divina communicabilitas, uti divina bonitas.

Philosophus. — Hoc consequi fateor.

Theologus. — Nullum autem germen finitum infinitæ communicabilitati respondet, sed ab ea ejusque participatione ac imitatione occumbit, distat et deficit.

Philosophus. — Infiniti cum finito nulla prorsus exstat proportio. Denique si ipsum universum esset millies millies, deciesque millies, centies millies majus atque formosius quam est, nihilo minus a divina perfectione adhuc cum omni suo ornatu infinite distaret.

Theologus. — Libenter te audio : quia quod ego inferre decrevi, tu anticipando conclusisti ac concessisti. Elucescit ergo ex dictis, quod nullum germen creatum aut finitum communicabilitati queat correspondere divinæ.

Philosophus. — Palam est.

Theologus. — Communicabilitas ergo divina infinitum germen producere potest : quod eo ipso quo infinitum est, increatum esse oportet, quoniam omnis creatura de necessitate finitur. Increatum vero infinitumque germen, necessario est verus Deus. Deus ergo gloriosus et felix, qui est dives in se, et dives in aliis, verum Deum producere potest. In æternis quoque, secundum Aristotelem tuum, nec distant nec differunt esse et posse. Deus igitur verus, Deum verum ab æterno produxit.

Philosophus. — Ecce tecum concedo quod Deus infinitæ communicabilitatis exsistat. Nec tamen possibile est esse germen infinitum, non propter divinæ virtutis impotentiam, sed propter rei producendæ incapacitatem. Quum enim productum sit producente naturaliter posterius atque ab ipso dependens, non potest virtutem suæ causæ æquare, nec omnem producentis principii fontalem plenitudinem ac dignitatem suscipere. Divina igitur communicabilitas non potest in tot, quin possit in infinitum in plura : est quippe indeficientis inexhausibilisque efficaciæ. Non tamen aliud potest totam ejus perfectionem sortiri : quoniam non valet universa fontis perfectio esse in rivo, nec tantus esse splendor quanta est lux.

Theologus. — Quum omnis potentia aptitudoque naturalis, naturalem ac essentialem ordinem ad proprium ac sibi correspondentem actum habeat, secundum Aristotelem et Averroem : si divinæ potentiæ immensa communicabilitas, in infiniti sibique correspondentis germinis productionem proficisci non valet, inanis erit, otiosa et frustra : quod de divina, superexaltata ac fontana virtute admittere nefas est. Deus ergo omnipotens ab infiniti germinis productione nunquam cessavit, nec cessat, neque cessabit. Quidquid enim in Deo esse potest, hoc in eo est; et quidquid in eo est, æterna præsentia in eo est.

Philosophus. — Verbum illud Aristotelis quod allegas, de illa dumtaxat potentia verum est cujus perfectio consistit in proprio actu. Divina autem potentia in se ipsa simpliciter perfecta est, neque per aliquid aliud perfici potest. Ideoque ad ejus perfectionem non exigitur ut in actuali infiniti germinis productione consistat.

Theologus. — Quod de ratione potentiæ est et potentiæ convenit, in quantum potentia est, omni utique potentiæ convenit. Quum ergo secundum definitionem Aristotelis, potentia activa sit principium agendi in alterum, omni potentiæ tam increatæ quam creatæ id erit commune, ut ratio sua in quadam principiatione consistat. Divina ergo communicabilitas quum infinitæ plenitudinis sit, ab infiniti principiati productione nunquam quiescit. Præterea, secundum Aristotelem, causalitas est summa perfectio, et quod semper causa est, præstantius est eo quod quandoque et non semper est causa. Actio autem quæ est propter imperfectionem agentis, imperfectionem indigentiamque agentis ostendit : ea igitur Deo non convenit. Actio vero quæ non est propter imperfectionem aut indigentiam agentis, sed propter exuberantiam bonitatis ac supereffluentem plenitudinem ejus, perfectissimo est adscribenda factori, utpote Deo sublimi. A Vana est ergo solutio tua, qua ais ad illius dumtaxat potentiæ perfectionem requiri ut in correspondentem actum procedat, quæ per proprium actum perfectionem suam sortitur atque perficitur.

Philosophus. — Antequam ad solvendum ista accedam, edissere quales arbitreris rationes tuas. Si enim demonstrativas eas existimas, solvam eas, ut queo. Porro, si eas non nisi probabiles putas, libenter eas suscipio, dummodo aliunde ex ipsa tua lege evidenter mihi insinues quod B christiana fides credi hoc postulet, quod Deus trinus sit : quippe qui in superioribus fidei me subjeci, christianamque legem a Deo esse donatam fateri cogebar.

Theologus. — Dum fidem catholicam adstruo, eidem derogare non volo; dumque eam firmare contendo, fundamenta ipsius debilitare non debeo. Si autem humanæ demonstrationi fidem sacram inniti assererem, immobili ejus veritati plurimum derogarem. Quod si nostrarum rationum vigori eam subnixam fulcitamque C dicerem, a vero ejus fundamento, videlicet divina auctoritate, ipsam distraherem. Ideoque, quemadmodum vicissim testatus sum, sicut humana naturalisque ratio fidem nequit ratiocinando destruere, sic eam non reperit, nec valet eam demonstrative stabilire. Hoc autem tibi ab exordio demonstrare volebam, quod ea quæ pro fidei confirmatione sunt facta et fiunt, per naturalem philosophiam salvare non vales : quod tu quoque superius fassus es. Ceterum fidem ipsam seu ejus D articulos demonstrative probare nequaquam præsumo, ne dum rationum mearum insufficientiam videris, fidem tam debili fundamento inniti opineris. Itaque scias quoniam rationes positæ atque ponendæ, nec demonstrativæ sunt nec topicæ, sed mediæ, ac tales quales metaphysicus ubertim inducit. Tales quoque in præsenti materia merito sufficere debent, quoniam tam Peripatetici quam Platonici, in determinatione substantiarum separatarum, hujusmodi pene semper utuntur.

Philosophus. — Vere rationabilis satis, o Theologe, videtur mihi responsio ista : siquidem, ut reor, rationes præhabitæ solvi ab eo qui proterviare vellet, aliquatenus possent. Nihilo minus pulchræ sunt; et quoniam ex superabundanti eas adducis, fidem plurimum ornant. Cupio igitur ut eas plenius prosequaris. Ego vero ad solvendum eas amplius non intendam, sed cum silentio te argumentantem diligentissime audiam.

Theologus. — Implebo quod cupis.

ARTICULUS XV.

Prosecutio plenior disputationis assumptæ.

Theologus. — In superioribus, si recolis, o Philosophe, dum de immensitate divinæ perfectionis dissererem, hac, ni fallor, ratione usus sum, quoniam omnis nobilitas Deo inest : infinita autem perfectio omnem perfectionem finitam quantumcumque magnam incomparabiliter superat, atque ob id Deo, qui simpliciter perfectus est, necessario competit. Nunc igitur proportionabiliter arguam. Quum enim propriæ bonitatis diffusio magna perfectio sit, eo causa aliqua melior perfectiorque verissime perhibetur, quo propriam bonitatem plenius et item liberalius communicando diffundit. Si ergo divina bonitas se totam communicet, ac immensam suam communicabilitatem in infinitum germen effundat, tunc divinæ virtutis atque communicabilitatis perfectio in infinitum excellentior liberaliorque exsistet, quam si non nisi in effectum finitum procedat. Quum ergo quidquid ad perfectionem communicabilitatis atque causalis virtutis pertinet, omnipotenti Deo conveniat, non stabit divina communicabilitas in productione entis creati, sed infinitum quoque germen habebit.

Philosophus. — Tacere decrevi ; sed quod menti inopinate occurrit breviter tangam, quoniam ratio ista omnino vide-
A tur inutilis. Dixisti namque eo causam esse meliorem, quo se ipsam plenius communicat. Videtur ergo, quod si Deus fecisset hunc mundum majorem quam est, vel certe alias adhuc substantias separatas crearet, melior esset quam modo est, quoniam tunc plenius se communicaret.

Theologus. — Ipsum universum in suo ordine simpliciter perfectum est, quia omnes perfectiones quæ in genere entis creati possibiles sunt continet, licet secundum speciem aliæ quoque fieri possent :
B et hoc ad perfectionem divinæ creatricis potentiæ sufficit. Sed quoniam, ut jam ostensum est, nullum creatum finitumque germen infinitæ potentiæ correspondet : si divina communicabilitas non nisi finitum germen haberet, non reluceret ejus perfectio secundum omnem modum in genere, quo quantum in se est relucere valet, nec tanta foret ejus diffusio, quanta eam decet, et qua demum major intelligi nequit ac melior. Denique objectum [primarium] divinæ potentiæ non est ens creabile, sed
C producibile. Ens autem quod producitur, nil prohibet ejusdem esse naturæ cum producente. Ideoque, sicut divina virtus est infinita, sic nil implicat eam habere germen ejusdem naturæ et per consequens infinitum. Insuper, non est simile de creatione et emanatione divina ad intra : quoniam creatio est penitus libera ; nec est operatio correspondens, itemque adæquata communicabilitati divinæ. Emanatio autem ad intra naturalis est, atque immensæ fecunditati penitus proportionata. Sed
D hæc in sequentibus plenius elucescent.

Philosophus. — Non sine fructu induxi instantiam istam. Sed nunc disputationem tuam prosequere.

Theologus. — Nobiliori perfectiorique modo se habet unumquodque, dum in actu est, quam quum est in potentia sola, secundum Aristotelem. Deus autem benedictus et fortis, semper in optima sui dispositione consistit. Semper ergo in actu illo est ad quem naturalem potentiam habet. Nunc autem ubertim probatum est, quod

propter immensam suam communicabilitatem ac fecunditatem, infinitæ potentiæ est, et quantum in se est, naturalem habet virtutem ad infiniti germinis productionem. Semper igitur, imo æternaliter est in actu correspondente tantæ potentiæ seu actuali productione germinis infiniti. Tale vero germen non nisi increatum verusque Deus esse valet, uti ostensum est. Deus ergo verum Deum producit. Amplius, secundum Platonem, in tribus est unumquodque ad agendum idoneum, utpote in scire, velle, et posse. Quum ergo divina sapientia sit clarissima, divina voluntas benignissima seu optima, divina quoque potentia illimitata, scit, vult, et potest Deus se totum communicare : quod aliter esse non potest, nisi coæquale sibi germen producat.

Adhuc autem, quidquid in creaturis de perfectione reperimus, Deo superexcellentissime convenit. Inter omnes autem emanationes generatio perfectior est, quia generans maxime assimilat sibi passum seu genitum. Itaque præter, imo et ante emanationem creationis, inest Deo emanatio generationis. Insuper, sicut in Deo est summa bonitas, sic et perfectissima caritas. Perfecta autem caritas non est unius ad se ipsum, sed unius ad alterum. Caritas enim privata non est proprie caritas, quoniam perfecta caritas nil sibi reservat, sed se totam communicat, atque amantem amato conjungit. Itaque vera perfectaque caritas amantem requirit, et eum cui amorem impendat. Est ergo in Deitate persona perfecte diligens, et persona perfecte dilecta. Perfecta vero, summa atque immensa dilectio, nulli bonitati finitæ exhibenda est, quoniam sicut res se habet ad bonitatem, sic se habet ad amabilitatem. Ideo persona quam Deus perfecta caritate diligit, infinitæ bonitatis exsistit. Præterea actio caritatis delectabilissima est : nam quo caritas major est, eo jucundius agit. Quoniam ergo divina felicitas perfectissima est, summæ caritatis deliciis carere non potest. Unde in Deo est summe diligens, summe dilectus, atque utriusque mutuus amor, qui est Spiritus Sanctus.

A

Et revera, te ipsum requiro, Philosophe, contemplare paulisper quod dicam. Quid dulcius atque jucundius, ponere solum Deum sine Filio ac Spiritu Sancto, sicque eum in se ipso suis contentum divitiis (quod utique liberalissimæ immensæque bonitati non convenit), an ponere tres personas coæquales, coæternas, consubstantiales, quarum quælibet aliam infinita dilectione complectatur et amet ? Quarum quælibet immensæ pulchritudinis, immensæ dulcedinis, et immensæ bonitatis sit, et infinita complacentia sibi complaceant ; quarum demum tanta est unio, ut sit earum una mens ac una voluntas ; quarum insuper unaquæque aliam cum immensa dilectione æternaliter intueatur, diligat et amplexetur : sic tamen ut sit una Pater, alia Filius, tertia vero utriusque supersanctum spiramen atque commune profluum : ac per hoc amor unius, videlicet Patris, sit gratuitus, amorque Filii quoad Patrem debitus, sed quoad Spiritum Sanctum gratuitus, porro amor Spiritus Sancti sit penitus debitus.

B

C

Philosophus. — Dici solet, quia nullius boni possessio jucunda est sine consortio. Quo concesso negare non possem, quin perfecta Dei beatitudo personarum trinitatem exigeret sicut proponis. Verumtamen verbum hoc de his tantum intelligendum videtur, quorum operatio in se ipsis imperfecta est et ad aliud ordinatur.

Theologus. — Fateor tibi, quia multi quoque theologi sic ipsum exponunt ; sed ego ostendam tibi contrarium. Sicut enim imperfectum naturalem inclinationem habet ad id quo perficiatur ; sic, imo et multo amplius id quod naturaliter atque totaliter bonum est, quod essentialiter ac summe amorosum est, quod substantialiter splendidissimum immensumque lumen est, naturalem inclinationem habet ut se diffundat, ut sibi soli nil singulare reservet, ut se totum effluat atque communicet. Itaque divinæ beatitudinis plenitudo

D

consortium exigit, non ob suam indigen- A tatem, et est Spiritus Sancti, qui est tertia in divinis persona, et a Patre ac Filio tanquam ab uno principio spiratoreque uno procedit, quoniam in Patre et Filio una est natura, ac una voluntas : quemadmodum etiam tres personæ sunt unus Creator, propter identitatem naturæ atque potentiæ. Licet autem in ipso simplicissimo Deo intellectus et voluntas sint una potentia, tamen propter rationis proprietatisque distinctionem, alia est in Deo emanatio intellectus, atque alia volunta- B tis, secundum Thomam in prima parte : quemadmodum etiam, licet Pater et divina essentia sint idem, non tamen Pater est Filius, quamvis essentia sit Filius ; nec essentia generat vel generatur, licet Pater generet Filiusque gignatur.

Denique quidquid absolute de Deo dicitur, tribus personis commune est, et de singulis seorsum, itemque de pluribus aut omnibus simul singulariter prædicatur : ut, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Pater quoque et Fi- C lius ac Spiritus Sanctus sunt unus Deus, unus Dominus, unus Omnipotens, unus Justus substantive. — Insuper, personæ divinæ sola relatione distinguuntur : quæ essentialem diversitatem inducere nequit. Unde licet Deus prædicetur de Patre et Filio ac Spiritu Sancto substantialiter, Pater tamen et Filius ac Spiritus Sanctus non prædicantur de Deo nisi relative.

Præterea quinque sunt in Deo notiones, quæ ideo notiones dicuntur quoniam personas notificant : quarum tres Patri con- D veniunt, utpote paternitas, innascibilitas, communis spiratio; duæ Filio, scilicet filiatio, communis spiratio ; una Spiritui Sancto, videlicet processio. Harum quoque notionum tres dicuntur proprietates personales, quoniam unaquæque earum uni dumtaxat personæ est competens, scilicet paternitas, filiatio, processio seu spiratio passiva. Sed et quatuor earum sunt relationes, quia per eas personæ ad se invicem referuntur, videlicet paternitas, filiatio, processio, communis spiratio : quarum

quarta communis est Patri et Filio, qua A referuntur ad Spiritum Sanctum.

Insuper, eorum quæ de Deo dicuntur quædam sunt prædicata essentialia, ut Deus, bonus, vita, sanctus; quædam personalia, ut Pater; quædam notionalia. Et quoniam Filius per conceptionem intellectus producitur, ideo ea quæ ad intellectum pertinent ei magis appropriantur, ut veritas, sapientia, ars, exemplar, et similia. Porro Spiritui Sancto, quum ipse sit processio voluntatis, ipsi propterea quæ voluntatis sunt præsertim appropriantur, B ut amor, suavitas, osculum, pax, connexio, benignitas, sanctitas, bonitas, et talia : quum tamen omnia hæc absolute dicantur, singulisque personis conveniant. Patri quoque, quum ipse a nullo sit, æternitas, potentia, auctoritas, appropriari possunt. Aliqua etiam dicuntur de Deo ratione creaturarum, ut Dominus, Creator. Et hæc in multiplici differentia sunt, quemadmodum facile est considerare. Sufficiuntne tibi hæc, Philosophe ? an plura requiris ?

PHILOSOPHUS. — Vere sufficiunt, o præclare Theologe; et ut cerno, magna exstat sapientiæ christianæ subtilitas, vehemensque profunditas.

THEOLOGUS. — Hoc tibi posterius lucidius innotescet. Propterea demum eruditissimi viri, Hugo de S. Victore et Richardus : Qui, inquiunt, fidei christianæ simplicitatem contemnunt, christianorum theologorum sapientiam obstupescant. Hoc autem tibi post pauca patebit, dum de Sacramento altaris, de hierarchiis cœlestibus, de incarnatione Verbi, de felicitate cœlesti, se tractatus obtulerit.

PHILOSOPHUS. — Nunc igitur tertium aggrediamur fidei articulum.

THEOLOGUS. — Tertius, ni fallor, fidei nostræ articulus, secundum assignatam in principio seriem, de creatione rerum consistit. Itaque, quoniam jam a contemplatione divinæ majestatis ad creata descendere inchoamus, ab exordio novo nos incipere par est.

PHILOSOPHUS. — Hoc decet.

LIBER TERTIUS

DIALOGION

DE FIDE CATHOLICA

LIBER TERTIUS

DE CREATIONE DISTINCTIONEQUE RERUM.

PROŒMIUM.

THEOLOGUS. — *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Gen. I, 1.

Quemadmodum, o Philosophe, ille tuus commentator Averroes narrat atque irridet, in hoc tres sectæ conveniunt, Judæorum videlicet, Mahometanorum et Christianorum, quod totus mundus a Deo per creationem incepit.

PHILOSOPHUS. — Quoniam, secundum Aristotelem, ab hoc summo primoque ente omnibus communicatum est esse et vivere, his quidem clarius, his autem obscurius; qui denuo duodecimo Primæ philosophiæ fatetur, quoniam ab hoc ente quod est purus actus, dependent cœlum et terra ac tota universi natura : propterea de hoc has sectas non reprobo quod omnia a Deo processisse affirmant. Imo nec Averroes illud negavit : quippe qui in libro de Substantia orbis asseruit, quod nunquam fuerat intentio Aristotelis dicere quod cœlum dumtaxat quoad suum motum dependeret a Deo, sed quod insuper totam suam substantiam haberet ab eo. Verumtamen de principio isto in quo omnia a Deo facta fateris, ambiguitas mihi occurrit, quemadmodum videlicet verbum istud intelligas, In principio creavit Deus cœlum et terram. Mundus enim, licet se-

A cundum summos philosophos, a Deo effluxit, nihilo minus ab æterno fuit, quemadmodum luci splendor coævus est.

THEOLOGUS. — Quoniam omne ens finitum ac imperfectum ab infinito perfectoque ente fluxisse concedis, disputatio nostra breviata est. Attamen agnosce quod secundum fidem divinam, mundus ex tempore, magis autem cum tempore incepit. Intelligentia equidem, cœlum, tempus atque materia, quatuor coæquæva censemus, quoniam simul creata sunt, nec ab æterno fu-
B erunt. Sed est dare certam temporis mensuram ac determinata curricula quibus ista totusque mundus exstiterit.

PHILOSOPHUS. — Contra hoc octavo Physicorum et alibi Aristoteles multipliciter arguit. Sed antequam tibi objiciam, primo mihi clare ac plene insinua quid de mundi creatione fides tua erudiat.

ARTICULUS I.

Quid de creatione mundi fides doceat or-
C *thodoxa.*

THEOLOGUS. — Veteris illius Testamenti ac Mosaicæ legis scriptura (cujus secundum fidelissimum Augustinum, major exstat auctoritas quam alicujus humanæ rationis perspicacitas), in ipso suo exordio

creationem mundi edocuit : cujus utique A creationis exsistentia, modus, tempus, et causa Moysi divinitus reserata sunt. Denique, ut ampliorem tibi mirandi, arguendi ac sciscitandi materiam præbeam, verba ipsius tibi in propria forma proponam. Sic nempe exorsus est :

Gen. I, 1-5. *In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi ; et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* B *Et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies unus.*

Ibid. 6-8. *Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum cœlum. Et factum est vespere et mane dies secundus.*

Ibid. 9-13. *Dixit vero Deus : Congregentur aquæ* C *quæ sub cœlo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et afferentem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unum-* D *quodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et mane dies tertius.*

Ibid. 14-19. *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos, ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas ; et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere et mane dies quartus.*

Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus. Gen. I, 20-23.

Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ, universæque creaturæ, omnique reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam propriam.... *Viditque Deus cuncta quæ* ipse *fecerat ; et erant valde bona. Et factum est vespere et mane dies sextus.... Et requievit* Deus noster omnipotens *die septimo ab universo opere quod patrarat.* Ibid. 24-27. Ibid. 31. Ibid. II, 2.

En introduxi atque aperui tibi scripturam veritatis atque legis divinæ, cui contradici non potest nisi a falsario itemque iniquo.

PHILOSOPHUS. — In scriptura proposita tot continentur quæ naturali philosophiæ, atque ut videtur, omni veræ rationi repugnant, ut præ multitudine admirationis quid primo tibi objiciam, vix queam adspicere.

THEOLOGUS. — Dubia tua atque instantias ordinate propone, quatenus ordina-

te tibi respondeam, ipsaque sanctissimæ hujus scripturæ veritas splendidius elucescat.

Philosophus. — Si inducta rite concipio, tunc secundum sex intervalla dierum, et non simul in eodem instanti condita sunt universa. Rursus, non ab æterno exstitit mundus, sed est assignare determinatum tempus quo fuit.

Theologus. — Ultimum istud necesse est credere. Primum autem licet litteræ secundum superficialem ejus sententiam consonet, tamen quia a doctoribus sanctis littera tacta dupliciter exponitur, ideo primum non est de necessitate integritateque fidei. Sufficit enim credere omnia esse a Deo ex tempore condita ; sed an simul, an secundum temporalia intervalla, non est ad fidem necessario pertinens, prout plenius, si exigeris, dicam.

Philosophus. — Primo ergo pro viribus tibi propono probare, quod ab æterno atque incommutabili Deo non potuit, neque decenter debuit, mundus ex temporali creari initio.

ARTICULUS II.

Probationes Philosophi, quod mundus ab æterno fuit.

Philosophus. — Introducam in primis rationes quas multis in locis Aristoteles contra temporalem mundi productionem inseruit.

Theologus. — Audi me paululum ; nec indigneris quia prævenio te. En fateor tecum, quoniam omnium princeps philosophorum Aristoteles justissime dictus est. Ne igitur tempus infructuose perdamus, adverte quod dico. Licet varias rationes ad comprobandum mundum esse æternum vir ingeniosissimus composuerit, nihilo minus, ut vir vere subtilis, optime recognovit, imo et palam id fassus est, rationes suas non esse demonstrativas, sed dumtaxat probabiles. Ait nempe in libro

A Topicorum, problema de æternitate mundi esse problema neutrum, id est pro utraque parte probabile. In quo utique verbo evidenter supponit totum mundum a Deo fluxisse, et hoc quidem agnovit demonstrabile ; sed an ab æterno exstiterit, an certe ex tempore cœperit, probabile æstimavit.

Philosophus. — Licet non arbitrer ideo te ista dixisse, ut per hæc quasi industriose argumentorum meorum virtutem evadas, nihilo minus aliqua tibi ejus ar-
B gumenta proponam, quatenus eis solutis conjicere queam quid ad similia dicere valeas.

Theologus. — Fortiores tam ejus quam aliorum rationes compendiose nunc profer, quatenus ad difficiliora celerius pertingamus.

Philosophus. — En primo Cœli et mundi taliter argumentatus est Aristoteles : Quod est ingenerabile et incorruptibile, hoc est perpetuum, et econverso. Sed cœlum est tale : non enim habet contrarium. Unde
C nec generabile exstat. Denique primo Physicorum sic arguit : Materia prima est ingenita et incorruptibilis : non enim resolvi potest in aliud prius subjectum. Materia autem nequit esse informis. Materia ergo mundi formis suis semper informata fuit, et per consequens mundus semper fuit et erit.

Theologus. — Rationes istæ atque consimiles faciles sunt, nec intentioni fidei christianæ in aliquo contradicunt. Non enim ponimus substantiam mundi per na-
D turalem mutationem, seu generationem aut temporalem exitum, sed simplici emanatione a Deo per creationem fluxisse. Unde cœlum non est generabile aut corruptibile generatione naturali corruptioneque physica. Materia quoque perpetua est, nec est unquam informis : propter quod per successivum naturalemque motum inchoari non potuit. Nihilo minus per creationem, quæ instantanea est, una cum forma sua incepit.

Philosophus. — Si rationes istæ tam in-

validæ sunt, cur eas Aristoteles summus adduxit ?

Theologus. — Contra positiones philosophorum qui eum præcesserunt satis efficaces exsistunt. Empedocles equidem sic posuit mundum generabilem esse et corruptibilem, sicut et cetera particularia inferiora. Porro Anaxagoras ponit res ab æterno quievisse, ac postmodum per intellectum extrahentem in speciem et ordinem esse redactas. Democritus vero ponit res ab æterno inordinato quodam motu agitari, atque post hoc casu in proprias species esse unitas. Contra positiones hujusmodi efficaciter satis Aristoteles arguit.

Philosophus. — Avicenna sic arguit : Si Deus præcessit mundum duratione, ergo et tempore. Nam duratio quum includat prius et posterius, respectu ejus quod post eam est, temporalis erit : ergo ante mundum tempus fuisset. Averroes quoque taliter arguit : Natura non patitur vacuum esse. Si ergo mundus ab æterno non fuit, ubi nunc est mundus, ante erat vacuum : quod natura non sustinet.

Theologus. — Rationes istæ debiles valde sunt. Præcessit namque Creator omnipotens atque benedictus mundum duratione, non temporis, sed æternitatis. Ideoque ante mundum non erat prius et posterius, nisi secundum imaginationem dumtaxat : quemadmodum nos quoque fatemur Deum potuisse mundum prius fecisse quam fecit, in quantum sub æternitate infinita tempora imaginari nil prohibet : quæ si fuissent, omnibus illis æternitas adfuisset. Præterea vacuum non dicitur solum negative, sed etiam privative, ideoque dimensiones separatas requirit : quæ utique ante mundum non erant. Unde nec vacuum magis erat, ubi jam mundus est, quam nunc sit vacuum extra mundum.

Philosophus. — Nunc igitur fortiores rationes aggrediar. (1) Unicuique equidem enti competit agere secundum modum proprii esse atque naturæ : nam et modus agendi parificatur modo essendi. Quum ergo divinum esse sit prorsus uniformi-
A ter æternaliterque eodem modo se habens, imo et divina natura sit quædam supersimplicissima unitas nullam alteritatem suscipiens, videtur quod operatio quoque Dei uniformis æternaque erit. Idem namque, in quantum idem, facit idem. Creatio igitur universi sine temporali initio exstitit. Præterea intelligere nemo valet, quod is qui nunc aliquid efficit quod ante non fecit, sit penitus eodem modo se habens. Nam qui actualiter aliquid facit, est velut in actu ; qui autem acturus est quid-
B piam, et nondum id facit, est in potentia. Deus autem semper eodem modo se habet ; non ergo aliquando mundum produxit, et non ante.

(2) Insuper, sapiens actor sine legitima causa opus suum non differt : imo nec bene ordinata voluntas effectum suum sine ratione retardat. Deus autem sapientissimus utique est, ejusque demum voluntas semper rectissima exstat. Si igitur universum ab æterno non condidit, propter causam aliquam distulit, voluntasque
C ejus aliquid exspectavit, ob cujus absentiam opus retardavit. Hujus autem dilationis causam aperies, et cur divina voluntas per innumerabilia sæcula mundum creare tardavit, te assignare nunc restat.

(3) At vero, cui semper est agendi una comparque ratio, hoc non magis producit effectum nunc quam tunc. Deus autem est agens per essentiam, imo per esse suum, quippe quum sit simplicissimum primumque agens. Deo igitur non est alia ratio operandi, quam propriæ bonitatis essen-
D tia. Hæc autem semper una est, et æqualiter invariabiliterque se habens. Deus ergo per eam invariabiliter agit ; nec est ratio cur agat modo et non ante, nisi forte ex parte recipientis indispositi : quod ante mundi molitionem non erat.

(4) Amplius, quod melius est, itemque decentius, id Deo adscribere par est. Sed dignius est esse causam in actu quam in potentia tantum. Melius quoque videtur mundum esse quam non esse. Deus ergo quum sit præstantissimus actor, ac cuncta

decentissime faciens, æternaliter in actu causa mundi exstitit.

Sunt denique alia multa similia. Sed quoniam multa difficiliora restare nobis affirmas, ideo his solutis quiescam.

THEOLOGUS. — Omnium rationum tuarum solutio ex uno fundamento procedit. Ad primam ergo respondeo, quod licet modus agendi sequatur modum essendi, non tamen omne agens naturaliter agit : quædam enim intellectualiter et libere operantur. Hoc autem verum est, quod omne agens agit secundum quod est in actu et secundum proprietatem suæ naturæ. Ideoque quum divina natura sit non solum natura, sed intellectualis quoque atque liberrima ; ideo omnia quæ facit ad extra, liberrime ac sapientialiter facit. Unde non est Deus mundi productor de necessitate naturæ, quemadmodum splendor fluit a luce; sed provida voluntate, uti et dona procedunt a dante, artificiata quoque ab artifice. Et ob id non oportet ut mundus Deo coæternus exsistat, sed tunc esse inceperit, quum voluntati divinæ complacuit.

Quum vero adjungis quod idem, in quantum idem, facit idem, et ob id Deus, qui semper se uniformiter habet, invariabiliter mundum creavit, sic quod non potius nunc quam tunc : respondeo, quod ipsa quoque divina voluntas atque scientia, penitus incommutabilis est, et uniformi modo se habet. Ideoque ex parte divinæ voluntatis creantis ac divinæ scientiæ disponentis, invariabiliter instituta et executa est mundi molitio. In eo nempe instanti quo conditus est, eumdem producere Creator in sua sapientia ab æterno decrevit et voluit. Agens namque per voluntatem non agit secundum esse suum dumtaxat, sed secundum libertatis suæ propositum. Deus autem sanctus et adorandus cuncta et singula quæ per temporales vitæ hujus decursus producit, in ipso æternitatis suæ momento ab æterno prævidit atque disposuit, et quum primum fecit, ultimum vidit : quoniam, secundum præinducta, universa quæ sunt

A aut exsistere possunt, in divinæ sapientiæ lucidissimo fonte plenissime et quomodolibet splendent ac patent.

Per hoc autem secunda objectio solvitur. Non enim sine causa Deus mundum condere distulit. Sed quis cognovit sensum Domini ? aut quis consilio ejus interfuit ? Verumtamen dicere possum, quod ideo Deus mundum ab æterno non fecit, quatenus ex temporali mundi exordio evidentissime agnosceremus, quam liberrime, et nequaquam de necessitate, mundum

Rom. XI, 34; *Jer.* XXIII, 18.

B creavit. Nec est sapientis viri sciscitari, cur ergo non ante eum instituit. Quum enim Deus sit causa totius mundi et temporis, non est potius inquirendum, cur non condidit mundum ante seu prius, quam cur non locavit seu posuit eum alibi, utpote altius aut certe inferius. Quemadmodum namque ante mundum non erat locus, ita nec tempus. Et propterea, sicut stulta esset hæc quæstio, cur Deus non posuit mundum in alio loco quam isto in quo positus creatusque est; sic fatuum est

C quærere, quare non fecit mundum antequam factus est. Etenim, sicut ante mundi exordium imaginari possunt multa tempora immensaque sæcula, sic etiam imaginari nil prohibet supra et infra mundum innumerabilium milliarium spatia. Verumtamen, secundum rei veritatem, et ut Aristoteles in libro de Cœlo et mundo testatus est, extra mundum non est aliquid [corporeum], nec locus, nec tempus, nec vacuum; sed sunt ibi entia quædam simplicia inalterabilia, vitam optimam sem-

D per ducentia, et de suis sufficientia.

Denique nequaquam utique opinandum est, ideo Deum universum potius in eo in quo subsistit loco creasse, quasi ipse Deus fortis et vivens magis exstiterit ante mundum et ab æterno in loco isto in quo mundum hunc posuit, quam extra mundum et alibi. Ipse namque Deus prorsus intemporalis et illocalis atque immensus est, nullamque, quantum in se est, habitudinem habet ad locum ; nec potius in isto mundo est quam extra eum, tam su-

pra quam infra, nisi in quantum magis A hic se diffundit et agit quam extra. Absit *Jer.* XXIII, 24. equidem, ut id quod scriptum est, Cœlum et terram ego impleo, sic de Deo dictum arbitremur, quasi mundi hujus limitibus terminetur aut circumscribatur esse divinum. Ipsa namque superessentialis et omnino ignota incomprehensibilisque Divinitas, non nisi in se ipsa verissime est : a cujus imitatione quum ipsa quoque immaterialia in infinitum deficiant, quanto magis sensibilia atque corporea penitus incomparabiliter distant?

Ex his, ni fallor, nunc patet tertiæ objectionis solutio. Licet enim divinæ naturæ esse et bonitas sit Deo principium rationque agendi; non tamen simpliciter, sed in quantum divinus intellectus vult propriæ bonitatis perfectiones in rebus creatis varie relucere. Unde et mundum ex tempore fecit, ut divinæ bonitatis libertas per hoc splenderet in rebus.

Ad ultimam autem instantiam dico, quod causa cujus perfectio ex proprio effectu dependet, perfectiori modo se habet dum in actu est, quam ante. Deus autem sic *Ps.* XV, 2. mundi causa non est, quippe qui bonorum nostrorum non eget : quoniam ipse in se ipso infinitis divitiis plenus est, in omni pulchritudine atque dulcedine, in omni sapientia et virtute, in omni claritate et libertate, in omni felicitate et gloria.

Philosophus. — Studiose et sufficienter omnino respondisti, Theologe; et ut cerno, bene dixit Aristoteles, quod quæstio de æternitate mundi sit pro utraque parte probabilis. Nunc ergo aggrediamur quæ restant. — Porro, quemadmodum paulo ante prætactum est, secundum sex intervalla dierum consummata est mundi creatio. Attamen quoniam dixisti quod a magistris catholicis ordo sive successus ille dierum diversimode quidem exponitur ; ideo antequam de hac quæstione exordiar, primum desidero expositiones orthodoxorum de proposita littera Geneseos audire doctorum.

Theologus. — Agam, et non sine labore, quod optas.

ARTICULUS III.

De duplici expositione principii libri Geneseos, de creatione mundi ac intervallis dierum.

Theologus. — Si præinductam libri Geneseos litteram subtiliter advertisti, nullam in eo de spiritualium creatione sub- B stantiarum apertam mentionem audisti, quia nec angelorum, nec intelligentiarum nomen vel semel expressum est.

Philosophus. — Sic esse fateor, idque admiror : præsertim quum spirituales substantiæ sint pars mundi præstantior, et ideo, ut videtur, earum quoque creatio diligentius describenda exstiterat.

Theologus. — In primis itaque scito, quod inter Græcorum atque Latinorum doctores præcipuos hæc una dissensio est: quoniam Græcorum doctores asserunt an- C te mundum sensibilem spirituales naturas, videlicet angelos, esse creatas; species autem et res mundi sensibilis, sicut littera Geneseos superficialiter sonat, aiunt secundum dierum successus esse creatas. Augustinus vero utriusque tenet oppositum, adstruens omnia, tam spiritualia quam corporalia, simul tempore quoad species esse producta. Posteriores vero, ut Gregorius et Beda cum pluribus, partim Augustino, partimque Græcis consentiunt. Nempe cum Græcis in primordiali rerum D productione dierum intervalla concedunt; cum Augustino autem spiritualia una cum corporalibus asserunt facta. Verumtamen omnes isti in eo quod per se ad fidem requiritur coeunt. Hieronymus quoque atque Hilarius, inter Latinorum doctores præcipui, in hoc cum Græcis concordare videntur, quod angeli ante mundum sensibilem facti sint.

Philosophus. — In utroque istorum Augustino omnino concordandum reor plus aliis. Nam, secundum Peripateticos, intel-

* cœlum ligentia, orbis*, tempus, et materia, sunt A quatuor coæquæva : unde simul facta videntur. Nec videtur cur omnipotens itemque infinita Dei potestas per temporum intervalla mundum ediderit, quum infinitæ potentiæ sit agere in instanti : non enim agit per motum.

THEOLOGUS. — In hoc tecum concordo, quod naturali rationi Augustinus amplius consonat. Nam et ideo positionem suam adinvenit, ut Scripturam sacram et simplicem ab infidelium irrisione defenderet. Attamen, si ei amplius cohærere præeligis, sic ei consentiendum adverte, quod partem alteram non spernas, nec reprobes, neque erroneam reputes : præsertim propter auctoritatem Gregorii Nazianzeni, cujus auditor erat Hieronymus : qui Gregorius tantæ erat auctoritatis, quod nullus ei in sacræ Scripturæ expositione obviare præsumpserit, quemadmodum nec beatissimo ac fidelissimo Athanasio.

PHILOSOPHUS. — Quid ergo simpliciter censes tenendum ?

THEOLOGUS. — Omnes nunc Latinorum doctores Augustino adhærent, in hoc quod spirituales substantiæ una cum mundo sensibili sint creatæ.

PHILOSOPHUS. — Sunt auctoritates Scripturæ authenticæ ad hoc ?

THEOLOGUS. — Ita videtur. Scriptum est
Eccli. I, 4. enim : Prior omnium creata est sapientia. Quod de natura angelica Magister Sententiarum exponit, et secundum Thomam, de sapientia creata intelligi potest, de qua
Ibid. I, 10. alibi legitur : Effudit illam Deus super omnia opera sua. Denuo quoque ait Scri-
Ps. CI, 26. ptura : Initio tu, Domine, terram fundasti. Sed idem est dicere, Prior omnium, et, Initio. Ergo angelus et terra simul
Gen. I, 1. creata sunt. Et in exordio Geneseos : In principio creavit Deus cœlum et terram. Itaque cœlum, terra et angelus coæva sunt. Cœlum autem sicut non sine motu, sic nec sine tempore exstat : habemus enim quatuor coæquæva. Porro in libro Eccle-
Eccli. XVIII, 1. siastici scriptum est : Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.

PHILOSOPHUS. — Magis mihi placet ista Augustini positio. Sed dic, cur de creatione nobilissimarum creaturarum, utpote angelorum, conticuit Moyses ?

THEOLOGUS. — Secundum hanc quam jam præelegisti sententiam, nequaquam conticuit. Sicut enim per terram intelliguntur habitatores atque contenti in ea, sic per cœlum incolæ cœli, videlicet angeli, intelliguntur. Denique quod scriptum est, In principio creavit Deus cœlum et terram, non de hoc stellato et visibili cœlo B oportet intelligi : hoc namque, secundum litteram præinductam, si recolis, secundo die factum est, quum divisit Deus aquas ab aquis, in earumdem medio firmamentum constituens, in quo stellæ leguntur positæ quarto die.

PHILOSOPHUS. — Quum dubitationum tumultus, admirationisque impetus me prorsus conturbent et occupent, precor ut sine dilatione mihi explanes litteram istam Geneseos.

THEOLOGUS. — Augustinus, doctor uni-C versorum fidelium, distinguit sex dies, secundum repræsentationem spiritualis lucis, sex rerum generibus factam. Nempe, secundum eum, sex ibi dies sunt unus dies, non motu solis causatus, sed sex rerum distinctionibus, secundum quas numeratur, menti angelicæ præsentatus. Sicut enim natura angelica est quoddam lumen divinum in se immateriale et purum, sic ejus illustratio dies vocatur. Creator vero omnipotens, in originali rerum molitione, omnium sensibilium cognitio-D nem angelis præstitit. Unde cognitio angeli dies dicitur, in quantum per eam lumen intellectus angeli rebus quodammodo præsentabatur, et super eas expandebatur. Ideoque secundum diversa rerum cognitarum genera, dies isti perhibentur distincti. Quum ergo primo die legatur formata lux, per hanc lucem intelligit Augustinus naturam angelicam, quæ per conversionem sui ad Deum primo est die formata. Secundo die formatum est firmamentum, et ita deinceps. Iste autem ordo non est

temporis, sed naturæ. Et ergo quæ naturaliter priora sunt, primo feruntur creata. Itaque secundum Augustinum, in principio simul facta atque distincta sunt angelus, cœlum et elementa, prima quoque rerum individua in his quæ ex mare feminaque gignuntur. Cetera vero quæ nunc usque fiunt, videlicet generabilia ista, secundum rationes seminales asserit facta. Quum ergo naturaliter sit terra ante animalia, et aqua ante pisces ; ideo terra priusquam animalia, et aqua ante pisces, facta scribuntur.

ARTICULUS IV.

Dubitationes et objectiones Philosophi contra litteram Geneseos.

Philosophus. — (1) Quum sapientis opificis sit ordinatum opus producere, nequaquam dici posse videtur, in principio res in quodam esse confuso et inordinato factas fuisse. Non enim decuit sapientissimum Deum, tam indispositum, tenebrosum atque informe opus originaliter facere.

(2) Præterea, asseruisti paulo ante, non esse erroneum, neque a textu alienum, arbitrari res primo fuisse confusas, demumque per diurnas vicissitudines in speciem ordinemque redactas. Sed hoc impossibile est. Materia namque esse non potest informis, quum sit pura potentia. Ab initio ergo formata fuit atque certis formis distincta.

(3) Denique, quod enti naturale est, hoc semper convenit ei. Sed locus quem aquæ abyssi nunc habent, naturalis est eis : ergo ab exordio in eo fuerunt. Et si extra eum fuissent, hoc eis violentum fuisset. Non ergo die tertio in unum sunt locum unitæ.

(4) Sed neque in unum locum congregari poterant, sed omnem terram occupabant : nisi quædam, quæ scilicet in vallibus erant, contra montana ascendissent : quod naturaliter fieri non valebat. Ergo miraculose hoc contigit. Hoc autem dici non potest, secundum Augustinum : In A primæva (inquit) rerum institutione non quæritur quid Deus potuit, sed quid rerum naturis convenit.

(5) Insuper, secundum Platonem, quum opifex mundi speciosissimus sit, et infinita claritate resplendens, pulcherrimum itemque prælucidum opus ab eo fieri decuit. Non igitur recte ait Scriptura, quod terra erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi. Sic enim Deus opus suum a tenebris inchoasset : quod Deo lucis non competit.

B (6) Amplius, quid intelligis per lucem, quum scriptum est, Dixit Deus, Fiat lux? Si substantiam : ergo postea inepte dicitur, Vocavit Deus lucem diem. Dies enim est accidens : ergo per lucem intelligitur accidens. Sed accidens sine subjecto esse nequit : ergo alicui substantiæ influxit illam lucem, quæ suo splendore diem causaret. Substantia vero lucida quæ diei est causa, est sol. Sed sol quarto die factus describitur ; hæc autem lux, primo die. Implicat ergo ista scriptura.

C (7) At vero, si præhabitorum rite recordor, tunc firmamentum secundo die effectum est. De quo ergo cœlo ait Scriptura, In principio, id est ante omnem diem, vel saltem in primi diei initio, fecit Deus cœlum et terram? Adhuc autem, eorum est unus locus atque proprietas, quorum una est species et conformis natura. Quum ergo aqua naturaliter sub cœlo, imo sub igne et aere sit, ac terræ contigua, quomodo ait Scriptura esse aquas supra firmamentum seu cœlum? Si vero ibi sint D aquæ, cur ibi sunt, et an moventur cum cœlo aut quiescunt, interrogo. Insuper, si secundo die firmamentum est factum, vel ergo est tunc omnino creatum, aut certe de præjacenti materia, utpote in principio creata, formatum. Si est tunc creatum, sequitur quod Deus non creavit omnia simul, nec materialiter, neque formaliter. Si autem est de præjacenti materia factum, vel de materia cœlesti vel elementari : non de cœlesti, quoniam materia cœlestium non est diversarum capax for-

marum, nec corpora cœlestia corruptibilia et generabilia sunt, ut ex uno fieri aliud queat ; nec etiam de elementari : et ad hoc inducere possem omnes Aristotelis rationes, quas sparsim et maxime in libro de Cœlo et mundo induxit : quas utique tibi diligenter objiciam, si dixeris cœlum elementaris esse naturæ.

(8) Denique, omnibus his vehementius miror, quod luminaria cœli, solem, lunam et sidera quarto adstruis facta. Stellæ enim sunt densiores partes orbium propriorum. Quomodo ergo post orbes sunt conditæ? Sed et quomodo posuit eas Deus in firmamento cœli? Numquid divisit, aut foramina fecit Deus benedictus et æternus ac sanctus in cœlo, ut insereret stellas eidem? Porro, quum sol suo cursu sit causa diei noctisque, quomodo ante ejus productionem tres dies præibant?

(9) Rursus, secundum demonstrationes Peripateticorum, causæ cœlestes sunt essentialiter subordinatæ. Non ergo potest una operari, et per consequens nec esse sine altera. Nempe quum una virtus absque alia haberi non queat, eo quod virtutes concatenatæ dicantur, quomodo unum astrum vel corpus cœleste sine alio esse valebat, quorum concatenatio vel major est, aut certe non minor?

Postquam, o Theologe, ad ista responderis, introducam quæ restant.

ARTICULUS V.

Responsio Theologi ad præinductas instantias.

Theologus. — Quemadmodum Augustinus noster testatur, major est hujus libri Genesis de rerum creatione auctoritas, quam alicujus humanæ rationis perspicacitas. Advertisne, o Philosophe, quanta sit scripturæ hujus simplicitas, quam pauca subtilitas, quam nulla probatio? Solummodo Moyses narrat et asserit ; nil penitus probat.

Philosophus. — Hoc utique consideravi.
A Et quoniam sic est, videtur potius ridenda quam credenda, præsertim quum non solum non probetur, sed rationi contrarietur.

Theologus. — Stultam fecit Deus sapi- I Cor. 1, 20.
entiam hujus mundi. Sed paulisper ausculta. Cui unquam philosophorum, quantumcumque subtili et magno, tot consenserunt, quot huic scripturæ simplici crediderunt? En non solum omnes Christiani, sed Judæi quoque, itemque Sarraceni, ei consentiunt : non sic quemadmodum Aristoteli aut
B Platoni Peripatetici adhærent vel Stoici ; sed tam immobili inviolabilique consensu ac firmitate certissima, ut potius mori eligerent, quam vel in minimo verbo eamdem negare, maxime Christiani. Unde ergo tanta auctoritas scripturæ tam simplici impressa allataque est?

Philosophus. — Populus iste qui rationem ignorat, omnisque philosophicæ subtilitatis est expers, maledictus est. Hi propter suam ruditatem de facili credunt.

Theologus. — Non ergo perpendis, quam
C doctissimi viri, quam ingeniosissimi atque profundissimi, et in omni quoque naturali scientia eminentes atque præcipui, præinductæ scripturæ intellectum suum sine omni ambiguitate subjiciunt, et hoc, non solum inter Christianos, sed inter alios insuper quos jam nominavi? Forte non credis Augustino, qui adstruit se libros Aristotelis sine commento intellexisse? Quod si ei non credis, non tamen negare valebis quin fidelis noster Boetius Aristotelis libros de Græco in Latinum verbum e verbo
D transtulerit. Quomodo autem transferre potuit quod non intellexit? Demum si commenta S. Thomæ atque Ægidii de Roma super Aristotelis libros vidisses, opinor quod non tantum Alexandri, Themistii et similium, sed ipsius quoque Averrois commentis præferres.

Philosophus. — Miror ergo, cur tanti viri rationem relinquant, ac soli narrationi consentiant.

Theologus. — Hoc per auctoritatem dicentis contingit. Sciunt enim, virum qui

hanc scripturam compegit, nedum Prophetam, sed eximium etiam esse Prophetarum. Ideoque propter auctoritatem ipsius, magis vero propter eum qui per Prophetam suum locutus est, firmissime credunt scripturæ inductæ. Nec enim aliter esse possent libri ejus tam famosi, nisi per divina signa constaret Deum per hominem vatem esse affatum.

Philosophus. — Paululum mihi describe virum istum, qualitatemque ejus.

Theologus. — Vir iste Moyses dicitur legislator Hebræorum, qui eosdem de Ægypto eduxit, quemadmodum tibi superius dixi. Duxitque eos in deserto horribili annis quadraginta ; et quanta prodigia per eum fecerit Deus patrum suorum, ante, si recolis, tetigi.

Philosophus. — Bene recordor; sed adauge mihi fidem, et adde quid modicum.

Theologus. — Non dixi tibi illic quomo- *Exod.* x, 22, 23. do, uno atque eodem die durante, erat Israelitis dies prælucida, Ægyptiis autem palpabiles tenebræ.

Philosophus. — Quomodo erat hoc?

Theologus. — Divina virtute subtrahebatur illuminatio solis terræ in qua manebant Ægyptii, non tamen Hebræis.

Philosophus. — Hoc esset mirabile ; sed forte per nubium interpositionem hoc accidit.

Theologus. — Non tam subito potuit natura tam densas nubes producere. Sed nec nubes tantam potuissent caliginem effecisse; erat equidem tempus illud diurnum tenebrosius nocte, quoniam proximum suum nemo Ægyptiorum videre valebat.

Ibid. vii-x. Fecit quoque alia maxima signa Moyses in Ægypto, in tantum ut esset vir magnus valde apud Pharaonis ministros.

Porro, quum in monte Sinai legem a Deo recepturus erat, prædixit hoc populo. Venitque populus cum eo usque ad montem ; et illic omni plebe spectante, cu- *Ibid.* xii, 37. jus numerus erat sexcenta millia, præter mulieres et parvulos ac vulgus Ægypti- *Ibid.* xix. acum, apparuit gloria Dei. Totus enim mons stabat ardens et fumigans ; fiebant- A que insuper fulgura atque tonitrua, et audiebantur tubæ altisonæ tam terribiliter ac evidenter, ut diceret Moysi populus : Non loquatur nobis Dominus, ne forte *Exod.* xx, 19. moriamur. Post hæc ascendit in montem *Ibid.* xxiv, 18 ; xxxiv, 28-35. Moyses, universis relictis ; et erat quadraginta diebus, neque bibens neque manducans. Post quos descendit portans in manu duas tabulas, legem decem præceptorum continentes ac digito Dei scriptas. Et ecce propter colloquium et familiaritatem cum Deo, apparuit facies ejus B cornuta, id est, tam splendida ac radiosa, ut eam inspicere non potuerit populus. Ideoque populo loquens, vultum panno velabat.

Per omnes autem illos quadraginta annos, locutus est ei Deus tam familiariter *Ibid.* xxxiii, 8-11. ut loqui solet amico amicus : non utique in abscondito ; sed universis cernentibus, descendit columna nubis et obumbravit tabernaculum in quo Moyses fuit, et illic loquebatur ei Deus, non quidem immediate et in propria persona, sed per ange- C lum Divinitati subministrantem. Enimvero inter cetera magnalia quæ de eo creduntur, hoc etiam asserimus, quod in vita ista mortali vidit divinam essentiam, sicut de eo Deus testatur : Palam (inquiens) *Num.* xii, 8. et non per ænigmata videt Deum.

Denique, quum centum viginti esset an- *Deut.* xxxiv, 7. norum, non caligavit oculus ejus, nec moti sunt dentes ejus. Et Deo sibi revelante, se moriturum insinuans, statuit mi- *Ibid.* xxxi. nistrum suum Josue pro se populi ducem. Ipse vero montem Nebo conscendens, in *Ibid.* xxxiv, 1, 5, 6. D eodem mortuus est ; et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in hodiernum diem.

Hic est Moyses qui quinque libros conscripsit, et in eorum primi exordio ait quæ nunc introduxi. Cujus auctoritati, propter eum qui per eum locutus est, firmissime credimus : quoniam Spiritus Sanctus, Spiritus utique veritatis, revelavit eidem cuncta quæ scripsit.

Philosophus. — Dum ista illis connecto quæ in præcedentibus mihi de mirabili-

bus veteris legis et populi disseruisti, mirari cesso quod tanto viro credatur. Id quoque considero, quod quum scriptura ejus tantæ simplicitatis sit ac sine probatione humana, non est verisimile quod libri ejus tam reputati famosique essent, nisi singularis quædam prærogativa divinæ participationis in eo fuisset.

Theologus. — Hoc certius scires si totam librorum suorum historiam conspexisses.

Philosophus. — Quia tamen, secundum dicta a te, fides ratione vinci non potest, objectiones et dubia quæ adduxi, quæso, absolve.

Theologus. — Ita expedit. Sed a novo articulo ordiendum opinor.

ARTICULUS VI.

Solutio objectionum Philosophi.

Theologus. — Quicumque Christianorum infideli persuadere conatur, nisi in lege sua abundet, frustra enititur. Ego igitur, si Augustini sententiam assequi vellem, aliosque negare Catholicos, instantias tuas non indigerem dissolvere, quia nec contra expositionem militant Augustini. Sed quoniam contestatus sum alios quoque expositores sanctos esse ac omni reverentia vere dignissimos, ideo ne ipsi reprobandi appareant, præsertimque ne ipsa sacræ Scripturæ superficies, quæ dierum intervalla aperte fatetur in rerum creatione, videatur spernenda, objectiones tuas solvere habeo.

Dico ergo ad primam, quod Deus benedictus et sapiens cuncta ordinatissime producit. Res autem quæ creantur, antequam creantur, omni exsistentia carent. Quum autem in propria natura creatæ distinctæque sunt, in suo genere perfectæ exsistunt. Natura autem a distanti in distans, seu ab extremo in extremum non procedit nisi per medium, secundum Dionysium. Ideoque condecuit ut res quæ primo omni esse carebant, non immediate in suo esse completo atque perfecto constituerentur, sed primo in esse imperfecto confusoque fierent, ac postremo distinctionem itemque ornatum a Creatore susciperent : quatenus per hoc evidentissime resplenderet, quanta sit Dei creantis libertas atque potentia, rerum vero creatarum dependentia imperfectioque.

Ad secundam dico, quod materia non erat sic confusa tanquam omni forma privata, sed quia res creatæ corporeæ ultimatas suas perfectiones, videlicet locum, virtutem causalem ceterasque proprietates, nondum erant sortitæ. Quum enim dicitur, In principio creavit Deus cœlum et terram, nomine terræ cetera utique elementa rite sunt intelligenda. Nam de aqua protinus dicitur, Et Spiritus Domini ferebatur super aquas : quæ postea a terra divisæ et in unum collectæ scribuntur.

Ad alias duas rationes sequentes una est solutio. Aliter nempe de ipso rei initio, seu de re prout in fieri est, judicare oportet, quam de re jam instituta atque completa. Cujus aptissimum exemplum Rabbi Moyses narrat. Ait enim infantem quemdam a propria terra natalique solo in insulam quamdam translatum, in qua solitarius vivens annos discretionis adeptus est. Una ergo dierum cum quodam loquens, sciscitatus ab eo est de humanæ modo propaginis. Quumque ille ei responderet quemadmodum homo in materno alvo concipiatur, ac novem mensibus requiescat, demumque per angustam portam egrediatur, admiratus est puer et credere noluit; sed vehementer objecit, quod nec per modicum tempus homo vivere queat nisi respiret, atque similia opponebat. Sic est de te, o Philosophe, et tibi similibus, qui ex his quæ nunc in rerum natura fieri naturaliter cernitis, de ipsa primæva rerum conditione ac proprietate judicare tentatis. Ideoque tibi respondeo, quod locus quem abyssus nunc habet, ex tunc ei cœpit esse naturalis, ex quo ad eum aquæ Deo jubente collectæ sunt. Denique quod objicis, motum

aquarum contra montana violentum fuisse, nihil est : quoniam secundum Peripateticos, in generatione mixtorum naturaliter ascendunt levia, utpote aer et ignis, non quidem ex virtute particularis, sed universalis naturæ. Pari modo itaque et aquæ vallium ascendere poterant.

Ad quintam respondeo, quod utique Deus pulcherrimum opus molitus est, quemadmodum Plato optime probat. Non tamen oportet quod totum rerum ornatum eisdem in principio dederit, sed ordinate et per intervalla, ut decuit; nec hoc artifici derogat. Ratio tamen procederet, si Deus opus suum reliquisset informe. Nec sequitur quod Deus opus suum a tenebris cœperit, nisi imperfectio corporalis naturæ tenebræ appellentur. Tenebræ enim nil positivum dicunt.

Ad sextam dicendum, quod salva per omnia veritate ac auctoritate sacræ Scripturæ, doctores catholici hanc litteram de formatione lucis et solis diversimode satis exponunt. Verumtamen propter compendium nunc unam viam assumo, quam tibi magis proportionatam opinor : aliis tamen positionibus nil penitus derogans. Dico ergo brevissime, quod per lucem primo die factam intelligitur substantia solis nondum perfecta in suo splendore; et quoniam perfectam claritatem quarto die sortitus est, ideo in ea conditus perhibetur. — Et per hoc ad ultimas duas instantias innotescit solutio : quoniam et stellæ quarto die factæ dicuntur, non quoad substantiam, sed quoad ornatum seu plenam perfectionem, quoniam tunc naturalis eis impressa est claritas.

Ad septimam dico pro præsenti, quod per aquas quæ super cœlos sunt, intelligenda sit nona sphæra, quæ dicitur cœlum crystallinum et aqueum, quia in diaphaneitate cum aqua magis communicat : sicut et cœlum empyreum igneum nominatur quia lucidissimum est. Cœlum vero stellatum partim quidem est lucidum, partimque diaphanicum. Hanc insuper nonam sphæram etiam astrologi ponunt. Quod

A autem inquiris, quum firmamentum secundo die factum dicatur, de quo cœlo dicat Scriptura, In principio creavit Deus cœlum : primo respondere possum, quod de cœlo empyreo, quod ut factum est, mox angelis est impletum. Rursus, dicere possum, sicut et de sole ac stellis disserui, quod scilicet ideo firmamentum secundo die dicitur factum, quia tunc distinctionem, id est virtutem causalem ac universalem, accepit. Quarto autem die ornatum est stellis, quoniam tunc virtu-

B tem causalem accepit ad determinatos effectus, seu particularem, quæ potissime in stellis consistit. — Porro, secundum hanc positionem, dicere non oportet quod firmamentum sit elementaris materiæ. Quod licet quis diceret, non tamen eum errare assererem, eo quod Augustinus, Ambrosius, Damascenus, atque Basilius aperte sententient cœlum et sidera esse de elementari materia, igne et aqua. Itaque, quum præsens materia quoad hanc partem opinabilis sit inter sanctos theologos,

C sicut inter summos philosophos, nec ad fidem directe pertineat quid horum dicatur, merito tibi, Philosophe, sufficere debent responsiones prætactæ.

Philosophus. — Vere sic est. Sed unum me movet : nam si cœlum et sidera elementaris essent naturæ, non esset eis motus circularis naturalis, sicut nec igni et aquæ.

Theologus. — Ambrosius aperte testatur cœlum, solem et astra non sine labore moveri, et ideo secundum veritatem quandoque quiescent. Verumtamen tibi

D satisfaciendo respondere possem, sicut et Platonici Peripateticis responderunt, quoniam et Plato cœlum et astra elementaris esse naturæ fatetur. Aristoteles vero primus invenit hanc philosophiam, quod cœlum sit specialis naturæ, nec grave, nec leve, nec calidum, nec frigidum, nec corruptibile, nec contrarietati admixtum. Sed quoniam hæc disputatio nos a principali proposito distrahit, ideo, si placet, ad utiliora properamus.

Philosophus. — Libenter consentio.

ARTICULUS VII.

De formatione hominis.

Philosophus. — Quum secundum prætacta, o Theologe, tota fides christiana, de cujus articulis disputationem istam sumpsimus, ad hominis ordinetur salutem, precor te ut de hominis institutione plenius mihi edisseras.

Theologus. — Hoc prompte agam, quoniam id tibi summe necessarium est. Ait
Gen. II, 8. enim Scriptura veritatis : Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat. Agnosce ergo quia protoplastum virum Adam fecit extra paradisum, et transtulit eum in paradisum. Est autem paradisus locus omni amœnitate repletus, semper temperatissimus, universis arboribus, floribus, fructibus, fontibus, atque deliciis adornatus. In hoc loco posuit Deus hominem primum, quatenus
Eccle. VII, 30. locus corresponderet locato. Fecit namque Deus hominem ab initio rectum, originalem ei concreando justitiam, per quam totus homo in se ipso ordinatus fuerat, obediente per omnia absque rebellione carne spiritui, sensu rationi, rationeque Deo. Unde et locus temperatus atque tranquillus homini taliter instituto convenit. Hæc vero concreata justitia supernaturale fuit donum, et ideo homo in gratia erat
Gen. II, 18, 21, 22. creatus. Porro in paradiso fecit Deus homini viro adjutorium generandi, videlicet feminam, quæ et ipsa in originali justitia
Ibid. 16, 17. facta est. Deditque Deus eis præceptum, quatenus promerendi occasionem ipsis impenderet, jubens ne de fructu ligni scientiæ boni et mali vescerentur, sed de ceteris omnibus.

Ibid. III. Videns itaque dæmon hominem taliter sublimatum, itemque ad gloriam de qua ipse ejectus est, transferendum, summo rancore transfixus est. Intendensque quemadmodum hominem a divino mandato deflecteret, primum mulierem, per serpentem loquens, aggressus affatusque est. Quam

A quum decepisset et ad gustum vetiti pomi inclinasset, instigavit eamdem ut virum quoque suum ad idem induceret, qui et ipse mulieri consensit. Sicque prævaricati sunt ambo, et gratiam ac originalem justitiam perdiderunt, et per consequens locum tranquillum amittentes, in vallem miseriæ, laboris atque doloris projecti sunt.

Præterea, quum gratiam primam nullus de condigno possit mereri, gratiam quam etiam posteris perdiderunt, nec sibi nec
B posteris recuperare valebant sine miseratione divina; amissam quoque justitiam et gratiam posteri nequaquam reparare poterant. Ideoque omnis proles eorum, quæ concepto semine nascitur, originali culpa inficitur (tamen de Virgine gloriosa nihil determino, propter causas idoneas); et nisi per mediatorem Dei et hominum redimeretur, æterna beatitudine juste destitueretur : tum quia ex puris naturalibus gratiam adipisci nequivit; tum quia pro peccato satisfacere non valuit,
C nisi per virtutem fidei, qua Christo conjungitur. Semper namque ad salutem a principio mundi necessaria erat adultis aliquo modo fides futuri Salvatoris, quia aliter ei connecti ejusque effici membra non poterant.

Quoniam quidem ergo homo fraudulenter erat seductus, atque aliena dejectus nequitia, misertus est ejus omnisque suæ posteritatis Deus piissimus. Unde et primis parentibus locum pœnitentiæ contulit, atque futurum esse mundi Salvatorem
D insinuavit. Ejecti ergo protoplasti, pœnitentiæ se dederunt; genueruntque filios et filias. Quorum aliqui boni manserunt : et hi dicuntur in Genesi filii Dei, utpote *Gen.* VI, 2.
nati stirpe Seth. Ipsi namque juste viventes, in fide et spe venturi Messiæ defuncti sunt. Nati vero de Cain malitiose vixerunt, et filii hominum dicti sunt. Hic autem rex Messias, Salvator mundi, Unigenitus Dei, homo verus, Deus incarnatus, novissime diebus ultimæ ætatis, visitavit et fe- *Luc.* I, 68, 70.
cit redemptionem humanam, quemadmo-

dum pollicitus erat per os sanctorum qui a sæculo sunt Prophetarum ejus.

Philosophus. — Multa mihi dixisti quæ intellectum meum obtundunt atque reverberant.

Theologus. — Nunc hactenus sic tacta sunt. In his autem quæ restant explananda exsistunt.

ARTICULUS VIII.

Qualis sit emanatio rerum a principio primo.

Philosophus. — Antequam procedamus, primum mihi edissere qualis sit emanatio rerum creatarum a Deo : an scilicet sit naturalis processio, an essentialis divinæ lucis emicatio, an formalis generatio, an libera diffusio, an artificialis et velut sapientialis effluxio.

Theologus. — Hanc dubitationem brevi ac dulci versiculo elegantissime solvit divinus David. Nempe de Deo loquens : Ipse (*Ps.* xxxii, 9; cxlviii, 5.) (inquit) dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt. Dicere autem ad intellectum pertinet ; ad voluntatem, mandare. Deus ergo benedictus et felix, est causa mundi per intellectum et voluntatem. Et in quantum per intellectum est mundi origo, sic rerum creatio dici potest sapientialis effluxio. Scriptum est enim : (*Ps.* ciii, 24.) Omnia in sapientia fecisti. Artificialis quoque dicitur, quoniam est per modum quo procedunt artificiata ab artifice. Nam sicut artifex secundum formam quam mente concepit, effectum ad extra producit ; sic intellectus divinus secundum exemplarem rationem idealemque formam universa sapienter artificiosissimeque instituit, quippe (*Sap.* xi, 21.) qui omnia in numero, pondere et mensura produxit.

Philosophus. — Quid est hoc quod dicis, Deum omnia in numero, pondere et mensura fecisse ?

Theologus. — Hoc dupliciter potest intelligi : primo, quod unumquodque sigillatim in numero, pondere et mensura A effectum est ; secundo, quod omnia simul in his tribus creata sunt. — Itaque, secundum primum sensum, omnia sigillatim in numero facta sunt, quia nulla creatura est penitus simplex, sed est in ea aliquis numerus, utpote essentialium partium, seu actus et potentiæ : quemadmodum ait Boetius, quod in omnibus citra Deum est compositio ex quod est, et quo est. Et secundum Avicennam, Thomam et Ægidium, hoc sic intelligitur, quod in omnibus creaturis est realis distinctio, esse et B essentiæ. Est quoque unumquodque factum in pondere, id est in quadam naturali ad proprium ultimatumque finem inclinatione. Omnia enim ad certum finem moventur, et ad ultimum finem singula aliqualiter ordinantur. Et recte per pondus inclinatio naturalis accipitur, quoniam sicut pondus trahit ponderosum, sic naturalis appetitus seu inclinatio trahit ad debitum finem. Ideoque Augustinus testatur, quia quod in materialibus facit pondus, hoc in intellectualibus efficit amor. C Singula demum in mensura, id est in certa specie, determinato gradu, ac limitata perfectione sunt condita. Solus enim Deus est simpliciter perfectus ac illimitatus ; omnis vero creatura determinatam perfectionem sortitur, atque per hanc in specie collocatur. — Denique, juxta sensum secundum, omnia simul accepta in numero facta sunt, quoniam non est multitudo actu infinita. Sunt etiam omnia facta in pondere, id est ordine, quoniam naturæ rerum coordinatæ sunt, et ordinantur una D ad aliam, omnesque simul ad increatam naturam. Sed et in mensura omnia facta sunt, quia sicut finita sunt in multitudine, sic et in magnitudine, tam in magnitudine molis, quam perfectionis. Unde quod alii dicunt omnia in modo, specie et ordine facta, ad istud redigitur.

Philosophus. — Bene mihi hæc placent, quia et apud Peripateticos simile quoddam invenio. Avicenna siquidem ait, primam causam triplici influentia rebus influere, utpote : influentia constitutionis

ad esse, quod ad numerum pertinet; illuminationis ad agere, quod ad mensuram refertur; et reductionis ad ultimum finem, quod, ni fallor, spectat ad pondus.

Theologus. — In hoc Avicenna optime dicit, quia et secundum catholicos Deus adorandus, est omnium causa in triplici genere causæ, videlicet efficientis, formalis seu exemplaris, et finalis. Et in quantum est causa efficiens, constituit et in numero ponit. In quantum vero est causa exemplaris seu formalis, non informans, sed idealiter formans, illuminat atque in mensura reponit : sic namque speciem præstat. Prout autem est causa finalis, sic reducit cuncta ad se, et pondus singulis imprimit. Unde et Aristoteles : Entia, inquit, nolunt male disponi. Ex quo mox bene concludit : Unus ergo princeps, qui est Deus supergloriosus et vivens.

Philosophus. — Subtiliter asseris. Sed videtur emanatio rerum a Deo naturalis et essentialis, non autem artificialis dicenda. Deus enim rebus creatis essentiales suas perfectiones communicat, scilicet esse, vivere, et intelligere, sapientiam, justitiam, providentiam. Hoc autem artifex non facit. Non enim influit domifaber domui vitam vel sensum, aut aliquid ejusdem secum naturæ exsistens. Denique, quum bonum sit naturaliter sui diffusivum, videtur quod Deus qui essentialiter bonus est, naturaliter se diffundat.

Theologus. — Quidam Peripateticorum atque Platonici, mundum ponentes esse æternum, arbitrati sunt res creatas a Deo per modum naturalis emanationis effluere, non tamen pure naturaliter, sed etiam intellectualiter : quia Plato in Timæo asserit, divinam voluntatem esse mundi fontale principium. Algazel quoque Peripateticus, emanationem rerum a Deo scribitur comparasse comparatione donorum a datore : quæ utique comparatio valde conveniens est. Attamen, quoniam divinam emanationem ad intra ignorabant, eam quæ ad extra est, coæternam connaturalemque Deo opinati sunt. Hæc autem po-
A sitio vera non est. Nam quum Deus sit ens sibi in se omnino sufficiens atque liberrimum, ac substantialiter sapiens, omnia quæ producit ad extra, secundum liberrimum æternæ suæ voluntatis propositum efficit, quemadmodum paulo ante lucidius declaravi.

Porro ratio quam primo inducis, nil prorsus convincit : quoniam licet perfectiones naturæque rerum sint quædam divinæ bonitatis participationes, non tamen sunt ejusdem generis, ordinis vel
B naturæ cum ea. Deus enim nec est in genere, neque in specie. Et secundum divinum Dionysium, omnes etiam præstantissimæ rerum perfectiones verius abnegantur de eo, quam ei conveniant. Ideoque processio mundi a Deo, non est omnino talis qualis est diffusio radii a luce, ac rivi a fonte. Quia tamen ea quæ in creaturis sunt, Deo quoque vere attribuuntur, et quædam divinæ perfectionis imagines sunt; ideo creatio rerum naturali emanationi aliqualiter conformis ex-
C sistit.

Insuper, secunda ratio solvitur. Nam licet sit naturaliter suæ bonitatis communicativus, id est, sua natura habeat ut se diffundere possit; non tamen se per modum naturæ, sed intellectus diffundit, eo quod natura ipsius sit utique honoratissimus intellectus, mens separata, superessentialis atque omnino infinita sapientia. Enimvero, quum secundum præhabita, sit opifex Deus prorsus immensus, quomodo posset ab eo procedere effectus finitus, de-
D terminatus, et ordinatus, nisi ipse per suam sapientiam in se ipso opus suum ordinaret atque distingueret? Aliter quippe ratio nequit præstari cur mundus nec major nec minor sit, quum infiniti ad finitum nulla sit naturalis proportio. Ex quo innotescit rudissimus eorum error, qui mundum ponebant a Deo non proprie esse creatum vel factum, sed esse velut quamdam umbram lucis divinæ, tanquam mundi productio aliud non esset nisi quædam essentialis divinæ lucis emicatio. Contra

quem errorem magnus pater Ambrosius A in suo Hexaemeron efficaciter aperteque disputavit. Ad cujus etiam confutationem sancti patres in Nicæno concilio, in Symbolo fidei dicere maluerunt Deum factorem cœli et terræ, quam creatorem.

ARTICULUS IX.

Disputatio Theologi contra admirationes Philosophi.

Theologus. — In exordio hujus tertii B libri quum audisses, Philosophe, quemadmodum sacra Scriptura in creatione assereret intervalla dierum, vehementer miratus es, et quasi derisisti.

Philosophus. — Ad naturalem rationem adspexi.

Theologus. — Ostendam tibi, quod maximorum philosophorum positio sit non minus miranda, imo magis, si dicere congruit, irridenda.

Philosophus. — Hoc, si vales, declara.

Theologus. — A Peripateticis ordiar. C Avicenna et Algazel cum aliis multis, quorum omnium capitaneus in hac opinione est auctor libri de Causis, dicunt Deum immediate non nisi primam intelligentiam creasse, eo quod, secundum eos, ab uno simplici immediate non procedat nisi unum, quia idem, in quantum idem, facit idem. Ab hac autem prima intelligentia aiunt creatam intelligentiam secundam, prout intelligit se secundum id quod a Deo est; primum mobile, prout intelligit se secundum quod ex nihilo est; pri- D mam animam nobilem, quam ipsi existimant animam primi cœli volubilis. Simili modo adstruunt intelligentiam secundam inducere intelligentiam tertiam, secundum cœlum, et animam ejus. Tertiam quoque aiunt esse creatricem intelligentiæ quartæ, tertii orbis, ac animæ ejus. Sicque deinceps, usque ad ultimam sphæram cœlestem : ita quod ab intelligentia ultima procedant elementa, formæ quoque naturales, ac rationales animæ. Et nihilo minus ponunt mundum esse æternum, atque hæc omnia simul producta.

Et licet fortassis hoc aliquo modo queat salvari, quod nihilo minus omnia simul facta essent, præsertim quum adstruant creationem universi per modum naturalis emanationis consistere; tamen plura in hac positione absurda apparent ac videntur : primum, quod causis creatis virtutem creativam adscribunt; secundum, quod Deum aiunt non nisi Verbum immediate potuisse creasse; tertium, quia positio ista maximum præstat idololatriæ fomitem. Si enim non est Deus omnium intellectualium substantiarum immediata causa atque creator, non erit in eo duntaxat constituenda felicitas omnium, neque ei soli latria exhibenda.

Denique isti philosophi quum dicant mundum æternum atque humanas animas immortales, consequenter concedunt animas rationales, nunc a corpore separatas, actu infinitas : quod Aristotelis doctrinæ non consonat, qui non admittit multitudinem actu infinitam. Et secundum hoc non fecit supersapiens Deus omnia in numero, pondere atque mensura. *Sap.* XI, 21.
Rursus, qualiter intelligentia ultima posset animas infinitas illuminare ac beatificare? Hoc enim non nisi infinitæ potentiæ videtur posse competere. Alia quoque multa valde irrationabilia consequuntur hanc ipsam doctrinam.

Philosophus. — Præinducta quidem de creatione mundi positio, apud Peripateticos satis utique famosa exsistit atque probabilis. Aliqui tamen, etiam magni philosophi, contradicunt eidem.

Theologus. — Nec hoc me latet. Nam commentator Averroes asserit eam debili fundamento inniti. Quum enim Deus omnipotens sit entium causa per intellectum : sicut plura simul intelligit, propter perfectionem suæ scientiæ; sic plura simul potest producere absque injuria simplicitatis divinæ. Imo quum omnia simul intelligat, omnia simul creavit, aut certe creare prævaluit.

Philosophus. — Utraque positionum istarum satis est probabilis.

Theologus. — Quum ergo inter philosophos pene nulla de creatione rerum concordia sit, auctoritati innitamur divinæ, in qua omnes fideles conveniunt. Verumtamen quoniam de hoc plurimum mirabaris, quod sanctus Moyses res primo in quodam esse indistincto factas asseruit : en Platonem principem Stoicorum tibi objicio. Ipse equidem hoc ipsum testatur. Ait namque in Timæo : Omne visibile corporeumque motu importuno fluctuans nec unquam quiescens, ex inordinata jactatione redegit Deus in ordinem, sciens ordinatorum formam confusis inordinatisque præstare.

Philosophus. — Hanc positionem Aristoteles reprobat.

Theologus. — Nihilo minus magni philosophi sic opinati sunt. Sed nec Aristoteles in libris qui apud nos sunt, modum creationis universi aperte determinat. Denique non tam mentem quam verba Platonis improbavit. Non enim videtur Plato hanc confusionem corporalium rerum posuisse, tempore præcessisse earumdem ordinationem, quum secundum eum, generatio atque corruptio ab æterno exstiterunt, quemadmodum Proclus, inter Platonicos summus, in Elementatione theologica manifeste testatur. Attamen Platonem exponere non mihi, sed tibi incumbit.

Philosophus. — De creatione universi hactenus, si jubes, satis contendimus; omnibusque simul pensatis, assertiones tuæ efficaces rationabilesque mihi apparent. Ideo, si placet, aggrediamur quæ restant.

ARTICULUS X.

De quarto fidei articulo.

Theologus. — De tribus fidei orthodoxæ articulis expediti jam sumus. Nunc itaque quartum aggredimur, qui de justificatione quæ per gratiam est, tractat.

A Philosophus. — Quid intelligis per verba hæc ?

Theologus. — Tibi crebro dixi, et nunc plenius pando, quod ad veram beatitudinem obtinendam non sufficiunt homini, imo nec angelo, naturalia sola ; sed gratia quoque requiritur : et hoc credere oportet. Unde et de hoc specialis exsistit articulus fidei. Propter quod inimicus Christi et gratiæ, hæresiarcha Pelagius, in Ephesina damnatus est synodo, eo quod dixerit sine gratia posse hominem effici salvum.

B Philosophus. — Quid intelligis nomine gratiæ ?

Theologus. — Duplex est gratia, utpote gratis data, atque gratificans. Gratia autem gratis data, dici potest omne donum Dei gratis impensum : et sic dona naturæ sunt gratiæ gratis datæ. Proprie tamen dicitur gratia gratis data donum divinum, quo se præparat homo ad suscipienda gratifica dona Spiritus Sancti : et sic omne illud per quod revocatur voluntas a malo, atque ad bonum convertitur, seu ad gratiam gratificantem habilitatur, gratia gratis data vocatur. Quumque homo hujus gratiæ admonitioni acquieverit, tunc facere dicitur quod in se est, semperque gratum facientem gratiam suscipit. Est autem gratia gratificans seu gratum faciens, supernaturale donum, divinitus præstitum, quo anima in esse spirituali atque ad promerendum idoneo collocatur.

C Philosophus. — Cur necessaria est homini gratia ultra dona naturæ ?

Theologus. — Sicut ultimus finis ac D vera felicitas hominis omnem naturalem facultatem excedit et supernaturalis exsistit, sic ad eam adipiscendam necessaria sunt homini supernaturalia media, utpote gratia, itemque virtutes gratuitæ.

Philosophus. — Quomodo per gratiam ponitur homo in esse spirituali et ad promerendum idoneo ?

Theologus. — Actus secundus præsupponit actum primum : agere quippe præexigit esse. Antequam ergo homo queat spiritualiter ac meritorie operari et vive-

re, oportet eum quoddam esse spirituale atque divinum sortiri : et hoc esse gratia præstat formaliter. Deus autem solus gratiam creat et influit efficienter. Unde non immerito dicitur gratia vita animæ, quemadmodum anima vita est corporis ; sed anima influit corpori vitam naturalem, gratia autem dat animæ vitam supernaturalem.

ARTICULUS XI.

Cur gratia præstare dicatur animæ vitam supernaturalem.

Philosophus. — Quum ratio virtutis ex libertate voluntatis dependeat, videtur liberum arbitrium ad bene justeque vivendum esse idoneum. Nam eo ipso quo se vertit ad bonum, quum tamen se vertere possit ad malum, laudabiliter virtuoseque agit. Nullum autem opus virtuosum esse potest immeritorium, quia nullum bonum irremuneratum. Sufficit igitur liberum arbitrium ad meritorium actum. Præterea, eadem est potentia contrariorum. Sicut ergo liberum arbitrium potest per se in malum, sic et in bonum : non ergo gratia sibi necessaria est. Amplius, quod quis non potest per se ipsum, hoc sibi imperari non debet. Si igitur non valet homo per se ipsum meritorie agere, irrationabiliter sibi præcipitur ut virtuose sancteque vivat.

Theologus. — Agnosce quod gratia hujus vitæ, est inchoatio gloriæ vitæ futuræ. Unde, sicut lumen gloriæ in patria est perfecta participatio similitudinis Dei, quoniam per ipsum elevatur intellectus creatus ad esse deiforme, ut qualis est Deus per naturam, talis sit ipse per gratiam consummatam seu gloriæ lumen, Deo fruendo, vitamque æternam in ipso possidendo (quemadmodum scriptum est : Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est); sic gratia vitæ præsentis est quædam inchoata divinæ perfectionis imago. Unde gratia

1 *Joann.* III, 2.

A et gloria omnem naturalem perfectionem transcendunt, et quamdam supernaturalem divinæ naturæ participationem animæ conferunt. Ideoque per gratiam efficitur homo idoneus ad promerendam supernaturalem beatitudinem, quæ utique est dignitatis immensæ, eo quod et gratia sit quodammodo efficaciæ infinitæ. Unde nec ex meritis datur, nec quispiam eam de condigno ex puris naturalibus promeretur.

Denique ex his objectiones tuæ cito solvuntur. Primæ enim duæ bene concludunt, B quod homo per liberum arbitrium virtuose vivere valeat, loquendo de virtutibus naturalibus acquisitis, moralibus atque politicis; non tamen ostendunt quod virtutes tales supernaturalis beatitudinis meritoriæ sint. Porro, quod tertio adduxisti, sic solvitur, quoniam nullus de carentia gratiæ excusatur. Deus namque semper paratus est eam impendere, nisi homo obicem ponat. Rursusque, Deus universis et singulis sufficienter præstat et providet gratiam gratis datam, per quam se ad C gratiam gratificantem valet aptare, idque quod in se est implere.

Philosophus. — Eleganter respondes. Sed quæso ut de unitate subjectoque gratiæ parum edisseras.

ARTICULUS XII.

De unitate gratiæ et subjecto ejus.

Theologus. — Ex præinductis, ni fallor, elicere utique potuisti, quoniam sicut se D habet essentia animæ ad potentias et habitus naturalesque actus, sic se habet gratia ad virtutes gratuitas et infusas, omnes quoque operationes meritorias. Est enim gratia prima vita animæ, per quam sortitur esse spirituale, quemadmodum per formam substantialem adipiscitur ipsum quo generatur esse naturale. Et sicut ab essentia animæ fluunt naturales potentiæ, quæ naturalibus atque acquisitis perficiuntur habitibus, sic a gratia tanquam a radice caritas virtutesque ceteræ, ac tota

spiritualis ædificii machina, dependet et manat. Ideoque gratia gratum faciens est dumtaxat, secundum essentiam, una ac simplex, quemadmodum et essentia animæ. Et quoniam gratia immediate respicit substantiam animæ, eamque perficit, adornat atque deificat, tanquam radius lucis divinæ, ac supernaturalis divinæ similitudo naturæ ; ideo subjectum gratiæ proprium aliud prorsus non est, nisi animæ rationalis seu intellectualis creaturæ essentia.

Philosophus. — Properemus ad alia.

ARTICULUS XIII.

De quinto articulo fidei, scilicet de resurrectione mortuorum.

Theologus. — Quemadmodum quartus articulus fidei asserit spiritualem esse resurrectionem hominis, quæ impletur per gratiam (gratia namque est vita animæ, et per eam resurgit homo ab animæ morte), sic quintus fidei christianæ articulus contestatur futuram esse in fine mundi communem omnium hominum qui nondum resurrexerunt, resurrectionem.

Philosophus. — Hoc mirabiliter sonat in auribus meis. Nempe Aristoteles meus multas induxit rationes contra Platonem, animas transcorporari atque post separationem denuo corporibus copulari asserentem.

Theologus. — Rationes ejus contra Platonem philosophice satis procedunt, et tamen quoad hoc quod probare intendit, id quod corruptum est, idem numero non posse redire, demonstrativæ non sunt. Nihilo minus sufficienter ostendunt, per naturalem motum non posse hoc fieri.

Philosophus. — In quo a positione Platonis distat assertio fidei ?

Theologus. — In duobus præsertim : primum, quoniam Plato, ut tu quoque melius nosti, asseruit animas corporibus rursum morituris per innumerabiles vicissitudines reuniri. Quum enim posuerit

A generationem et corruptionem nunquam perituras, animas etiam omnes esse indestructibiles, et ab origine mundi omnes esse simul creatas, atque in comparibus stellis locatas : consequenter concessit eamdem animam infinitis vicibus corpori reuniri et ab eo sejungi. Posuit enim animas tali corpori, utpote mortali, recopulari, quale in priori separatione reliquit. Fides vero catholica rationales animas non nisi semel ait corporibus, non utique mortalibus, sed nunquam insuper morituris,
B reuniendas.

Denique, secundum Platonem, non unitur anima separata eidem numero corpori quod ante reliquit, sed alteri : et tamen, secundum eumdem, redit idem homo, idemque animal. Quoniam, ut ait, materia non est de essentia naturalium rerum, nec homo aliud est quam anima corpore utens ; ideoque, secundum eum, non differt an eidem an alteri corpori reassocietur. Fides autem orthodoxa testatur, eamdem animam eidem numero quod primo
C habebat corpori reuniri, quatenus idem numero quod per mortem cecidit, et in corpore meruit, resurgat et redeat, atque in eodem corpore anima præmietur in quo nunc præmiari meretur, ipsumque corpus particeps fiat pœnæ vel gloriæ, quod nunc consors est pœnitentialis laboris vel libidinis inordinatæ.

Philosophus. — Mirabilior itemque irrationabilior mihi videtur fides tuæ religionis quam philosophia Platonis.

Theologus. — Fateor quod mirabilior
D sit. Quod autem irrationabilior sit, tibi incumbit probare.

ARTICULUS XIV.

Disputatio Philosophi contra resurrectionem mortuorum.

Philosophus. — (1) Formæ ejusdem rationis debetur corpus ejusdem naturæ ac comparis qualitatis. Dum ergo rationalis anima semper ejusdem rationis ac speciei

permaneat : si corpori denuo copulatur, non debetur ei nisi corpus tale quale nunc habet, videlicet ejusdem conditionis exsistens. Non ergo immortali reunienda est corpori.

(2) Præterea, nobilius esse habet anima extra corpus quam in corpore, illa præsertim quæ nunc sapientiæ virtutumque intenta est studio. Separata quippe, divinæ menti et separatis substantiis est conformior, et divinæ illuminationis capacior. Non ergo naturaliter corpori reunitur : nec hoc ejus perfectio esset.

(3) Adhuc, diversi motus non terminantur ad eamdem formam. Motus enim specificatur unitatemque sortitur a termino. Sed generatio et resuscitatio sunt motus diversi. Id ergo quod gignitur, nullo modo idem numero resuscitatur.

(4) Denique de causa resurrectionis inquiro : quum corpora mortuorum nunc cibus fiant vermiculorum atque in cineres redigantur et pulveres, quomodo colligentur? — Sunt autem et alia multa quæ sciscitari nunc possem : sed hæc primitus solve, quatenus ex tua solutione occasionem suscipiam compendiosius investigandi.

ARTICULUS XV.

Solutio instantiarum Philosophi.

Theologus. — In memoriam reduc quæ tibi superius de primordiali hominis rerumque institutione disserui, et de originali justitia quam ante inobedientiam habuit.

Philosophus. — Partim recordor. Quæ autem præsenti nostræ indagini prosunt, resumere tibi molestum non sit.

Theologus. — Dixi tibi, si recolis, quod ante peccatum sic institutus fuit homo, quod nulla poterat in corpore ejus esse morbi molestia, nec in sensualitate contra rationem rebellio, quamdiu anima Deo mansit subjecta. Porro, voluntate a Deo per peccatum aversa, duo consecuta sunt
A mala : unum in anima, scilicet originalis culpæ, seu privatio gratiæ ; aliud in corpore, utpote moriendi necessitas. Horum quoque utrumque in posteros derivatur. Per Christi autem passionem ab utroque liberamur, quoniam merito passionis suæ totam naturam humanam ab originali culpa sanavit, atque eidem immortalem vitam promeruit, quæ sine corporum resuscitatione esse non valet. Ut et nobis spem resurgendi præstaret, ipse primo surrexit. Unde Apostolus : Traditus est, inquit, *Rom.* IV, 25.
B propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Itaque, quum immortalitas quam homo ante peccatum divinitus habuit, eidem per Christum reparata sit, consequens est ut homo aliquando ad immortalem vitam resurgat.

Philosophus. — Multa dicis quæ mihi obscura ignotaque sunt, videlicet de peccati originalis transfusione, et merito passionis Christi.

Theologus. — Non omnia simul tibi dicere possum ; sed ea quæ modo induxi,
C postea plenius pandam.

Philosophus. — Nunc igitur objectiones meas dissolve.

Theologus. — Prima tua instantia satis declarat, quod immortale corpus habere non sit naturale, sed supernaturale Dei donum : quemadmodum etiam ante peccatum, non per naturam, sed gratiam, immortalitas homini præstita fuit : non tamen talis qualis in resurrectione donabitur. Illa quippe prima immortalitas talis erat, ut per eam posset homo non mori,
D si scilicet non peccasset. Non autem fuerat talis, ut per eam impossibile esset hominem mori. Talis autem præstabitur in resurrectione futura : ex tunc equidem nunquam mori poterunt homines. Ea vero quæ supernaturaliter dantur, non sunt innaturalia nec contra naturam, quoniam naturæ non derogant, sed eam perficiunt.

Insuper, secunda objectio non contra fidem, sed contra Platonem procedit. Si enim poneremus animas talia corpora resumere qualia modo habent, bene argue-

res. Talia namque gravant ac deprimunt A animam. Nos vero asserimus, corpora in futura resurrectione omnino disponenda proportionandaque esse meritis atque dispositionibus animarum. Ideoque animæ sanctæ in nullo propter corpora reassumpta in contemplatione impedientur, sed perfectius beatificabuntur, quemadmodum postmodum clarius innotescet.

Ad tertiam dico, quod resuscitatio non est motus naturalis, sed a solo Deo est efficienter. Unde resuscitatio activa non est nisi Deus resuscitans. — Et per hoc B patet responsio ad id quod sciscitaris. Collectio namque cinerum seu materiarum ad compaginationem corporum, ministerio fiet angelico, non tamen in instanti, sed tempore valde brevi, virtute divini
I *Cor.* xv, 52; I *Thess.* iv, 15. imperii, cujus imperium per sonitum tubæ intelligi potest.

Philosophus. — Totum quod dicis naturalem rationem excedit ; sed nunc de differentia, qualitate, et ordine resurgentium adstrue.

Theologus. — Quemadmodum omnia C quæ fidei sunt, supernaturalia asseris, sic ea per quæ initiata, continuata, stabilitaque est, naturalem rerum cursum excedunt. Itaque, ut in primo tibi libro ostendi, supernaturalia exstant.

Philosophus. — Quales præmissæ, talis conclusio. Sed nunc age quod petii.

Theologus. — Quoniam resurrectio mortuorum tibi tam admiranda videtur, non prius accedam ad ea quæ postulas, nisi tibi in primis per rationes probabiles comprobem, quam rationabilis sit iste chri- D stianæ fidei de resurrectione articulus.

Philosophus. — Has quoque libenter intenteque audiam.

ARTICULUS XVI.

Rationes probabiles de resurrectione mortuorum.

Theologus. — In immortalitate, ut reor, rationalis animæ concordamus.

Philosophus. — Intellectum esse inorganicum atque perpetuum ac immortalem, omnes nobiliores tam Peripatetici quam Platonici concesserunt.

Theologus. — Quum ergo intellectus sit naturalis itemque præstantior virtus animæ, sequitur essentiam animæ immortalem exsistere. Non est enim potentia dignior vel incorruptibilior essentia a qua emanat, et cui inhæret.

Philosophus. — Hoc consequens : nisi dicere velim (Averroi dicenti consentirem) animam humanam non esse intellectualem a perfectione formali atque intrinseca, sed per illustrationem dumtaxat intelligentiæ separatæ.

Theologus. — Si hoc asseris, in promptu habeo unde te impugnem.

Philosophus. — Veraciter positio ejus valde irrationabilis est, et omnes pene philosophi ei repugnant : ideoque immortalitatem animæ tecum concedo.

Theologus. — Concedis quoque, ut arbitror, animam essentialem esse partem hominis naturalemque formam corporis.

Philosophus. — Licet quidam adstruant non esse materiam de essentia sensibilium rerum, negari tamen non potest quin anima sit naturalis corporis forma, ac per hoc pars essentialis totius compositi.

Theologus. — Omne quod est naturaliter pars totius, perfectius habet esse in toto quam in se ipso, et naturaliter appetit toti uniri.

Philosophus. — Hoc Aristoteles testatur.

Theologus. — Anima igitur separata imperfectum esse habet, et in corpore sibi proportionato excellentiori modo subsisteret quam in se ipsa. Nunquam enim conjunguntur actus et potentia, seu forma et materia, nisi propter indigentiam utriusque : quod de materia atque potentia palam est, et de forma insuper patet. Nam formæ illæ quæ perfectam operationem sine materia sortiri possunt et exsequi, separatæ subsistunt, nec corpori uniuntur, ut intelligentiæ. Sequitur ergo quod anima separata, quum non habeat

esse perfectum nec completum in specie, naturaliter corpori uniri desiderat. Naturale autem desiderium ab auctore naturæ procedit : unde nec frustrari potest. Frustraretur vero, si effectum nunquam acquireret. Restat ergo, ut hoc naturale desiderium animæ aliquando compleatur per actualem ejus cum corpore copulam. — Præterea, quod naturale est, hoc utique inseparabile est. Anima autem naturaliter est corporis forma. Esse ergo corporis formam vel actu vel aptitudine, inseparabile est ab ea. Non potest itaque in perpetuum a corpore separata manere, quoniam naturalis aptitudo esse non potest inanis. — Adhuc, anima rationalis veræ beatitudinis capax est. Hanc autem in præsenti vita adipisci non potest, in qua nec vera securitas, nec plena contentatio, nec invariabilis status : sine quibus beatitudo perfecta esse non potest. Sequitur ergo, ut post hanc vitam eam conquirat. Sed sine corpore eam sortiri non potest. Nihil enim vere beatum est, nisi omnes suæ potentiæ convenientem connaturalemque actum habeant, secundum quod felicitatis statui congruit. Multæ autem sunt potentiæ animæ quæ sine corpore actum non habent. Ad plenam itaque beatitudinem obtinendam, corporis est reassumptio opportuna. At vero, sicut anima per corpus demeretur atque meretur, sic in eodem præmianda est sive torquenda.

Philosophus. — Rationes istæ satis probabiles sunt, non tamen demonstrativæ videntur.

Theologus. — Nec ego eas tanquam demonstrativas propono, quia ut in primo libro fassus sum, fides christiana demonstrationi non subjacet.

Philosophus. — Rationes istæ magis, ni fallor, sunt pro Platone quam fide. Non enim probasti quod immortali corpori anima reassociari desideret.

Theologus. — Penultima ratio id ostendit. Rationes quoque Aristotelis contra Platonem tibi sufficere possunt. Enimvero, quum formæ sit proportionanda materia, rationabile satis apparet ut rationalis anima, quum immortalis sit, immortali corpori reassocietur. — Amplius, quum anima separata nobilius esse habeat, quam haberet in carne mortali seu vita præsenti, constat quod non appetit corpori reuniri mortali, nisi valde insipiens sit atque per errorem decepta. Quis enim de statu feliciori ad miserias venire molitur aut cupit? Talis autem deceptio et insipientia in anima separata, illa præsertim quæ lumini intelligentiarum unita est, locum non habent. Non ergo desiderat, ad corpus præsentibus substratum miseriis, ut Plato opinatur, descendere. — Rursus, reassociatio animæ cum corpore, non utique ad esse naturale, sed ad statum remunerationis ordinatur. Ideoque rationabile est ut corpus disponatur secundum exigentiam meriti atque demeriti.

Philosophus. — Rationes hæ fidem satis adornant et roborant. Sed nunc ad ea quæ sciscitabar paulo ante, responde.

ARTICULUS XVII.

De differentia, qualitate, et ordine resurgentium.

Theologus. — Ex præostensis nunc lucet, quod qualitas resurgentium corporum parificanda proportionandaque erit qualitatibus animarum. Ideoque in electis et reprobis erunt qualitates omnino oppositæ.

Philosophus. — Qualia erunt corpora electorum?

Theologus. — Quatuor dotibus ornabuntur. Erunt nempe clarissima, impassibilia, agilia atque subtilia.

Philosophus. — Quomodo dotibus istis parificantur corpora animabus?

Theologus. — Ex quo animæ Beatorum erunt divinæ luci immediate unitæ, et velut in abyssum divini splendoris absorptæ : ideo per redundantiam erit in corpore quoque splendidissima claritas, tanto utique amplior quo felix anima divino lumini intimius meretur uniri. Porro ex fruitione Dei erit anima in omni suo de-

siderio summe contenta atque quieta, sic A ut quidquid optaverit, protinus sortiatur : et ob id corpus agile erit seu celerrime mobile, quatenus illic repente esse possit quo anima velit. Rursus, quum anima Deo fruens omnis mali evaserit laqueum, ideo corpus suum impassibile erit. Quod etiam subtile erit, id est spiritui plenissime subditum; et instar cœlestium corporum, sic sua forma satiatum atque repletum, ut aliam recipere nec queat nec cupiat. Corpora vero impiorum obscurissima erunt, passibilia, ponderosa et grossa. B

Philosophus. — Si talia erunt corpora Beatorum, non erunt ejusdem naturæ cujus et modo, præsertim si erunt subtilia.

Theologus. — Dona gratiarum et accidentales dispositiones, nec speciem mutant neque naturam. Erunt igitur corpora resurgentium ejusdem naturæ, secundum speciem, cujus et modo : nec sic subtilia appellantur, quasi aeria, nec carnem habentia neque ossa ; imo visibilia et palpabilia erunt, habentia carnem et ossa, sicut
Luc. xxiv, 39. et Christus ostendit se discipulis visibilem atque palpabilem. C

Philosophus. — Ubi manebunt homines post resurrectionem?

Theologus. — Unusquisque in suo loco resurget; et mox ad judicium Dei universale, quod in valle Josaphat fiet, angelico portabuntur ministerio, vel divino imperio.

Philosophus. — In qua ætate et sexu resurgent?

Theologus. — In ætate Christi, et singuli in proprio sexu. Ea enim quæ ad perfectionem speciei, veritatem quoque individui integritatemque naturæ pertinent, D tunc in hominibus remanebunt. Ideoque omnium corpora integra erunt, Deo supplente quod defuit.

ARTICULUS XVIII.

De sexto fidei orthodoxæ articulo, scilicet de remuneratione universorum.

II *Cor.* v, 10. Theologus. — Exigit divina justitia ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore.

Philosophus. — Quæ est merces bonorum, et quæ pœna malorum?

Theologus. — Oculus non vidit, nec I *Cor.* ii, 9. auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum.

Philosophus. — Quæ tamen sunt hæc, prout vales, declara.

Theologus. — Deus, qui naturaliter bonus est, ac summe liberalis atque munificus, non aliud præparavit amatoribus suis nisi se ipsum.

Philosophus. — Per quem modum? Quomodo enim possidere potest creatura Deum immensum?

Theologus. — Per clarissimam divinæ essentiæ visionem, atque immensæ Dei bonitatis fruitionem. Vident enim divinam essentiam in se ipsa sicuti est, et non tan- I *Joann.* iii, 2; I *Cor.* xiii, 12. tum in ænigmate et prout resplendet in re creata. Videndo autem diligunt, diligendo fruuntur, atque æternaliter tenent possidentque dilectum.

Philosophus. — Quid est Deo frui?

Theologus. — Deo frui est divinæ bonitatis dulcedine beatifica affici : quod aliud prorsus non est, nisi divinæ beatitudinis participem effici, Deum in se ipso amplecti, eo repleri, omne desiderabile in ipso habere, et ei propter se pure itemque inavertibiliter inhærere. — Denique scias tres esse dotes animæ, quæ tribus theologicis virtutibus correspondent, utpote : visionem, quæ correspondet fidei ; tentionem, quæ correspondet spei ; et fruitionem, quæ succedit caritati.

Philosophus. — Antequam de isto puncto tecum contendam, primum explana quæ sit merces impiorum.

Theologus. — Duplex eis pœna infligitur. Una damni, quæ est carentia divinæ visionis, omnisque boni : et hæc correspondet aversioni quæ in peccato consistit. Alia est pœna sensus, videlicet ignis infernalis : et hæc conversioni ad bonum caducum, quæ in peccato est, correspondet.

Philosophus. — Finiturne pœna ista aliquando?

A THEOLOGUS. — In inferno nulla est redemptio, sed desperatio amara atque perpetua: imo, sicut S. Thomas testatur, nunquam interrumpitur, sed semper actualiter pœnalior est, quam sit pœna quam moriens sustinet in ipso separationis momento, quo præ angustia nimia separatur anima a corpore.

PHILOSOPHUS. — Magna, heu ! nimis miseria ; et væ illis qui ad eam perveniunt.

Matth. xxvi, 24. THEOLOGUS. — Bonum esset eis si nati non essent homines illi.

B PHILOSOPHUS. — Miror quod Deus, qui essentialiter pius, et dulcis, ac bonus est, opera manuum suarum sic æternaliter damnat et cruciat, præsertim quum peccatum temporale fuerit.

Rom. xi,22. THEOLOGUS. — Vide ergo bonitatem et *Hebr.* x,31. districtionem altissimi Dei. Horrendum est valde incidere in manus Dei viventis. Nec putes minorem esse Dei justitiam, quam sit misericordia ejus. Ideoque, sicut pro temporali actu meritorio æternaliter beatificat, sic pro temporali demerito sine C fine condemnat. Nempe quum Deus, qui in mortali peccato contemnitur, sit majestatis immensæ, atque infinitæ sanctitatis ac bonitatis ; ideo peccatum mortale infinitæ gravitatis efficitur. Nam quo is qui offenditur præstantior fuerit, eo enormior offensa censetur.

ARTICULUS XIX.

Disputatio Philosophi quod Deus per essentiam ab intellectu creato videri non possit.

D PHILOSOPHUS. — In libro de Causis probatur, quod causa prima est superior omni narratione, et non narratur nisi per causas secundas. Et Proclus Platonicus ostendit, quod Deus est omnino ignotus, et a nullo intellectu qui post eum est, comprehensibilis. Non ergo videri per essentiam potest.

THEOLOGUS. — Naturali virtute videri non potest in se ipso, quoniam divinus splendor in se ipso omnino immensus est, et propterea intellectus finitus aciem suam in ipsum figere naturaliter nequit. Sed supernaturaliter creatis mentibus visio ista conceditur.

PHILOSOPHUS. — Infiniti cum finito nulla est proportio : ergo nec immediata conjunctio, seu per essentiam visio. Deus autem infinitus est, omnis vero intellectus creatus finitus : quomodo ergo tam immediate convenient, quorum nulla consistit proportio?

THEOLOGUS. — Si inter Deum et creaturas nulla foret proportio, non essent creaturæ quædam factæ ad Dei imaginem, nec appareret in rebus divina perfectio per modum similitudinis atque vestigii, nec invisibilia Dei per visibilia agnoscerentur, *Rom.* i, 20. nec esset demum omnis effectus quædam participata similitudo suæ causæ. Itaque inter finitum et infinitum esse potest proportio imitativa, non autem naturalis : et hoc in proposito sufficit. Nam quamvis fateor intellectum creatum divinam naturam in se ipsa videre : non tamen totaliter comprehendit eamdem, nec omnia videt in ea quæ in ea resplendent ; imo in infinitum deficit ab illa comprehensione qua divinus intellectus se ipsum cognoscit.

PHILOSOPHUS. — Quum divina essentia sit unitas simplicissima, in qua nulla diversitas exsistit, quomodo in se ipsa valet videri, non tamen totaliter comprehendi?

THEOLOGUS. — Non sic assero, Deum videri non autem totaliter comprehendi, tanquam pars ejus videatur, parsque abscondatur; sed ideo quia divina essentia non videtur ab intellectu creato in tanta plenitudine sicut ex se ipsa cognoscibilis est. Quum enim unumquodque sit cognoscibile secundum quod in actu est, quo aliquid est actualius, eo est ex natura rei cognoscibilius. Unde et Aristoteles tuus, manifestissima naturæ intelligentias appellavit, eo quod propter actualitatem suam præcipuam, potissime quantum in se est, cognoscibiles sint. Deus autem supergloriosus et superbenedictus est actus

purus, sic quod actualitas ejus omnium A plenitudinem perfectione immensa complectitur. Ideoque infinitæ utique cognoscibilitatis est, et quia infinita in eo relucent, et quia ipsa ejus essentia est veritas incircumscripta tantæ excellentiæ, ut a nulla virtute finita videri possit tam plene, perfecte et clare, sicut visibilis est. Nec hoc mireris, quoniam eamdem veritatem naturalem unus philosophus clarius perfectiusque cognoscit quam alter, vel quia subtilioris est ingenii, vel quia plures causas agnoscit. Sic igitur divina es- B sentia immediate ac clare videtur. A solo tamen divino intellectu perfecte comprehenditur : nam tam intellectus Dei quam essentia ejus, immensa sunt, imo potius substantialiter omnino idem exsistunt. Denique ex his elicere vales, quod non omnes Beati æque clare Deum adspiciunt ; sed singuli secundum proprii intellectus dispositionem ex meritis procedentem, Deum contemplantur, et ipso fruuntur.

Philosophus. — Intelligere nequeo nec admirari sufficio, quomodo intellectus crea- C tus divinam possit intueri essentiam. (1) En nunquam natura inferior operationem sortitur superioris naturæ, nisi participando similitudinem ac proprietatem naturæ superioris. Non enim aqua vel ferrum calefacit, nisi proprietatem ignis, videlicet caliditatem, participet. Quum ergo divinam essentiam speculari sit propria actio intellectus divini, non potest intellectus creatus huic actioni conformari, nisi divinæ naturæ proprietatem participet. Hoc autem effici nequit : quoniam nulla en- D titas convenit univoce creaturis et Deo ; imo quod creatum est, nec genere nec specie cum divina natura communicat. Qualiscumque ergo participatio intellectibus creatis adscribatur, tanta esse non valet ut per eam ad divinæ essentiæ visionem idonei fiant.

(2) Præterea, omnis dispositio quæ creatis mentibus inest, finita est. Receptum enim, ut nosti, est in recipiente secundum recipientis maneriem. Dispositio autem finita non est infinitæ efficaciæ, sed finitæ : non ergo levare potest intellectum ad perfecte videndum infinitum visibile, quod videri non potest nisi per efficaciam infinitam.

(3) Adhuc autem, supernaturalia dona in infinitum non possunt excedere dona naturæ. Sed Deum per essentiam contemplari, omnem creati intellectus capacitatem in infinitum excedit. Cujus signum est, quod creari non posset intellectus tam excellens et altus, qui ex puris naturalibus ad divinæ visionem essentiæ pertingere valeat. Non ergo intellectus creatus per supernaturale donum hanc Divinitatis visionem consequi potest.

ARTICULUS XX.

De lumine gloriæ, harumque objectionum solutione.

Theologus. — Vehementer miratus es, o Philosophe, incomprehensibilem hujus nostræ fidei articuli veritatem : et non immerito. Res namque hæc tanta est, ut per humanam quidem rationem credi possit, non autem intelligi, neque scrutari. Verumtamen instantiæ tuæ insolubiles non sunt.

Igitur ad primam respondeo, quod partim procedit. Nam intellectus beati in patria non tam immediate uniuntur luci divinæ, nec sine medio divinam cernunt essentiam, quin per lumen gloriæ disponantur ad visionem hanc deiformem. Est autem lumen gloriæ quædam supernaturalis bonitas, divinæ naturæ supernaturalis similitudo exsistens (cujus gratia inchoatio est), disponens atque deificans intellectum ut per speciem cernere possit Deum. Et licet lumen istud secundum essentiam finitum sit, a divina natura infinite deficiens, et nec specie nec genere cum illa communicans, efficax est tamen mentem creatam disponere ad divinæ lucis immediatum intuitum : quoniam ex hoc quod est supernaturalis divinæ natu-

ræ similitudo, atque alterius ordinis ab omni dono naturæ, eatenus ut nulli creaturæ naturalis perfectio effici possit (uti nec gratia), habet quamdam dignitatem immensam. — Porro, per hoc quoque sequens instantia solvitur. Ad visionem namque Dei per speciem, nequaquam exigitur efficacia simpliciter infinita, quum nec visio ista infinita sit ex parte videntis ; sed ratione objecti vocatur dignitatis immensæ, quoniam Deus est bonitas simpliciter infinita.

Ad tertiam dico, quod gratia lumenque gloriæ secundum substantiam finita sunt, sicut et omnis creatura. Unde consequitur ut non excedant dona naturæ simpliciter infinite, sed quodammodo infinite, id est improportionabiliter, loquendo de proportione proprie dicta, quæ scilicet est inter entia unius ejusdemque ordinis. Sicut ergo inter punctum et lineam non est proportio, quia quotiescumque puncta multiplicentur, non efficiunt lineam; sic inter lumen gloriæ et naturalia dona non est proportio proprie dicta, sed aliqua habitudo. Similiter, Deum perfecte comprehendere, omnem naturalem virtutem omnino in infinitum excedit, nec alicui creaturæ per gratiam communicari id potest. Videre vero per essentiam sicut intellectus creati conspiciunt, non simpliciter infinite excedit naturalem virtutem, sed improportionabiliter et quodammodo infinite.

ARTICULUS XXI.

De forma intelligibili per quam videtur divina essentia.

Philosophus. — Adhuc una, itemque præcipua, difficultas mihi exoritur. Omnis nempe cognitio per similitudinem quamdam efficitur. Quo majus oportet speciem cogniti inesse cognoscenti. Nam et divinus intellectus, secundum præhabita, omnia certis propriisque rationibus atque ideis cognoscit. Per quod ars rationibus plena perhibetur. Si ergo intellectus crea-
A tus videre potest divinam essentiam, hoc est per aliquam formam intelligibilem sibi unitam : aut igitur per formam creatam, aut increatam. Non per formam creatam, quoniam omnis forma creata finita est, a divina essentia infinite deficiens : unde nec divinam perfectionem perfecte repræsentare valet, nec per eam cognoscitur Deus nisi tanquam per effectum, et prout in tali forma bonitas sua relucet. Nec per increatam formam visio ista potest haberi. Increata namque forma esse
B non potest nisi divina essentia, quæ esse non potest alicujus creati intellectus intelligibilis forma.

Theologus. — Sufficienter, ni fallor, probasti non posse videri Deum sicuti est per speciem seu per formam intelligibilem creatam. Ideo fateor ipsam divinam essentiam intellectui creato uniri, tanquam intelligibilem formam seu speciem, ut sit ipsa et quod videtur et quo videtur.

Philosophus. — Hoc mirabiliter sonat, nec quispiam philosophorum tale quid
C unquam asseruit.

Theologus. — Non bene perpendis : imo errare videris. Nonne inter Peripateticos asserentes intellectum humanum in vita præsenti intelligere posse substantias separatas, dissensio est? quibusdam, videlicet Avicenna et Algazele, dicentibus hoc fieri per intentionem intelligibilem animæ rationali ab intelligentia impressam ; aliis vero, utpote Averroe et Alexandro, econtra opinantibus atque dicentibus effici hoc per unionem essentiæ substantiæ
D separatæ cum intellectu humano. Itaque, sicut isti de intelligentia adstruunt quod per essentiam uniatur menti humanæ, proportionabiliter ego de divina essentia sentio in beatitudinis patria.

Philosophus. — Partim quidem convincis me inconsiderate locutum. Sed valde dissimile reor de essentia intelligentiæ et natura divina, quarum una finita, alia vero est immensa.

Theologus. — Propone tamen quod movet te.

Philosophus. — Propinqua mihi apparet A positio ista cum illis qui ponebant Deum omnium rerum esse formale. Rursus, intelligibilis forma est inhærens perfectio intellectus ; ex ea quoque et intellectu fit unum, a quo immediate progreditur atque producitur operatio intellectualis. Divina vero essentia quum sit purus in se subsistens actus, hoc modo intellectui creato uniri non potest : imo hoc divinæ perfectioni plurimum derogaret.

Theologus. — Quamvis prænominati philosophi asserant unam intelligentiam co- B gnosci ab alia per unionem essentiæ ejus cum alia, non tamen fatentur quod una sit esse formale alterius. Similiter, nec ego concedere cogor, quod Deus sit esse formale intellectus creati : non enim dat actum primum seu esse, per formalem intrinsecamque conjunctionem, sed efficienter dumtaxat. Illi autem qui opinati sunt Deum fore omnium esse formale, dixerunt Deum esse omne quod est, substantialeque esse cunctorum. Præterea, nequaquam consequitur quod divina essentia C sit menti creatæ formaliter inhærens, pro eo quod ei unitur tanquam intelligibilis forma. Imo tam secundum gentiles quam christianos quosdam philosophos, inter quos sunt Albertus et Ægidius, species visibiles quæ diffunduntur ad oculum, non sunt in aere tanquam in subjecto, sed ut in differente ; formæ quoque intelligibiles, secundum eosdem, non sunt in intellectu subjective, sed perfective : et hoc est propter diminutum ac debile esse talium formarum. Quanto magis divina es- D sentia, quæ est prima veritas, perficere potest intellectum sine inhæsione accidentali atque intrinseca? — Porro unum quod ex unione intellectus cum forma intelligibili resultat, non est unum simpliciter, sed est unum tale quale ex conjunctione perfectibilis perficientisque provenit. Sic autem ex divina essentia et mente creata unum fieri nil utique prohibet. Nam et qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus fertur. (1 Cor. vi, 17.) Operatio demum intellectualis quæ est mentis creatæ, divinæ essentiæ modo dicto unitæ, immediate causatur a mente creata, et subjectatur in ea. Divina vero essentia est causa principalis efficaciam præstans : forma quippe semper est operationis principium.

Philosophus. — Si divina essentia est menti creatæ quod videtur seu objectum, et quo videtur, videlicet intelligibilis forma ; tunc imo alia atque alia ratione unitur menti, ut objectum et ut forma. Hanc autem distinctionem libenter audirem.

Theologus. — Divina essentia in quantum intellectum creatum actuat, perficit, et velut ad se trahit atque deiformiter format, rationem accipit intelligibilis formæ : non quod ad naturam intellectus creati coarctetur aut certe trahatur, sed potius quod illum ad divinæ naturæ assimilationem trahit ac erigit. In quantum vero est terminus intellectivæ visionis, id scilicet quod videtur, objectum vocatur. Nam in Deo quoque idem prorsus censentur intelligens, intellectus, seu virtus intelligendi, intelligibilis forma, et quod videtur sive objectum. Sed ratio nostra distinctionem quamdam inducit, eo quod nequeat divinum esse secundum propriam puritatem ac simplicitatem agnoscere. In patria vero videbitur Deus sicuti est, et non (1 Joann. iii, 2.) ponet circa eum ratio nostra distinctiones hujusmodi ; sed implebitur quod ait Propheta, In die illa erit Dominus unus, et (Zach. xiv, 9.) nomen ejus unum : quoniam per unam speciem cognoscetur, et in ea sola ipsa Divinitas perfecte videbitur : propter quod uno nomine exprimetur. Nunc autem quia per varias formas in ænigmate, id est tenebrosa imagine, a nobis contemplatur, variis quoque nominibus appellatur.

Philosophus. — Profundissime mihi respondes. Sed quum divina essentia uniatur menti creatæ tanquam intelligibilis forma, cur aiunt Christiani omnia a Beatis in patria cognosci in Verbo, id est Filio, potius quam in divina essentia ? Denique, cur magis in Verbo, quam in Patre vel

Spiritu Sancto, quum tum Pater sit Verbi origo, et Spiritus Sanctus Spiritus veritatis dicatur?

ARTICULUS XXII.

Responsio Theologi ad quæstionem Philosophi, cur potius dicantur Beati in patria omnia videre in Verbo quam in divina essentia, vel Patre aut Spiritu Sancto.

Theologus. — Reminiscere jam eorum quæ in his quæ de superbenedicta Trinitate sunt dicta, habita sunt. Dixi quippe, si recolis, quod Verbum seu Filius procedat a Patre per intellectum, Spiritus Sanctus ab utroque per voluntatem. Ideoque quæ ad intellectum pertinent, Verbo appropriantur, ut esse sapientiam Patris, veritatem, exemplar, imaginem : et propterea omnia in ipso cognosci dicuntur. (I Cor. I, 24; Joann. XIV, 6; Coloss. I, 15.) Ipse enim est expressio sapientiæ paternæ mentis, in qua quidquid in sapientia atque essentia Patris continetur, eminenter ac plene resultat et lucet. Unde Filius est Patris imago, omnium quoque quæ facta sunt aut fieri possunt, exemplar et species, idea et ratio. Non tamen sic universa in Verbo cognosci dicuntur, quasi Pater non videatur nisi per Filium : imo et Pater et Spiritus Sanctus immediate a Beatis cernuntur. Imo tota Trinitas, una existens, vera, immensa æternaque Deitas, est beatæ fruitionis primum, summum ac immediatum objectum : quoniam sicut tota Trinitas universa indivise creavit, sic omnes Beatos indivise felicitat ; et secundum fidelem Augustinum, ea sola vere finaliterque fruendum est. Enimvero, quum divina essentia absolutissime nominetur (nomen enim essentiæ summæ est absolutum, et de omnibus quæ in Deo sunt vere dicibile : Pater enim est essentia divina, similiter Filius, et item Spiritus Sanctus ; tota insuper Trinitas divina essentia verissime dicitur), propterea ad insinuandum quod Beati in patria totam Trinitatem singulasque divinas personas clare A ac immediate conspiciunt, convenientissime dictum est, quod divina essentia unitur Beatis tanquam intelligibilis forma. Etenim in ea cognoscunt quidquid ad plenam beatitudinem pertinet. Nihilo minus videtur Pater in Filio, tanquam in perfecta ac naturali imagine ; Filius quoque in Patre, sicut rivus in fonte, Spiritus Sanctus in utroque, et uterque in ipso.

ARTICULUS XXIII.

B *Quæ videntur in divina essentia et quæ non.*

Philosophus. — Ad quæstionem propositam efficaciter respondisti, Theologe. Sed quoniam, juxta præostensa, intellectus creati non omnia in divina natura cognoscunt quæ in ea resplendent, quum infinita in ea reluceant, jam precor, edissere quænam in ea videntur a Beatis, et quæ non.

Theologus. — Quidquid ad veram beatitudinem spectat cognoscere, hoc omnes C ac singuli in divina adspiciunt luce. Supernaturalis demum felicitas de qua nunc profamur, naturalem beatitudinem præsupponit : non enim esse potest quid simpliciter supernaturaliterque beatum sine perfectione naturæ. Ad naturalem autem beatitudinem exigitur totius universi naturas ordinemque cognoscere : talem namque beatitudinem substantiis separatis adscripserunt philosophi. Ideo omnes Beati in patria, totius mundi, utpote omnium visibilium ac invisibilium, species et ge- D nera, naturas ac ordinem in divina essentia perfectissime intuentur. Non autem requiritur ut cuncta in particulari agnoscant. Denique naturalis capacitas in Beatis perfecte impletur. Sed intellectus est quodammodo omnia, secundum Aristotelem, eo quod omnium capax sit per cognitionem in specie, non in singulari : singularia enim propter indeterminationem suam relinquuntur ab arte. Omnia itaque secundum speciem sciunt.

Præterea, ea quoque in particulari at-

que distinctissime in Verbo conspiciunt, quæ ad plenam beatitudinem singulariter pertinent. Unde singuli Beatorum singulos distincte cognoscunt, et ardentissime diligunt : hoc equidem ad perfectam societatem accidentaleque præmium confert et proficit. Rursus, quæ specialem ad quempiam Beatorum habitudinem habent, ea singuli distincte in Verbo cernunt. Ideoque Sancti eos optime noscunt qui eos colunt, amant et invocant, precesque eorum intelligunt. Sed et martyres sancti eos specialiter modo cognoscunt, quos in præsenti persecutores habebant, quatenus per hoc amplius gaudeant. Porro, non omnes Sancti æque multa nec æque clare in Deo cognoscunt, neque rationes divinorum effectuum æque perfecte inspiciunt.

Philosophus. — Quum divinam essentiam intueri incomparabiliter majus sit quam quoscumque effectus, quantaslibet creaturas cognoscere, videtur quod nullus effectus creaturaque nulla eos queat latere, quibus impertitum est essentiam divinitatis prospicere.

Theologus. — Quamvis majus sit Deum videre quam quoscumque effectus, nihilo minus majus est in divina essentia plura videre, quam eam videndo pauciora in ea cognoscere. Ideoque non sequitur, quod Deum videntes, universa creata in particulari cognoscant.

ARTICULUS XXIV.

Introductio rationum Theologi, quam probabile sit non posse beatificari intellectum creatum nisi in divinæ visione essentiæ.

Theologus. — Secundum excellentiores philosophos, Platonem et Proclum, Aristotelem et Alphorabium, atque eorum sequaces, omnis Dei cognitio quæ per species creatas habetur, potius est per ablationem seu abnegationem, quam per positionem. Melius enim scitur in ea quid Deus non est, quam quid est : imo quid est

A penitus ignoratur. Et hoc ipsum in libro de Causis asseritur. Denique magnus Dionysius in Mystica theologia, et Joannes Damascenus libro primo, idem testantur. Scire autem de aliquo quid non est, et non quid est, est potius ignorare quam scire. In tali igitur notitia non quiescit intellectus : quoniam naturaliter appetit de ignoto notitiam; et ut naturaliter certitudinem atque scientiam appetit, sic ignorantiam fugit. Non utique contentari potest, donec de Deo quid sit intelligat.
B Ergo in sola Dei perfecta visione, vera beatitudo consistit.

Præterea intellectus non sistit in agnitione effectus, sed causam inquirit ; et nisi illam cognoscat, non contentatur neque quiescit. In nullius ergo creaturæ notitia, ultimata consistit felicitas, sed in solius primæ causæ contuitu. Vel ergo in illo qui est per effectum, vel in eo qui est per speciem increatam. Non primum, quoniam videre Deum per effectum seu creaturas est dumtaxat cognitio quia est.
C Scientes autem de aliquo quia est, desideramus agnoscere quid est. In tali ergo cognitione intellectus nequaquam quiescit, sed in ea qua scitur de Deo quid est : quod esse non valet nisi per speciem increatam. Denique, quum visio Dei per creata imperfecta sit, habens eam, perfici appetit.

Adhuc, ad id unumquodque convertitur a quo procedit. In illius ergo contemplatione intellectus humanus beatificatur, a quo immediate creatur. Sed a solo Deo
D creatur, quemadmodum ante probatum est. In solo ergo Deo felicitatur, et non in intelligentia aliqua, sicut Avicenna opinatus est.

Philosophus. — Rationes istæ nihil demonstrant.

Theologus. — Ego interim eas tanquam probabiles introduxi. Fidem autem demonstrare non studeo ; sed quod rationi non repugnet, imo quod ratio ei deserviat, quamvis ad eam pertingere nequeat, probare intendo.

PHILOSOPHUS. — Diffusius aliquid mihi A de felicitate cœlesti, quam Christiani exspectant, eloquere.

ARTICULUS XXV.

Responsio Theologi de gaudiis felicitatis cœlestis.

THEOLOGUS. — Quale proinde sit gaudium Beatorum in patria, tu ipse, o Philosophe, per propriæ atque philosophicæ subtilitatis indaginem, utcumque elicere B vales. Scis namque, Aristotele contestante, quod gaudium seu delectatio oritur ex unione potentiæ ad bonum conveniens. Est enim gaudium diffusio animi ex contuitu boni.

Denique magnitudo gaudii ex tribus causatur, videlicet ex bonitate seu convenientia objecti, ex nobilitate potentiæ, et ex modo seu medio unionis. — Quoniam ergo divina essentia, quam omnes Beati vident, qua etiam perfecte fruuntur, sit infinita bonitas, immensa dulcedo, incir- C cumscriptibilis pulchritudo, interminabile lumen, et ut ad omne dicam, omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium intensive atque simpliciter infinita superessentialisque plenitudo : constat quod gaudium Beatorum in patria ex parte objecti, sit prorsus super omnem linguam, cogitationem ac intellectum, plenissimum, dulcissimum, purissimum, desiderabilissimum, ardentissimum, securissimum, et in omni delectationis nobilitate perfectum. — Denique intellectus et voluntas, qui- D bus Beati Deo uniuntur, sunt nobilissimæ potentiæ animæ, utpote inorganicæ et indestructibiles, in quibus supersanctæ Trinitatis imago relucet. Quum ergo ipsæ tam infinitæ perfectionis objecto copulentur, ideo ex parte potentiæ operantis est gaudium Beatorum dignissimum, intensissimum atque æternum. — Insuper, quum secundum præostensa, medium per quod Deus videtur, aliud non sit nisi divina essentia menti creatæ tanquam intelligibilis forma unita, dispositio quoque mentis beatæ qua ad Dei visionem disponitur, sit lumen gloriæ : elucescit quod gaudium Beatorum ex parte unionis seu medii sit omnino incomprehensibile ac vere perfectum, mentem felicem totaliter occupans, implens ac superadimplens, in Deum absorbens et inavertibiliter æternaliterque in ipso stabiliens. Quid nempe est, immenso bono, immensæ dulcedini, immensoque lumini immediate uniri, Deo in se ipso frui, atque eo sicuti est totaliter affici ?

PHILOSOPHUS. — Magna sunt gaudia hæc, et revera ineffabilia valde, ac desiderabilia nimis. Quum ergo omnia ista ita se habeant, confiteor plane, quoniam nihil est Christiano felicius, quippe cui tanta bona reposita sunt.

THEOLOGUS. — Ea quæ dixi, ad essentiale præmium pertinent. Est autem et aliud præmium, quod accidentale vocatur.

PHILOSOPHUS. — Quæ est horum distinctio præmiorum ?

THEOLOGUS. — Essentiale præmium est ipsa essentia beatitudinis, in solius veræ Deitatis visione seu fruitione consistens; et correspondet caritati : actui enim seu fervori caritatis, præmium essentiale debetur. Porro præmium accidentale in bonis creatis situm est, in agnitione scilicet ac delectatione eorum ; correspondetque atque debetur bonæ operationi ceterarum virtutum : cui tamen etiam essentiale præmium redditur, in quantum a caritate imperatur. Præterea virginitati, martyrio, ac doctoratui, propter specialem præcipuamque difficultatem, debetur aureola, quod est speciale quoddam gaudium mentis de opere præcellenti ac privilegiato proveniens. Hoc demum agnosce, quia tot sunt æternæ beatitudinis gaudia, ut nemo ea scire effarique valeat, nisi is cujus *Ps. CXLVI, 5.* sapientiæ non est numerus, et cui ipse dignatur hoc pandere. Nempe gaudebunt Beati super se de Dei visione ; infra se, de cœlestium orbium elementorumque inæstimabili pulchritudine ; intra se, de cor-

poris et animæ glorificatione; extra se, de angelorum et hominum lætabunda societate. Nihil quod optent, potest deesse; nihil adesse, quod horreant. Illic summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna felicitas.

Job XXVI, 14. Ecce hæc ex parte dicta sunt; et quum vix parvam stillam de eis audierimus, quis poterit tonitruum sermonum de eis audire? Omnino Deus piissimus, Deus fidelis et naturaliter bonus, atque largissimus fidelibus servis suis, copiosissimam mercedem rependit amatoribus suis: nihil aliud quam se ipsum retribuit. Et quo nunc quis pro ejus amore se plenius abnegat, eo in patria Deus eidem se ipsum integrius atque totalius reddit atque communicat.

Philosophus. — Beati qui ad beatitudinem tantam electi sunt.

Theologus. — Quemadmodum, te teste, nihil Christiano felicius, sic nihil periculosius neque damnosius quam christianam fidem habere, et vitam renuere. Omnium hominum miserrimus est malus Christianus.

Philosophus. — Nunc de malorum tormentis perfectius eloquamur.

ARTICULUS XXVI.

De impiorum tormentis.

Philosophus. — Quum pœna sit merces peccati, ac per hoc inter pœnam culpamque proportio esse debeat, non video quomodo pro temporali peccato infligatur pœna æterna. Æternitas namque et tempus in infinitum distant, proportioneque carent. Denique amaritudo pœnæ, delectationi correspondet peccati: quomodo ergo pro momentaneo quod delectat, rependitur æternum quod cruciat? Præterea violentum non potest esse perpetuum. Rursus, corpus mixtum in tot tormentis incorruptum subsistere, et præsertim in igne, impossibile prorsus videtur.

Theologus. — Omnia facta sunt quatenus A in cunctis et singulis divina reluceret perfectio. Congruit enim, in effectibus naturam perfectionemque resplendere causarum. Itaque, sicut in creatione apparet divina potentia, in gubernatione sapientia, in reparatione clementia; sic in remuneratione manifestatur divina justitia. Ideoque, sicut in electis divina benignitas in æternum patebit, sic in reproborum damnatione Dei æquitas sine fine clarebit.

Nec obest quod objicis. Licet enim peccatum sit temporale quoad efficientiam, B est tamen infinitum quoad enormitatis excessum, eo quod committatur contra majestatem, sanctitatem ac æquitatem immensam. Et quoniam creatura capax non est pœnæ infinitæ intensive, ideo torquetur pœna secundum durationem seu extensive infinita. Et hujus quidem multa patent exempla in jure humano. Nam crimen læsæ majestatis temporale exsistit, servitus autem perpetua; rursus, pro temporali peccato transmittitur quispiam in æternum exsilium. Licet autem pœnæ hæ C finem sortiantur, hoc per accidens esse videtur: nam si vita semper duraret, pœna quoque maneret. Denique pro homicidio cito peracto, vita irrecuperabiliter tollitur. Nec oportet ut sit eadem intensio in amaritudine pœnæ et delectatione peccati, sicut prædicta exempla insinuant; sed servatur illic proportionalitas aliqua, quoniam pro majori delectatione inordinata, amplior redditur pœna. Per se autem quantitas pœnæ respondet, non delectationi, sed enormitati peccati: quæ utique D ex multis circumstantiis prodit.

Rationes proinde variæ sunt, cur pro temporali peccato pœna impertitur perpetua. Primo, quoniam hæc vita est via ad aliam vitam. Nam ad hoc unitur corpori anima, ut sancte et juste vivendo ad veram beatitudinem transeat; quod philosophi quoque concesserunt. Mors autem est terminus viæ. Post terminum vero non contingit mutari, sed est quies a motu. Itaque post mortem finitur via perveniendi ad ultimum finem. Ideo anima quæ

ante mortem beatitudinem non meretur, A postmodum eam nequit sortiri : unde in æterna miseria permanet. Secundo, quoniam homo in suo æterno peccat : ideo in Dei æterno torquetur. Tertio, quia peccatum ex eo quod contra immensum Deum committitur, interminabiliter vindicatur. Quarto, quia macula culpæ quæ est causa pœnæ, indelebiliter perseverat. Non enim sine pœnitentia et gratia potest deleri. Post mortem autem impii nunquam vere pœnitebunt, quia in malo indurati erunt : unde nec gratiam consequi B poterunt.

PHILOSOPHUS. — Quomodo non pœnitebunt de malo pro quo tanta tunc sustinent?

THEOLOGUS. — In ea dispositione atque affectu quo anima separatur a corpore, inconvertibiliter manet. In peccato autem mortali constituit sibi homo finem in bono caduco : ideoque in mortali peccato decedens, in talis boni affectu immutabiliter manet ; et illo frui mallet quam Deo, quoniam illud majus dilexit et dili- C git quam Deum. Dolent igitur de peccato, non per se, utpote quia peccatum est malum, sed per accidens, scilicet in quantum est afflictivum.

PHILOSOPHUS. — Est in inferno alia pœna sensus quam ignis?

Job XXIV, 19. THEOLOGUS. — Utique : ibunt enim de intensissimo calore ad vehementissimum frigus. Est quoque illic fletus (non tamen per lacrimarum resolutionem, sed cerebri conturbationem), et stridor dentium, maximus fœtor, horridus tenebrosusque locus, D molesta societas, desperatio atque blasphemia. Singuli quippe sensus in miseriis suis affligentur tormentis. Et quoniam est illic et erit horridus adspectus : ideo est ibi modicus ac fumosus teterque splendor ignis, ad nullum solatium, sed ut se mutuo conspicere queant ad miseriæ cumulum.

PHILOSOPHUS. — Quum ignis ille corporeus sit, quomodo agit in spiritum, ut est dæmon et anima?

THEOLOGUS. — Ut divinæ instrumentum justitiæ, non ut agens naturale.

PHILOSOPHUS. — Cessante motu cœlesti, quum sit motuum primus, nullus, ut apparet, esse poterit motus.

THEOLOGUS. — Per divinam potentiam erit motus localis in cœlis et inferis. Verumtamen generatio, itemque corruptio, prorsus cessabunt. Hoc quoque agnosce, quod qui sine mortali peccato decedunt, nec tamen in gratia fuerunt, ut sunt pueri non baptizati, pœnam sensus nunquam habebunt.

ARTICULUS XXVII.

Disputatio Theologi contra Philosophum de felicitate atque miseria hominum.

THEOLOGUS. — Contemplare nunc, quæso, Philosophe, æquo judicio, quid melius sonet, fidei nostræ positio, an philosophorum assertio. En inter Peripateticos præclari Avicenna et Algazel, qui ultimam hominis felicitatem in contemplatione intelligentiæ ultimæ statuerunt, animas rationales nunc a corpore separatas dixerunt actu infinitas. Quid autem tam irrationabile, quam quod sapientissimus Conditor opera sua non ordinaverit ac determinaverit, atque in numero, mensura et pondere collocaverit?

PHILOSOPHUS. — Quoad hoc ceteri naturales eis contradicunt.

THEOLOGUS. — Pauca vel nulla est inter eos concordia. Enimvero qui eis contradicunt, plus errant quam ipsi. Averroes enim et Abubather ne admitterent infinitatem animarum, scientes quoque intellectum esse perpetuum, arbitrati sunt animam humanam esse mortalem, intellectum autem non esse in nobis nisi per quamdam resplendentiam ab intelligentia separata. Alexander autem utrumque videns esse absurdum, asseruit animas rationales omnino mortales, ipsumque intellectum esse potentiam materialem, ac de materia demum eductam. Porro, quod

Avicenna posuit animas injustas tandem a miseria eripi, atque intelligentiarum luminibus copulari, nunc improbatum est. Quum enim mors sit terminus viæ, non potest post eam reditus esse ad ultimum finem. Hæc igitur de Peripateticorum errore induxerim.

Nunc autem de Stoicis dicam. Ecce princeps eorum, Plato, in Timæo et Phædone de præsenti materia multa edisserens, hoc tandem concludit, quod animæ bonorum corporibus segregatæ, ad stellarum contubernia sidereasque mansiones redeuntes, post certa intervalla, rursus corporibus delectentur, eisque denuo uniri desiderent, et ad vitæ hujus miserias descendere cupiant. Quid autem tam stultum, quam opinari animam in tanta sapientiæ ac veritatis contemplatione consistentem, corpore delectari, et a tanta beatitudine in miserias non ignotas relabi velle? Denique contra positionem hanc in præinductis completius disputatum est.

PHILOSOPHUS. — Quamvis rationes tuæ per se non cogant me ut me fidei huic articulo subdam, nihilo minus cunctis pensatis, videlicet rationibus tuis naturalibus, fidei quoque supernaturalibus argumentis, atque controversia quæ inter philosophos est, fidei potius adhærendum recenseo.

THEOLOGUS. — Rite consideras. Visne itaque de præsenti plura sciscitari materia?

PHILOSOPHUS. — Si jubes, procedamus ad cetera.

THEOLOGUS. — Jam de sex fidei orthodoxæ expediti sumus articulis. Porro nunc septimum introimus, qui est de incarnatione Verbi. Et quoniam articulus iste eorum qui de humanitate sunt Christi, articulorum primus est, atque post duos articulos primos fidei, quorum est unus de divina unitate, secundus de æterna Trinitate, præ ceteris est præcipuus; ideo, si tibi sic convenire videtur, in eo a novo ordiar libro. Hoc equidem scias, quod tota theologica veritas de Trinitatis deitate humanitateque Christi specialiter principaliterque pertractet.

PHILOSOPHUS. — Juxta præconceptam animo formam, o Theologe, inchoa.

LIBER QUARTUS

DIALOGION
DE FIDE CATHOLICA

LIBER QUARTUS

DE INCARNATIONE, VITA, PASSIONE ET GLORIFICATIONE FILII DEI, AC EXTREMO JUDICIO.

PROŒMIUM.

THEOLOGUS. — *Qui fecit stellas, hic est Deus noster. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Baruch III, 35, 36, 38.

PHILOSOPHUS. — Lucide mihi insinua fidei tuæ articulum hunc.

THEOLOGUS. — Credimus, o Philosophe, confitemur, et indubitanter agnoscimus, quod Creator cœli et terræ, qui hominem ad suam imaginem condidit, pro hominum reparanda salute homo factus sit.

PHILOSOPHUS. — Salus quæ reparatur, deperdita fuit, et denuo recuperatur. Si ergo hominum salus reparata est, deperdita fuit.

THEOLOGUS. — Ita est prorsus : et, heu ! omnino sic est. Numquid oblitus es quemadmodum tibi prædixi de hominis constitutione primæva, de prævaricatione ipsius, de expulsione a paradiso, de originali justitia, hereditarioque peccato seu infectione naturæ?

PHILOSOPHUS. — Quantum præsenti tractatui convenit, reiterare digneris.

THEOLOGUS. — Non in solis nudis purisque naturalibus condidit hominem Deus, sed in supernaturali quadam ac originali justitia eum plasmavit. Hæc autem justitia A in primo parente fuerat, non solum ut in determinata persona, sed etiam tanquam in humanæ naturæ primordiali principio. Ideoque hanc perdidit tam sibi quam aliis, dum peccavit. Itaque defectus seu privatio originalis justitiæ, naturale peccatum seu originalis culpa vocatur, quia tota natura humana in primo parente erat infecta, et ex consequenti, in omnibus qui naturali origine ab eo prodibant. Hoc peccatum in primo homine et actuale seu personale fuerat, in quantum per actum B proprium illius commissum erat personæ, et naturale seu originale, in quantum naturam in suo fonte corrupit. In posteris vero non actuale, sed originale tantummodo est : ideoque in eis non correspondet sibi pœna sensus, sed damni. In Adam autem duplex ei pœna debebatur, videlicet sensus, in quantum fuerat actuale, et damni, prout erat originale, ratione aversionis prævaricationisque gratiæ. Ab hoc demum originali peccato et a pœna ejus liberari non valuit humana natura a se C ipsa, sed superioris naturæ redemptore indiguit. Unde propter delendum peccatum hujusmodi, ac reformandum atque sanandum totam naturam humanam, Unigenitum Dei incarnatum fatemur.

ARTICULUS I.

Qua Dei justitia primi parentis peccatum posteris imputetur.

PHILOSOPHUS. — (1) Omne peccatum voluntarium est. Si ergo originale peccatum in posteris rationem culpæ sortitur, in eisdem voluntarium erit. Nulli namque imputatur in culpam, quod vitare non potest. Originale autem peccatum in posteris nequaquam voluntarium est : nam in potestate eorum non est ut sine eo nascantur.

(2) Præterea, quæ aliter habere se nequeunt, peccata non sunt. Sed originale peccatum quum naturale dicatur, non inesse non potest : nullatenus igitur peccatum exsistit.

(3) Adhuc, is puniendus est qui offendit. Quomodo ergo pro primi hominis culpa ceteri pœnæ itemque damnationi obnoxii fiunt? Quæ, inquam, est ista sanctissima Dei justitia?

(4) Amplius, anima non est ex traduce, sed ab extrinseco, et secundum te, creatur immediate a Deo. Quomodo ergo originali peccato inficitur? Non potes asserere quod ex contactu materiæ seu unione cum carne : caro enim, ante copulam, animæ esse nequit peccati subjectum.

(5) Amplius, quæro an primus parens pœnituit, gratiamque reparavit, vel saltem readipisci potuit, an non. Si sic, tunc peccatum ejus ante prolis propaginem deletum erat, et natura in ipso a peccato sanata : non ergo per generationem peccatum transivit ab ipso in filios. Non puto autem te dicturum quod pœnitere non potuit, quoniam sic redemptor ei prodesse non potuisset.

(6) At vero, si protoplastus homo suo peccato naturam inficere valuit, cur sua pœnitentia eamdem reficere atque sanare nequivit ?

THEOLOGUS. — Omne peccatum esse voluntarium, tam philosophi quam theologi adstruunt. Verumtamen non omnia pec- A cata æqualiter voluntaria sunt. Actuale namque peccatum, voluntarium est voluntate personæ peccantis. Porro originale peccatum voluntarium est quoque, non utique voluntate singulorum determinata et propria, sed voluntate primi parentis. Quomodo ergo imputatur, quæris, nobis in culpam? En eo modo imputatur nobis in culpam, quomodo eramus in primo parente : eo quippe modo quo eramus in eo, nati sumus habere, imo et vere haberemus, originalem justitiam. Nam, ut An- B selmus testatur, est privatio primordialis justitiæ debitæ inesse. Contemplandum est itaque qualiter eramus in primo parente. Ecce, ut nosti, Porphyrio tuo dicente, participatione speciei plures homines sunt unus homo. Denique, sicut multa membra sunt in uno corpore, sic multa individua sunt in una natura specifica. Itaque universi nos in primo parente eramus sicut in primo principio, et in natura humana : quæ in ipso fontaliter fuit, atque originalis dono justitiæ dotata fuit, non C solum in quantum personam primi hominis respiciebat, sed in quantum cunctis ex illo propagandis communis erat. Unum ergo in primo parente quodammodo fuimus, prout varia membra in suo corpore unum exsistunt. Per hunc igitur modum omnes in ipso peccavimus atque in ipso cecidimus ; eramusque natura filii *Ephes.* II,
iræ, et item, ante damnati quam nati : 3.
non aliquo actu suppositali distincto et proprio, sed quasi actu naturæ, et in actu primi parentis, prout continebamur in eo.

D Per hoc autem duæ primæ instantiæ sunt solutæ. Prima quidem aperte. Et ut secundam apertius solvam, dico quod licet non sit in nostra potestate suppositali carere isto peccato, juste tamen imputatur nobis, propter liberam illius potestatem in quo unum eramus atque cecidimus. Illud tamen objectio obtinet, quod non imputatur nobis quasi proprium et actuale peccatum. Unde nec pro eo pœnam sensus incurrimus, sed damni dumtaxat, utpote divinæ visionis carentiam, ad

quam per originalem ordinabamur justitiam. — Et per hoc ratio tertia est soluta. Nam eo modo quo punimur, offendimus : punimur nempe pœna naturæ, id est naturam vitiatam concernente, scilicet pœna damni; et offendimus offensione naturalis originalisque culpæ. A

Ad quartam respondeo, quod in eodem instanti quo anima creatur, infunditur, et infundendo, hujus peccati macula inquinatur. Quæ quidem culpa seu macula inerat semini, non essentialiter, sed radicaliter, quemadmodum ex semine leprosi B generatur leprosus, quamvis in semine lepra non nisi radicaliter fuerit.

Ad quintam dicendum, quod Adam pœnituit, gratiamque obtinuit. Hæc vero pœnitentia esse non potuit pro peccato, nisi prout actuale erat. Et gratia illa originalis justitiæ innocentiam non reduxit, neque pro infectione naturæ satisfactoria fuit ; sed efficaciam præstitit ad merita personalia in futurum. Denique signum hujus est, quod ante Christi passionem nullus sanctorum beatitudinis regnum in- C gredi potuit. Licet enim actuali peccato carebant, tamen pro originalis defectu justitiæ, quo ipsi erant corrupti, satisfacere non valebant.

Ultima vero objectio ceteris est facilior. Potest enim homo per se cadere atque peccare, itemque perire; non autem sine gratia potest resurgere, promereri atque salvari. Itaque potuit primus parens gratiam toti naturæ seu posteritati communicandam peccando amittere, non tamen eamdem reparare. Denique, ut dicitur, pec- D cavit voluntate naturæ, id est actionem habente quæ in naturam posteritatis transivit, pœnituit autem voluntate personæ.

Philosophus. — Eleganter mihi respondes. Verumtamen nondum capere queo, qua Dei justitia propter primi patris peccatum, tota ejus posteritas ultimi finis felicitatis destituta consistat. Ideoque desidero ut difficultatem præsentem manifestius pandas.

Theologus. — Prompte parebo.

ARTICULUS II.

Introductio convenientis exempli ad lucidiorem præsentis difficultatis explanationem habendam.

Theologus. — Secundum præhabitorum tenorem, innotescit quod sicut ultima et vera hominis beatitudo supernaturalis est, sic protoplastis parentibus supernaturalia erant indita dona, videlicet originalis justitia, quatenus per proportionata media ad supernaturalem finem pertingerent. Hæc vero justitia primo parenti erat non solum ut singulari personæ, sed etiam velut naturæ principio data : ita quod si ipse Creatori pareret, in omnem suam sobolem donum suum transfunderet; sin autem, ipse illud perderet, nec posteris communicaret. Quoniam igitur peccavit, posteri hoc dono justitiæ privati sunt. In hoc autem nullum præjudicium, nullaque posteris irrogatur injuria : quia nec ipsis nec primo parenti debebatur hoc donum ex conditione seu dignitate naturæ, sed ex sola Creatoris liberalitate. Cujus aptum inducam exemplum. Si enim rex aliquis militi suo munus aliquod non debitum, sed gratuitum, utpote bonum feudale, tali conditione impendat : quod si ipse regi in tali aut tali negotio efficaciter militaverit, ipse quidem bonum sibi præstitum possidebit, suæ quoque illud progeniei relinquet. Si itaque miles ille infidelis inobediensque fuerit : nonne tam ipse quam ejus posteritas bono impenso juste carebunt ? Sic est de peccato primorum parentum et posteritatis ipsorum.

Et quoniam posteritas originali justitia caret, per quam ad beatitudinem ordinata a Deo erat cœlestem; ideo illam adipisci non valuit, nisi vel ipsam reacquireret, vel aliquis pro ejus defectu debitum solveret. Non potuit autem aliquis purus homo illam reacquirere, ipsam videlicet naturam ad pristinam innocentiam suam reducere, nec etiam pro ejus carentia satisfacere : cujus rationes cito insinuandæ sunt.

PHILOSOPHUS. — Non imputatur modo hominibus originalis culpa ?

THEOLOGUS. — Sicut per Adæ demeritum omnes eramus pœnæ damni propter originalis culpæ transfusionem obnoxii ; sic merito Christi a debito isto primordialis peccati sumus soluti. Unde nec imputatur nobis ad pœnam, quia Christus pro ipso satisfecit. Unde ipso passo ac mortuo, mox beatitudinis janua patuit.

PHILOSOPHUS. — Quomodo abstulit Christus originalem culpam ? an naturalem justitiam seu primordialem innocentiam retribuendo, an pœnam dumtaxat tollendo ?

THEOLOGUS. — Optime atque utiliter sciscitaris. Sed utinam primordialem justitiam singulis, uti et Adæ tribueret. Nunc vero non est quæstio. Experimur nempe, quod amissam originalis justitiæ gratiam seu innocentiam non reddit, nec suæ passionis merito confert, nisi per modum quem dicam. Satisfecit tamen omnino pro debito seu pœna exhibenda omnibus pro primo peccato. Porro defectus qui originalem culpam sequuntur, non penitus abs-
Eccli. XL, 1. tulit : propter quod grave jugum super omnes Adæ filios inductum est. Hi vero defectus sunt mors infirmitatesque in corpore, fomes in sensualitate, ignorantia in intellectu, itemque obliquitas in voluntate. Hos defectus ac originalis peccati pœnas Christus merito suæ mortis abstulit quantum ad sufficientiam. Immortalitatem quippe quam nobis promeruit, in futura resurrectione præstabit. Gratiam vero contra fomitis inclinationem et ad bona agenda, incessabiliter donat his qui se capaces efficiunt, aut certe per alios efficiuntur capaces. Opportunum est equidem, meritum passionis Christi nobis aliquo modo applicari, nosque id quod in nobis est facere, et ita ad nostram cooperari salutem. Eis vero qui se ipsos ad communionem Christi disponere nequeunt, infantibus scilicet, communicatur meritum Christi per alios in fonte Baptismatis, in quo omnia peccata delentur, gratia
A quoque donatur, fomes autem debilitatur, non tamen exstinguitur.

PHILOSOPHUS. — Juxta professionem tuam audire nunc cupio, cur nullus purus homo pro originali peccato satisfacere valuit.

ARTICULUS III.

Quod nec homo purus nec etiam angelus humanam naturam ab originalis debito culpæ redimere potuit.

B THEOLOGUS. — Ex præinductis declaratum opinor, quod post originalis amissionem justitiæ, quæ erat gratia toti naturæ collata, aliam gratiam homo reparare nequibat, nisi personalem seu ipsam personam respicientem ac perficientem. Nam quoniam primus homo, ante peccatum, erat in originali justitia ipsi naturæ data, ideo actionem habere potuit transeuntem in totam naturam. Post gratiam vero naturæ amissam, actus et operationes ejus personales manserunt : ideoque per ea se ad
C gratiam personalem tantummodo præparare valebat. Sed per actum, seu meritum ex gratia personali procedens, reparari non potest tota natura, nec reformari, nec ad pristinam innocentiam reduci, nec a debito solvi. Nullus ergo purus homo, nec Adam, nec ejus successor merito suo naturam in primo parente vitiatam redimere potuit.

Præterea, per originale peccatum vita æterna erat ablata. Vita autem æterna seu cœlestis felicitas, ratione sui objecti, quod
D est Deus benedictus, est quodammodo immensæ dignitatis. Deo enim in se ipso frui, infinita quodammodo perfectio est. Sicut ergo hanc nulla creatura per pura naturalia potest mereri sibi, sic nullus potest eam toti naturæ reparare per gratiam personalem atque finitam. Unde necessaria erat in redemptore dignitas infinita : quæ nec puro homini, nec etiam angelo competere potest.

Amplius, ut nosti, Philosophe, natura communis atque specifica, propter inde-

ficientem suam communicabilitatem inexhausibilemque A participalitatem, infinitæ quodammodo dignitatis perfectionisque est : omnibus namque individuis eminet, et in infinitum, quantum in se est, communicabilis est. Nullus igitur eam reformare liberareque potuit, nisi qui infinitæ efficaciæ ad satisfaciendum exsistit : quod puræ creaturæ non convenit. At vero ostendi tibi superius, quemadmodum peccatum infinitæ enormitatis sit, quoniam contra immensam sanctitatem excessus est. Pro tali autem ac tanto excessu, satisfactor B immensæ idoneitatis exigitur.

Philosophus. — Multa mihi decora proponis ; sed videtur quod angelus, quum sit inter divinam humanamque naturam medius, pro humana natura satisfactor, itemque mediator esse valuerit.

Theologus. — Diligentius pensa. Licet enim sit angelus præstantior homine in ratione formæ, quoniam alterius naturæ et ordinis est, non tamen in ratione finis, quia ad eamdem beatitudinem ordinatur uterque. C Insuper in præinductis jam tibi probavi, quod sicut rationalis anima a Deo immediate producitur, sic in eo solo finaliter felicitatur. Si autem angelus aut aliqua pura creatura humanæ salutis repararet beatitudinem, non deberent homines in solo Deo spem suam statuere, atque ad eum omnino converti, et in ipso solo beatificari, sed in hujuscemodi suo redemptore jure sperarent, seque ad eum converterent ; nec soli se Creatori subjicerent, sed tali quoque liberatori se merito subderent. Et hanc rationem assignat D Anselmus.

Philosophus. — Nunc ergo de ipsa Dei incarnatione profemur. Et primo, desidero quatenus mihi rationes incarnationis Unigeniti Dei explanes.

ARTICULUS IV.

De rationibus incarnationis Filii Dei.

Theologus. — In superioribus admiratus es, o Philosophe, dum propter unius hominis culpam audisti totum genus humanum damnationi fuisse obnoxium ; præsertimque scrutabaris, qua Dei exigente id contigisset justitia. Itaque, sicut tunc imperscrutabilem divinæ æquitatis censuram mirabaris, sic modo ineffabilem æternæ benignitatis mirare abyssum. Ecce enim, sicut per unius viri inobedientiam *Rom.* v, 19. tota erat vitiata natura, sic quoque per unius obedientiam atque meritum, hæc ipsa natura reparata redemptaque est. Rationabile namque erat et condecens, ut per alienam circumventionem decepti, alterius redimerentur clementia, itemque per alium perditi, per alium recuperarentur. Quemadmodum igitur primus homo non propria malitia originaliter, sed serpentina, imo diabolica suggestione peccavit, sic per alterius pietatem, Christi videlicet meritum, eumdem reparari condecuit ; et uti posteri primi parentis demerito perierunt, sic alterius merito redempti salvique fierent. Hæc est ergo, Philosophe, una divinæ incarnationis causa, quatenus sicut per alium cecidimus, sic per alium resurgeremus.

Et quoniam præostensum est, non potuisse liberationem hanc effici a pura creatura, nec humana neque angelica, aliter exhiberi non valuit nisi a Deo. Deus vero in propria sua natura ad satisfaciendum et promerendum aptus non est ; quod utique propter naturæ suæ excellentiam accidit. Si ergo Deus satisfacere pro perdito hominum genere debuit, aliam quamdam assumere naturam eum oportuit. Sed angelicam eum assumere non congruebat : quoniam illa erat assumenda natura quæ periit, quatenus per eamdem reparatio exhiberetur, per quam damnatio inducebatur. Quod nempe peccavit, aliquo modo quantum possibile fuit, satisfacere debuit. Propterea ergo Deus homo factus est, quatenus in quantum homo satisfaceret promerendo, atque ut Deus idoneitatem efficacem præstaret humanitati assumptæ, pro homine redimendo.

Præterea inter naturam angelicam atque

humanam hæc exstat distinctio, quod angelus prima sua electione voluntaria atque deliberativa in termino ponitur, id est, ultimo fini perfecte ac ultimate conjungitur, aut certe ab ipso inconvertibiliter irreparabiliterque avertitur : et hoc propter suæ contingit simplicitatem naturæ, propter quam ad quod se primo convertit, se totum convertit. Homo autem quia ex anima et corpore constat, non statim prima sua conversione vel aversione in termino ponitur, nec immutabiliter se convertit ad id ad quod se semel convertit, durante vita corporea. Itaque post lapsum pœnitere atque resurgere potest. Ideoque hominem lapsum liberari decebat magis quam angelum. Ostensum est autem, quod a pura creatura liberari nequivit. Ideoque Deum incarnatum fides testatur divina.

At vero omnes rationes in præcedenti inductæ articulo, quod nec homo purus nec angelus naturam humanam reparare valebat, nunc quoque afferri applicarique possunt ad probandum quod non nisi a solo Creatore liberatio ista fieri valuit.

Porro aliæ plurimæ rationes assignari possunt, videlicet : quia in incarnatione Dei potentia ejus maxime splendet, dum scilicet ea in unam nectit personam quæ inter se distantiam habent immensam ; bonitas quoque divina per hoc potissime innotescit, quum se tam liberaliter tamque incomparabiliter creaturæ rationali communicat ; misericordia etiam, dum taliter subvenit; justitia, dum nec peccatum manet inultum, nec quod perierat manet damnatum. Sed et sapientia Dei in incarnatione ejus summe innotescit, ut cito patebit. Enimvero, nec melius, nec clarius, nec eminentius insinuari hominibus potest quanti eos Creator æstimet, quanta sit beatitudo Beatorum, quanta etiam miseria impiorum, nisi per incarnationem Filii Dei : nam ex dignitate legati pensari solet dignitas causæ pro qua mittitur. Quum ergo Deus Pater Unigenitum suum mittit in mundum ut salvetur mundus (*Joann.* III, 17.)

A per ipsum, clarissime clucescit quanta sit dignitas conditionis humanæ, ad quantam sit beatitudinem condita, et quantam incurrebat miseriam.

Adhuc autem, per incarnationem Verbi amor Dei ad nos potissime patet, dum se nobis tam intime, tam specialiter et tam immediate conjungit. Amplius autem, ex Dei incarnatione maxima nobis utilitas provenit. Meritum namque ipsius Christi, propter veram deitatem humanitati unitam, infinitæ quodammodo dignitatis plenitudinisque B exsistit. Nil autem meruit Christus sibi de præmio essentiali, sed totum nobis impendit. Itaque, sciens misericordissimus Conditor, Deus omnipotens, universam insufficientiam maximamque indigentiam nostram, ut perfecte nobis succurreret, Filium suum carissimum misit in mundum ut per eum copiosissime juvaremur. Unde tempus christianæ religionis non immerito tempus gratiæ dicitur : nam in eo gratia Dei, propter ineffabile meritum Christi, exuberantissime C cunctis impenditur.

Adhuc autem, Dei perfecta sunt opera (*Deut.* XXXII, 4.); sed per nullam puram creaturam tam convenienter et plane ostendi hominibus poterat vera perfectio, perfecta humilitas, eaque omnia quæ ad salutem necessaria sunt, sicut per Deum hominem factum. Ejus namque exinanitio, omnem confundit superbiam sine mensura ; ejus quoque patientia atque paupertas, omnem iram avaritiamque inenarrabiliter destruit. — At vero, ut ordo universi omnino compleretur, D prout erat possibile, Deum incarnari decebat. Erant enim ab æterno tres personæ in una essentia. Erant quoque ab origine mundi duæ naturæ in una persona : quemadmodum in homine cernimus, in quo ex forma atque materia resultat una natura specifica, ac una persona. In angelis autem, persona tam simplex est quam natura, quippe in quibus utrumque aliud prorsus non est, nisi simplex separataque forma. Itaque ad complementum ordinis rerum, restabat ut essent tres naturæ in

una persona. Et hoc in Christo, id est Deo A incarnato, impletum est, in quo sunt anima, caro, itemque divinitas in una hypostasi. Nihilo minus dicitur, quod in Christo sunt duæ naturæ. Sed tunc natura proprie sumitur pro essentia specifica : sic enim caro et anima sunt una natura.

PHILOSOPHUS. — Diu te disputantem sustinui et libenter audivi, dum de re tam incomprehensibili tam probabiles congeris rationes. Verumtamen multa mihi se ingerunt circa prædeterminatam materiam dubia. Et antequam ad difficiliora ac- B celerem, duo tibi in primis dubia moveo : primo, quo jure qualique modo meritum Christi nobis communicetur ac reputetur ad veniam ; secundo, cur potius Filius quam Pater aut Spiritus Sanctus sit incarnatus.

ARTICULUS V.

Responsio Theologi, quo jure et qualiter meritum Christi nobis communicetur et reputetur ad veniam.

THEOLOGUS. — Tres tibi, o Philosophe, compendiosius quo valeo causas proponam ad declarationem quæstionis inductæ. Prima : nam sicut in Adam cecidimus, propter unitatem naturæ quam cum eo communem habemus, et quæ in ipso erat infecta ; sic in Christo redempti sanatique sumus, propter unitatem communitatemque naturæ nostræ cum natura humana in eo, quæ in ipso sine macula fuit. Et per hoc, propter unitam deitatem, D toti speciei humanæ gratiam adipisci prævaluit. Secunda causa est, quoniam caritas omnia facit communia. Ideoque Christus propter incomparabilem dilectionis suæ ad humanum genus ardorem, meritum suum nobis communicare justissime potuit. Tertia denique ratio est : nam sicut genus humanum diaboli erat servituti obnoxium, propter extensionem manus primi parentis ad ligni vetiti gustum ; sic dæmon dominium suum in homines juste amisit, dum manum suam misit in Christum, eumdem crucifigi procurans, in quo nihil suum, id est nullum malum, erat inveniens. *Joann.* XIV, 33. Denique ad sensum conspicimus, quod unus homo qui amicus est regis, proximum suum a rege depulsum, merito dilectioneque sua regi reconciliat, atque ad pristinum gradum reducit.

PHILOSOPHUS. — Festino ad eorum discussionem quæ me fortius movent : ideoque de hujus puncti solutione contentor, et ad secundum te aggredi precor. Fateor nempe rationabiles esse rationes allatas.

ARTICULUS VI.

Cur potius Filium quam Patrem vel Spiritum Sanctum fateamur hominem factum.

THEOLOGUS. — Ad hoc Deus venit in mundum, ut sua incarnatio, nostra esset deificatio. Itaque constat ideo Deum nobis similem factum, ut nos quoque ei assimilaremur. Quoniam ergo Filio appropri- C atur imago seu similitudo, decuit Filium potius incarnari quam Patrem vel Spiritum Sanctum : quoniam etiam homo dicitur Dei imago. Is enim aptissime unum assimilat alteri, qui primo et singulariter similis est ei cui alium assimilare intendit. Denique, ad hoc Deus homo factus est, ut mundum docendo illuminaret. Quoniam igitur Filio appropriatur veritas et sapientia, recte ipse caro, id est homo, factus est, quia docere et illuminare sapientiæ actus consistit. Unde scriptum est : Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum. I *Joann.* V, 20.

Præterea, tam angelus apostata, quam homo transgressor, specialiter contra Filium peccaverunt. Angelus namque Dei æqualitatem expetiit : quod Filio proprium est. Homo autem scientiam deiformem optavit : quod item Filio proprie competit, cum sint in eo omnes sapientiæ scientiæque thesauri. *Coloss.* II, 3. Propter quod Deus Pater quasi zelatus pro Filio, utrumque

damnavit. Cernens hoc Filius, figmento A suo compatiens, Patrisque honorem minui atque ordinationem frustrari in homine pereunte conspiciens, et ipse pro Patre
Ps. XVIII, 6. zelans, exsultavit ut gigas ad currendam viam, ad liberandum salvandumque hominem.

Insuper, quum inter Filium Dei atque naturam humanam singularis quædam convenientia sit (quippe quum Filius sit Verbum paternæ mentis, et processio intellectus, homo vero ab intellectuali seu rationali perfectione speciem sortiatur), B magis decebat Filium humanitatem assumere.

Adhuc autem in aliis multis insinuatur specialis quædam affinitas inter Dei Unigenitum et hominem. Nam et beatitudo hominis in cognitione veritatis consistit. Cognitio autem veritatis operatio est intellectus; et Filius Dei diffusio est intellectus paterni : unde et veritas Patris vocatur. Rursus, rationalis anima Dei appellatur imago; et Filius utique imago est Patris, atque secundum rationem similitudinis C emanat a Patre. At vero omnia in Filio Dei tanquam in æterno exemplari resplendent : imo ipse est universorum exemplar. In homine quoque cuncta quasi in quodam exemplo relucent; propter quod minor mundus omnisque creatura est dictus. Itaque, propter has inter Verbum et hominem convenientias, amplius decuit Verbum hominem fieri, quam aliam personam; et etiam ideo ne induceretur confusio nominum divinarum personarum : nam si vel Pater vel Spiritus Sanctus D homo fieret, non solum Filius nominari Filius posset. Adhuc autem, per eumdem decuit omnia refici, per quem facta ex-
Joann. I, 3. stiterant. Omnia autem per ipsum Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Congruebat ergo per Verbum reparari perempta.

Sufficiunt tibi ista, Philosophe? an plures causas requiris?

Philosophus. — Vere, mi domine Theologe, omnino sufficiunt. Ex præhabitis enim recordor, quod licet tam Pater quam Spiritus Sanctus sit sapientia et veritas, et omnes tres personæ sibi coæquales exsistant, soli tamen Filio ista rationabiliter approprientur. Sed antequam cor meum effundam ad argumentandum, primo mihi edissere qualis sit unio ista Dei et hominis, seu Verbi et carnis.

ARTICULUS VII.

De unione Verbi et humanitatis.

Theologus. — Omnem naturalem unionem unio ista, o Philosophe, inæstimabiliter transcendit, omnemque intellectum prorsus excedit. Nihilo minus, quantum fide instruimur ac ratione juvamur, respondendum est tibi. Agnosce ergo, quod unio ista personalis atque hypostatica nominatur, quoniam in Christo sic Verbo est conjuncta humanitas, ut sint in ipso duæ perfectæ naturæ, et una dumtaxat persona. Ipsa quippe natura Christi humana, quæ ex anima rationali humanaque carne veraciter constat, ad subsistentiam Verbi assumpta est : ita ut in eodem esse personali in quo Verbum æternaliter subsistit, natura quoque humana subsistit. Ideoque non est in Christo nisi unum esse suppositale actualis exsistentiæ. Utraque autem natura, integra et in suis naturalibus proprietatibus inconfusa permansit. Ipsa nempe Verbi divinitas, in nullo penitus est variata aut perturbata; et humana Christi natura, ea habet quæ ad humanæ speciei perfectionem respiciunt.

Philosophus. — O admirabilis unio, incomprehensibilisque conjunctio, dum ea quæ in infinitum distant, in unam personam conveniunt! Sed antequam objectiones meas adducam, in primis diligentius veritatem inquiram. Igitur, si utraque natura in proprietate sua permansit, tunc erunt in Christo duo intellectus, duæ etiam voluntates.

Theologus. — Utique : est enim in Christo intellectus divinus increatus, qui etiam

in tribus personis unus atque idem exsistit, intellectus quoque creatus humanus. A Conformiter de voluntate censendum est.

Philosophus. — Intellectus et voluntas humana in Christo a naturalibus suis habitibus operationibusque non vacant?

Theologus. — Breviter dico. Sicut in Christo sunt duo intellectus, voluntatesque duæ : sic in ipso sunt duæ sapientiæ et scientiæ, duæ quoque dilectiones, ac duæ justitiæ ; et sic de perfectionibus ceterarum virtutum.

Philosophus. — Erant ergo in ipso duæ B actiones?

Theologus. — Ita est, divina videlicet et humana.

Philosophus. — Ergo in ipso sunt duæ personæ : nam operari et agere non est nisi suppositorum.

Theologus. — Nonne in uno homine sunt plures actiones? in quo tamen nec persona nec natura multiplicatur. Sunt nempe in singulis nobis operationes sensitivæ, intellectivæ, et appetitivæ : et tamen non est in nobis nisi una natura C specifica. Quid ergo miraris si in Christo sint duæ operationes, imo et plures? in quo sunt duæ perfectæ naturæ. Licet autem agere sit suppositi, non tamen consequitur ut si plures sint actiones, sint etiam plura supposita. Diversitas enim operationum non est immediate ex parte suppositi, licet suppositum sit id quod agit; sed contingit ex diversitate potentiarum, quæ sunt principium *quo* agendi. Sicut ergo in Christo sunt plures potentiæ, sic et in eo variæ operationes censendæ D sunt.

Philosophus. — Non tam faciliter dimittam te. Bene quidem respondes, sufficienterque ostendis quod ab uno supposito progredi possint variæ actiones propter diversitatem potentiarum ex una natura manantium. Si autem potentiæ, quæ sunt proxima agendi principia, ex diversis naturis procedant, non possunt esse diversarum operationum principia, si non fuerint plura supposita.

Theologus. — Unde hoc probas?

Philosophus. — Quia agere præsupponit esse. Itaque natura quæ non habet propriam actualem seu personalem exsistentiam, habere non valet propriæ speciei operationem perfectam. Si igitur in Christo natura humana non subsistit propria subsistentia, nec propriæ speciei exsistentiam personalitatemque habet, habere non poterit actionem vere et perfecte humanam.

Theologus. — Hæc est alia ratio, et magis difficilis, sed non insolubilis. Concedo itaque quod agere præsupponit esse, et quod natura habere nequit perfectam operationem, nisi sortita fuerit veram personalitatem. Non tamen admitto quod necesse sit eam propriæ speciei personalitatem habere, quamvis hoc naturaliter verum sit. Per divinam vero omnipotentiam fieri potest, ut superioris alteriusque naturæ personalitas inferiori naturæ communicata sufficiat. Et sic est in Christo. Verbi namque hypostasis naturam humanam ad se assumit. Et quoniam per hoc essentialia naturæ assumptæ non variantur, ideo habere potest proprias actiones : quia ut Aristoteles ait, natura est principium operandi ejus in quo est. Verumtamen operationes passionesque humanæ, licet Christo ratione naturæ assumptæ adscribantur, quoniam tamen suppositorum est pati et agere, propterea actiones passionesque illæ Christo tanquam perfecto supposito proprie attribuuntur. Nam et divina adscribuntur homini, humanaque Deo, in Christo, propter identitatem personæ. Nihilo minus intuendum est, quid propter quid dicatur, propter distinctionem naturæ.

Philosophus. — Secundum Aristotelem, vivere viventibus est esse. Si ergo Christus non habuit propriæ personalitatis exsistentiam, igitur nec habuisset propriæ speciei vitam, videlicet humanam.

Theologus. — Non ignoras quod vivere interdum dicit actum primum : et tunc aliud non est vivere, nisi vitale esse. Et sic eo modo Christus non habuit propriæ

subsistentiæ vivere, quomodo non habebat propriæ speciei suppositale exsistere. Vicissim vero, vivere dicit actum secundum seu operationem vitalem, ut sunt sentire, cognoscere, velle. Et hoc modo habuit Christus ut homo proprium vivere.

ARTICULUS VIII.

Disputatio Philosophi contra incarnationem Verbi.

Philosophus. — Si præinducta rite concipio, o Theologe, tunc sic Deum asseris incarnatum, ut sit una persona in vera deitate ac perfecta humanitate consistens: sic quod in Christo seu in Verbo incarnato sunt caro, et anima, atque divina natura : ac per hoc, æternum Dei Verbum ex homine genitum est, et ex tempore homo esse incepit, quod utique ex Patre æternaliter profluit, et in divina personalitate ante omnia tempora subsistebat.

Theologus. — Optime concipis, et dispendiose tractata compendiose artificialiterque resumis.

Philosophus. — Nunc ergo tibi objiciam quæ me vehementissime angunt.

Theologus. — Compendiosius quo vales, propone ; nihilo minus cor tuum audacter effunde.

Philosophus. — (1) Quandocumque ex duobus fit vere unum, unum se habet per modum potentiæ, aliud per modum actus, quemadmodum Aristoteles probat. Si ergo natura Dei et hominis in Christo ad unam constituendam personam conveniunt, una se habebit per modum potentiæ, alia vero per modum actus. Inter potentiam autem et actum oportet esse proportionem, non qualemcumque, sed veram ac propriam. Talis autem inter naturam divinam et humanam, quum infinite seu improportionabiliter distent, esse non valet : non ergo in unitate personæ concurrunt.

(2) Præterea in immensum plus excedit divinæ naturæ dignitas atque simplicitas qualitatem naturæ humanæ, quam angeli

A etiam summi essentia naturam cujuscumque creati. Sed ex natura angelica et sensitiva nullatenus effici potest una persona : ergo multo minus, ex natura divina et hominis.

(3) Denique vera generatio, est substantialis esse adeptio. Nil enim gigni asseritur, nisi esse a generante sortiatur. Si ergo Deus ex Virgine Matre est genitus, ex ea substantiale esse accepit : quod æterno Verbo non convenit, nisi duo esse suppositalia in ipso dicamus.

B (4) Amplius, ex duobus entibus in actu atque perfectis non fit vere unum : et sicut Aristoteles probat, quod advenit enti in actu, est accidens. Sed divina natura est purus actus ; natura quoque humana est quid completum in specie : nullatenus ergo resultat ex earum copula quid unum seu una persona. Imo, quum natura humana adveniat Filio Dei post suum esse completum, accidentaliter se habebit ad ipsum. Ex his autem quæ accidentaliter uniuntur, non provenit aliquid vere unum.
C Non ergo potest in Christo ex natura humana atque divina una constare persona.

(5) At vero nullum invariabile veraciter de novo generatur. Quod enim vere de novo generatur, novum esse novamque naturam sortitur. Deus autem prorsus invariabilis est : non ergo ex tempore genitus esse potest.

(6) Adhuc, si Christus est verus homo, ergo in ipso est animæ rationalis et corporis intrinseca formalisque unio. Quum igitur anima sit substantialis endelechia
D seu forma corporis, dat corpori esse substantiale, et individuatur per ipsum. In humanitate ergo Christi rationalis anima per materiam individuata est. Sed sicut forma dat esse specificum, sic forma singularizata seu individuata dat esse personale ac hypostaticum. Natura ergo humana in Christo ex individua singularique anima necessario habet esse propriæ speciei suppositale et ratum, seu propriam subsistentiam. Et igitur, sicut in Christo sunt duæ naturæ, sic erunt et duæ personæ.

(7) Præterea, sicut ex anima rationali et A corpore constituitur homo, sic ex hac anima et hoc corpore constituitur hic homo : quod aliud non est nisi personam constitui. Quoniam ergo in Christo est particularis anima et hoc corpus, videtur quod ex horum conjunctione necessario fiat hic homo et humana persona, et non sit in ipso dumtaxat hypostasis Verbi.

(8) Insuper, persona non excedit naturam nec reperitur extra eam : natura enim communior est indeterminatiorque persona. Si ergo persona Verbi est hypostasis B naturæ humanæ in Christo, extra eum non esset, et sic non esset incircumscripta atque ubique.

(9) Amplius, si Christus est Deus ex Deo per generationem paternam, verusque homo per nativitatem maternam, tunc sunt in eo duæ generationes, duæ quoque sunt filiationes. Si namque in eo non sunt duæ filiationes, esse non potest filius Virginis. Nam ratione filiationis divinæ non est Virginis filius : alioqui ab æterno filius ejus fuisset. Si autem sunt in Christo duæ fi- C liationes, quum non sit in eo nisi una persona, sequitur quod æterno Dei Verbo veroque Deo realis relatio de novo advenerit : quo dato, realiter dependeret ad creaturam Creator. Et quum filiatio personam respiciat, si sunt in Christo duæ filiationes, erunt etiam in ipso duæ personæ.

(10) Præterea, idem sunt esse quidditativum et natura. Si ergo habet Christus duas naturas, habebit duo esse quidditativa. Quumque definitio sit ratio et termi- D nus, esse quidditativum definiti notificans, si habet Christus duo esse quidditativa, erunt unius rei plures definitiones : quod Aristoteles improbat.

(11) At vero secundum omnem Peripateticorum doctrinam, hæc est inter alterationem et generationem distinctio, quod per generationem acquirit res esse simpliciter, per alterationem vero non suscipit esse simpliciter, sed esse tale aut tale, utpote sine quo rem esse nil prohibet. Si igitur hoc verum est, æternum suppositum temporaliter gigni nullatenus potest, quoniam per esse temporaliter acquisitum non habet esse simpliciter, et sine ipso esse potest.

(12) Adhuc, motis nobis, localiter moventur omnia quæ in nobis sunt, vel per se, aut certe per accidens. Si ergo ex divina itemque humana natura Christus subsistit, sequeretur naturam divinam seu Verbum, saltem per accidens, moveri hominis motu.

(13) Amplius, diversas naturas in unam personam concurrere, est ordinem rerum confundere : quod Deo non convenit ; imo in hoc erravit Empedocles. Non ergo ex natura divina et humana summe distantibus, una constat persona.

Possem præterea alia multa adducere, o Theologe ; sed si ista dissolvere poteris, illa etiam te posse solvere arbitror. Ideoque ad ista te dispone solvenda.

ARTICULUS IX.

Solutio Theologi ad allatas instantias.

Theologus. — Quemadmodum tibi, o Philosophe, ab hujus disputationis origine tetigi, in hoc potissimum naturales sunt decepti, quod divinam potentiam atque divinæ naturæ proprietatem, ex naturali entium cursu naturalique ordine ac lege mensurare itemque determinare præsumpserunt : quasi Deus aliter agere non queat, quam rerum naturalis dispositio exigit ; velut etiam proprietates atque conditio rerum creatarum, divinam naturam perfecte ac plene ostenderent : opinantes ea dumtaxat Deo deberi attribui, quæ ex naturis rerum elucescunt, eique competere constat. Unde et superius vehementer miratus es, audita resurrectione mortuorum, immediata quoque cum divina essentia unione intellectuum Beatorum. Sic et modo ingens te obstupefactio tabescit, veri Dei incarnatione audita temporali. Restat præterea ut adhuc vehementius ad-

mireris, quum tibi de transsubstantiatione quæ in hostia sacra contingit eloqui cœpero, fassusque fuero etiam ea quæ penitus corrupta sunt, eadem numero per divinam virtutem refici revertique posse.

Porro ista philosophantium existimatio, valde utique vacua et debilis est. Effectus enim finitus, infinitam causæ suæ virtutem repræsentare non valet : imo a plena ejus repræsentatione infinite occumbit et deficit. Virtus autem divina, ut optime nosti, omnino immensa est. Ideoque velle eam metiri, divinæ quoque conditionem naturæ velle ex his quæ in ordine rerum naturaliter fiunt aut sunt, scrutari, omnino temerarium exstat. Sic ergo in præsenti, ex naturalibus visionibus rerum unionem Verbi cum homine velle impossibilem comprobare, inane est.

Ideoque, Philosophe, ad hanc unionem credendam, naturalem rationem non consulas, sed ea consideres per quæ tibi in primo libro ostendi fidem catholicam esse a Deo donatam. Denique rationes quæ tibi paulo ante induxi, sufficienter ostendunt Dei Verbo veroque Deo incarnationem nec incongruentem nec derogantem exsistere. Nunc autem manifestandum opinor, quod possibilis exsistit.

Ad primam ergo objectionem respondeo, quod ipsa multipliciter solvi possit. Primo nempe dicere possem, quod tunc necesse est inter ea quæ uniuntur talem fore proportionem, ut habeat se unum per modum actus aliudque per modum potentiæ, dum unum alteri formaliter atque intrinsece conjungitur. Sic autem non unitur homini Verbum. Non enim est forma aut intrinseca humanæ naturæ endelechia aut inhærens perfectio. Secundo respondeo, quod inter actum et potentiam, quæ per naturale efficiens copulantur, oportet naturalem proportionem exsistere. Sed divinæ atque humanæ naturæ in Christo unio non est per naturale efficiens, sed per supernaturale superessentialeque agens. Tertio dico, quod etiam utique in Christo divina natura seu Verbum A habet se per modum actus, non informantis, sed perficientis, et ad se assumentis; humanitas autem per modum potentiæ. Et est inter ea proportio, non naturalis, seu ejusdem ordinis, sed tamen sufficiens : quoniam in natura humana, quemadmodum etiam in omni creata essentia, est quædam obedientialis potentia, ad obediendum divinæ virtuti in cunctis quæ contradictionem non implicant.

Ad secundam respondeo, quod naturaliter loquendo, verum concludit. Quod autem B per divinam potentiam ex natura angelica ac sensitiva unum fieri nequeat, non concedo. Nam et Ariani superbissimi, licet falsissime dixerunt, asserebant tamen ex Filio Dei (quem puram esse creaturam mentiti sunt) humanoque corpore sic factam esse unam naturam, sicut et unam personam. Dicebant namque Verbum humano corpori loco animæ formaliter esse unitum.

Ad tertiam breviter dico, quod ad veram generationem sufficiat quod genitum a C generante veram naturam, uniusque speciei cum natura gignentis, suscipiat. Sic autem Filius Dei ex Virgine benedicta veram naturam accepit. Et sicut Athanasius ait, Homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Ad quartam respondeo, quod ex duobus in actu esse essentiæ non fit una natura, sed una persona. Et si vis quod nullo modo fieri possit ex eis vere unum, dico hoc verum esse per formalem atque intrinsecam unionem, non autem per su- D pernaturalem assumptionem seu divinam potentiam. Item in Christo natura humana non est actu ens, id est actualem exsistentiam proprii ordinis habens. Denique, si inde miraris, ad philosophiam Averrois te remitto. Non enim ignoras quemadmodum in libro de Substantia orbis dicat cœlum veraciter animatum : nihilo minus ponens, tam orbem, quem etiam immaterialem testatur, prout materia est subjectum formæ ac pura potentia, quam animam illius esse per se actu

ens : licet non arbitrer te sibi in hoc omnimode consentire, sicut nec ego. Denique in Summa contra gentiles ait S. Thomas, quod secundum Aristotelem cœlum est vere animatum : et tamen anima ejus solum intellectualis sit, et per consequens non potest esse actus informans seu forma corpori inhærens. Licet præterea humanitas æterno Verbo adveniat, non tamen est accidens, sed vera substantia. Sed verum est quod non est necessaria ad subsistentiam Verbi : ideoque, secundum doctores, modum accidentis sortitur.

Ad quintam aio, quod ex temporali generatione Verbi æterni nulla sit mutatio facta in Verbo, sed in natura assumpta. Non enim Verbum commiscetur, nec ut pars humanitati conjungitur, sed propter exuberantissimam proprii sui esse plenitudinem, eam assumit, suamque ei personalitatem per ineffabilem modum communicat : sicut superius quoque asserui, divinam essentiam intellectibus Beatorum sine sua mutatione uniri in patria.

Ad sextam dicendum, quod in Christo est formalis unio carnis et animæ. Et ex hac unione resultat una perfecta natura specifica, non tamen personalis subsistentia : quoniam natura humana sibi ipsi non relinquitur, sed in eodem momento quo anima carni unitur, utrumque a Verbo assumitur. Verumtamen anima Christi dat corpori esse specificum : et hoc ad unionem immediate consequitur. — Et per idem sequens objectio solvitur. Est namque in Christo hæc anima et hoc corpus, non tamen persona alia a Verbi persona : quia hæc anima Christi non relinquitur agere quod utique ageret, nisi ad altius esse eam Verbum assumeret. Unde in Christo ex hac anima istoque corpore resultat particularis natura, non autem separata a Verbi persona.

Ad octavam respondeo, quod persona quæ est unius ordinis cum natura et substantialiter idem cum ea, non excedit eam. Sic autem hypostasis Verbi non est humanæ naturæ persona, nec idem cum ea.

A Ad nonam dico, quod in Christo sunt duæ generationes seu nativitates, non tamen duæ filiationes. Generatio enim respicit naturam, filiatio autem personam. Et quum in Christo non sit nisi divina hypostasis, cui realis relatio accidere nequit ; ideo filiatio qua refertur Christus ad Matrem, non est nisi rationis. Nihilo minus est realiter filius ejus, quoniam ex ejus substantia veraciter natus est : quemadmodum etiam Deus dicitur rerum Creator et Dominus, non per relationem
B realem, quum tamen realiter sit earum Creator ac Dominus.

Ad decimam dico, quod unius est verbum* dumtaxat esse quidditativum, proprium, inseparabile ac naturale : et sic in Christo divina natura est quidditas ejus. Natura vero humana, licet in Christo sit vera atque perfecta natura, quoniam tamen sine ea esse potest Verbi persona, ideo per medium habitus se habet ad Verbum, et non sicut naturaliter ad ejus consistentiam pertinens.

* verum *vel* unum

C Ad undecimam aio, quod secundum philosophos, ad veram generationem sufficiat, ut unum ex substantia alterius secundum similitudinem naturalem nascatur. Sed quoniam naturaliter ex natura profluit esse substantiale ac actuale, propterea asserunt generationem ad esse simpliciter terminari. Possum quoque, secundum eos, per esse simpliciter, esse substantiale atque specificum, et non esse actualis existentiæ, accipere, nisi quando natura rei sibi ipsi relinquitur.

D Ad duodecimam quoque respondeo, quod ratio illa procederet, si unita esset homini Verbi persona per divinitatis circumscriptionem vel formalem inhærentiam. Sic autem non est, uti jam patuit.

Ad ultimam autem dicendum, quod incarnatio Verbi non solum non est ordinis rerum confusio, sed summus ornatus, decoraque consummatio. Et id superius sufficienter deduxi. Dicere autem, sicut dixit Empedocles, per litem et amicitiam rerum naturas nunc quidem misceri, nunc

denuo segregari, sine videlicet divina ordinatione ac omni utilitate : hoc utique esset ordinem universi confundere, divinæque sapientiæ derogare.

Philosophus. — Ut cerno, incarnationem Unigeniti Dei contemplari desiderans, naturalis philosophiæ principia supergredi indiget, nec in lege naturæ fundare se potest, sed ad omnipotentiam Dei recurrere debet.

Theologus. — Ita est. Nam in his quæ sunt super naturam, tota ratio operis est potentia facientis.

Philosophus. — Cupio ut de sapientia et gratia humanæ naturæ in Christo diffusius tractes, et quæ mihi expedire agnoscis aperias.

ARTICULUS X.

De perfectione sapientiæ et plenitudine gratiæ humanæ naturæ in Christo.

Theologus. — Dudum, dum de remuneratione Sanctorum disputaremus, asserui omnes Beatos in patria divinam essentiam clare atque per speciem cernere. Quum ergo anima Christi intimius atque vicinius incomparabiliter unita sit Verbo quam Beatorum aliquis, utpote ad divinam personalitatem assumpta, restat ut sicut a primo creationis suæ momento perfecte erat Verbo unita hypostatica unione, sic multo limpidius viderit clariusque cognoverit divinam essentiam a creationis suæ primordio, quam aliquis Sanctorum, sive angelorum sive hominum, in patria. Ideo tibi constet, Philosophe, quod Christus, etiam secundum naturam assumptam, nunquam erat viator purus, sed a primo conceptionis suæ maternæ instanti excellentissimus exstitit comprehensor. Denique, quum sit Christus, etiam ut homo, humanæ salutis actor instrumentaliter (salus autem humana, secundum præhabita, est visio atque fruitio Dei), necesse est Christum semper in perfectissima

A Dei fruitione fuisse. Nam in omni ordine primum est maximum et per se, ac regula atque mensura sequentium.

Philosophus. — Admisso quod anima Christi divinitati in unitate personæ erat conjuncta, non ambigo quin semper Deum perfectissime viderit. Quo enim (ut Peripatetici, itemque Platonici adstruunt) fuerit aliquid primo enti propinquius, eo est ei in universis perfectionibus similius. Unde, dato quod ad subsistentiam Verbi sit assumpta humanitas, palam est quod in
B omni divinarum perfectionum participatione sit ipsi Verbo similior.

Theologus. — Subtiliter infers. Et quoniam sic est, hoc quoque adjicio, quod solam humanitatem Christi plus diligit Deus quam totum universum, et ipsa sola clarius Deum videt, plenius fruitur eo, atque perfectius possidet ipsum, quam omnes simul Beati.

Philosophus. — Hoc utique consequens est : nam unio in persona incomparabiliter excedit omnem unionem in gratia
C sola. Sed sciscitor unum : Anne perfecte comprehendit anima Christi Deitatem immensam ?

Theologus. — Non utique. Non enim nisi intellectus immensus, immensam Divinitatem perfecte comprehendere valet : cujus causam superius, si retines, assignavi. Nam sicut divina natura est immensæ actualitatis, sic etiam est immensæ comprehensibilitatis. Immensæ autem comprehensibilitati non correspondet nisi intellectus immensæ virtutis, qualis non
D est intellectus Christi humanus. Denique implicat, infinitum intelligibile ab intellectu finito perfecte comprehendi, quum sit inter ea infinita distantia : et id quod perfecte comprehenditur, comprehendenti quodammodo exstat finitum.

Philosophus. — Sic esse ut dicis, naturalis probat ratio. Sed unum tibi objicio. Unio enim personalis majus esse donum videtur, quam qualiscumque Divinitatis cognitio. Si igitur Christo homini, Dei personalis communicata est unio, potuit [ei

dari], et ut videtur, est ei data perfecta Dei comprehensio.

Theologus. — Licet in eadem subsistentia subsistat gemina in Christo natura, non tamen secundum æqualem plenitudinem communicatur humanitati subsistentia Verbi, qua inest et convenit Verbo. Ideoque quod arguis non procedit.

Philosophus. — Videtne anima Christi cuncta in Verbo quæ in ipso relucent?

Theologus. — Prædixi quod Deus infinita actualiter in se ipso cognoscit, quæ facere potest, nec tamen unquam facturus est. Virtus autem intellectus creati non valet simul infinita in actu cognoscere. Ideo anima Christi nequaquam universa intelligit quæ in luce Divinitatis atque in Verbo resplendent. Insuper, tunc omnes effectus alicujus causæ cognosci possunt, quum virtus causæ perfecte cognoscitur. Sicut ergo anima Christi divinæ virtutis immensam potentiam non plene comprehendit, sic nec omnia quæ Deus facere potest. Verumtamen quæcumque sunt, fuerunt, vel erunt, plenissime noscit, propter unionem cum Verbo.

Philosophus. — Convenitne Christo homini cognitio alia, quam ista qua omnia videt in Verbo?

Theologus. — Triplex adhuc ei cognitio competit. Unam enim habuit experimentalem, sicut et ceteri homines, per ministerium sensuum : et in hac profecisse describitur. *Luc.* II, 52. Secundam habuit per divinam illuminationem, qua omnia novit ad quæ se naturalis rationalis animæ virtus extendit : nulla enim naturalis perfectio ei defuerat. Porro, quum sit caput Ecclesiæ propagatorque gratiæ, habuit quoque tertiam cognitionem, qua lucidissime cernit quidquid ad mysterium salutis humanæ et gratiæ pertinet. Et hæc cognitio naturalem facultatem transcendit. Per spiritum autem prophetiæ ac donum sapientiæ revelatur hominibus.

Philosophus. — Nunc de gratia Christi profemur.

Theologus. — Quoniam natura humana A in Christo divinæ naturæ suppositali est conjunctione unita, non potuit unio hæc esse per aliquod intermedium. Quæ enim unam personam constituunt, immediate junguntur. Ideoque, licet unio qua ceteri Sancti Deo vel in via, vel certe in patria, copulantur, per habitum intermedium, qui est gratia et caritas lumenque gloriæ, fiat; unio tamen humanitatis Christi cum Verbo, immediata erat, sine omni gratia media. Verumtamen excellentissime gratiam habuit, non quidem hypostaticam unionem B præeuntem, sed concomitantem. Et quoniam est caput Ecclesiæ, de exuberantia sua omnia membra, id est de plenitudine ejus omnes electi, suscipiunt. *Joann.* I, 16.

Philosophus. — Finita est gratia Christi, an infinita?

Theologus. — Si de gratia habituali unionem sequente loquamur, palam est quod illa infinita non sit simpliciter, quum sit quid pure creatum. Nulla autem essentia creata, simpliciter infinita esse valet, nec dignitate, nec mole. Nihilo minus gratia C ista quodammodo infinita vocatur. Primo, quia totam capacitatem recipientis implevit, nec potest creatura plus recipere quam anima Christi recepit. Secundo ex parte doni : nam quidquid ad gratiæ eminentiam plenitudinemque pertinere potest, Christo donatum est. Tertio, ex parte Verbi naturæ assumptæ gratiam influentis : quod utique sine mensura plus gratiæ daret, si natura capax exsisteret.

Porro, si de gratia unionis interroges, illa omnino infinita est. Per hanc enim D Christus accepit ut sit Filius Dei, etiam secundum naturam humanam, non per adoptionem, sed naturam, id est naturalis, secundum Thomam in tertia parte. Aliquando tamen a Sanctis dictum invenimus, quod ille homo sola gratia a Verbo assumptus sit ; sed tunc gratia pro dignatione atque benevolentia Creatoris accipi potest.

Philosophus. — De incarnatione Verbi nunc laboriose disputavimus. Jam ergo, si jubes, proficiscamur ad alia.

Theologus. — Sic libet. Nam si quæ omissa sunt, in sequentibus plenius elucescent, eo quod sequentes articuli de Christi humanitate determinent.

ARTICULUS XI.

Quod Christus de Virgine natus exsistat.

Theologus. — Octavus fidei christianæ articulus Christum fatetur de Virgine natum.

Philosophus. — Quum in generatione mater se habeat per modum passivæ, utpote materiam dumtaxat ministrans, pater vero per modum activi, videlicet virtutem formativam inducens, non sufficit ad generationem humanam genitrix sola.

Theologus. — Bene et philosophice arguis, verumque concludis. Nam ad generationem Christi humanam, non solum mater concurrit, sed etiam quoddam activum principium, Virgini fecunditatem præstans, atque ex ejus mundissimis sanctissimisque sanguinibus Christo corpus humanum formans et aptans.

Philosophus. — Quod erat agens illud?

Theologus. — Non homo masculus, sed Spiritus Sanctus, qui ut tibi contestatus sum, est tertia persona in Trinitate, verusque Deus.

Philosophus. — Ergo Spiritus Sanctus pater est Christi?

Theologus. — De ratione, ut nosti, Patris est, ut ex sua substantia similem sibi in specie generet. Christi autem natura nec divina neque humana, ex substantia Spiritus Sancti procedit. Divina enim nullo modo ab eo est. Humana vero ab eo est per creationem, sicut et cetera; nec ipsa est ejusdem speciei cum Spiritu Sancto. Non est itaque Spiritus Sanctus genitor Christi nisi improprie, prout Deus creator creaturarum pater vocatur.

Philosophus. — Cur potius Spiritui Sancto quam Patri adscribitur corporis Christi formatio?

A Theologus. — Incarnatio seu conceptio Christi activa toti Trinitati communis est, quoniam opera Trinitatis ad extra indivisa sunt, eo quod trium personarum sit una essentia : propter quod tres personæ unus verus Deus sunt, unus omnium Creator ac Dominus, principium, rector et finis. Verumtamen per appropriationem dicitur Christus de Spiritu Sancto conceptus. Incarnatio namque Christi, opus est maximæ caritatis, summæ benignitatis ac munificentissimæ largitatis et muneris.
B Quoniam igitur, juxta præinducta, Spiritus Sanctus est amor quo Pater et Filius se invicem atque creata omnia diligunt, ideo opus tantæ caritatis ei rite attribuitur. Denique Spiritus Sanctus primum donum est, et in ipso ratio doni primo relucet, atque in ipso universa donantur. Ob hoc, tantæ munificentiæ largitatisque donum ipsi optime appropriatur. Insuper, quum Spiritui Sancto approprietur benignitas, ideo Incarnatio, in qua divina clementia inæstimabiliter splendet, ei
C efficienter juste attribuitur.

Philosophus. — Sufficienter, fateor, respondisti. Sed quomodo Genitrix Christi in partu virgo permanserit, nullatenus capere queo. Hoc enim esse non valuit, nisi egressus dicatur de integro incorruptoque utero.

Theologus. — Ita est.

Philosophus. — Ergo in progressu Christi ex matre, dimensionum penetratio fuit.

Theologus. — Hoc consequens est.

Philosophus. — Penetrationem dimen-
D sionum impossibilem ipse Aristoteles et commentator ejus Averroes fortissime arguunt. Quum enim dimensio ex propria natura habeat quod alteri dimensioni resistat, non possunt se mutuo sine corruptione alterius penetrare. At vero, si dimensionum penetratio exstat possibilis, sequitur quod possint duo corpora in eodem determinato loco consistere, et qua ratione duo, etiam tria et quatuor, imo et infinita; sequeretur tandem totum mundum in angustissimo spatio posse locari.

Theologus. — Sicut calor primo et immediate facit esse calidum subjectum cui inhæret, secunda ratione autem calefacit quod sibi applicatur : sic dimensionis primus immediatusque actus est extensionem facere, et ordinem partium sui subjecti ; resistere vero alteri dimensioni, secundarius ejus actus censetur. Quemadmodum ergo per divinam virtutem subtrahitur igni ne corpus sibi applicatum calefaciat, urat aut lædat, sicut ubertim factum agnoscimus; sic incomprehensibili Deitatis miraculo, dimensioni aufertur resistendi potestas, ac per hoc sine divisione et læsione una secum compatitur alteram. — Per hoc quoque secunda instantia solvitur. Non enim possunt plura corpora in uno loco consistere, per commensurationem ad locum extrinsecum potentiamque naturalem, sed per Deitatis infinitam virtutem, quæ in infinitum plura potest producere quam ratio queat concipere.

Philosophus. — Istud valde mirabile est, et intellectum meum vehementer retundens.

Theologus. — Non mirum. Verumtamen, si hujus effectus causam consideres, mirari cessabis. Immensæ namque virtuti nil prorsus impossibile est neque difficile. Enimvero, ut nihil christianæ veritatis te lateat, scire te volo, quod non solum de clauso Virginis ventre Christus exivit, sed etiam de clauso monumento surrexit, clausisque januis ad discipulos introivit.

Philosophus. — Audire desidero causas virginei partus.

ARTICULUS XII.

Cur Christus de Virgine nasci voluerit.

Theologus. — Non decuit Christum duos habere patres ; magis autem decebat, ut quemadmodum patrem sine matre habebat in cœlis, sic matrem sine patre haberet in terris. Præterea, sicut in Christo humana natura ad divinam subsistentiam A est assumpta, sic generationem humanam divinæ generationi, prout possibile erat, conformari congruum fuit. Propterea, sicut Filius Dei est a Patre sine sui contaminatione, læsione atque corruptione gignente productus ; sic quoque condecuit eum ab incontaminata, illæsa incorruptaque Matre gigni.

Insuper, indecentissimum esset Deum aliquam ignobilitatem propriæ Genitrici afferre, aut eam ex Dei conceptione aliquam indignitatem incurrere. Imo omnino B congruebat ineffabilem sibi dignitatem ex Dei incarnatione sortiri. Ideoque oportuit eam sine pudoris injuria, sine maritali subjectione, sine omni corruptione concipere, gignere, ac postmodum intactam manere. Quidquid enim perfectionis inest ceteris feminis per modum divisum, totum præstandum erat beatissimæ illi Puellæ, quæ a superbenedicta Trinitate ad Verbum Dei concipiendum, itemque gignendum, ab æterno fuit electa. Ideo tam virginalis integritas quam materna fecunditas C eam summe decebant.

Amplius, quum Christus venerit solvere mundi peccata, oportuit eum concipi et generari sine omni peccato originali : et ob id sine mixtione virili est editus. Adhuc, quum venerit ipse naturam corruptam reintegrare, primum debebat in propria Matre integritatem salvare. Amplius, corpus disponendum est secundum exigentiam formæ seu animæ. Quoniam ergo, secundum ostensa, fuerat anima Christi a primordio sui in perfecta fruitione, D uniri non debuit nisi corpori perfecte organizato. Sed virtus naturalis hoc non valebat : et ob hoc a Spiritu Sancto Virgo est imprægnata, materiaque materna formata.

Philosophus. — Quando anima Christi est carni unita atque a Verbo assumpta ?

Theologus. — In eodem instanti quo Virgo gloriosa Archangelo credidit, scilicet divinum ministerium obtulit, Unigenitum Dei concepit. Quum enim dixisset paranympho cœlesti, Ecce ancilla Domini, Luc. I, 38.

fiat mihi secundum verbum tuum, Spiritus Sanctus, qui ante sanctificavit eam in utero, implevit in vita, copiosius supervenit in eam, et in indivisibili puncto formavit ex illibatissimis ejus sanguinibus corpus Christi, cum omni organorum atque membrorum distinctione, non secundum quantitatem, sed quoad perfectionem; et in hoc ipso instanti unita est corpori anima, simul quoque utrumque a Verbo assumptum. Nunquam enim natura Christi humana propriam subsistentiam habuit.

Philosophus. — Omnia quæ lex christiana complectitur, miranda sunt valde, et intellectum meum totaliter obruunt; estque difficile rationem fidei subdere.

Theologus. — Omnia quæ asseris fateor. Sed fides non habet meritum, si non transcendit ingenium. Denique, quo quis ingeniosior exstat, et fidei assentire sibi laboriosius fuerit, eo amplius fidei rationem subdendo meretur. Nihilo minus, si legislatoris nostri naturam virtutemque consideres, omnia credibilia sunt. Ipse enim est Deus immensus, æternus, omnipotens, cui omnia æque possibilia ac facilia sunt. Rursus, si fidei argumenta perpendas, cito contentari valebis. Virginem

Is. VII, 14; *Jer.* XXXI, 22. namque Christum parituram Deus in veteri lege per os Prophetarum prædixit, oraculis, figuris atque mysteriis præsignavit. Et revera quid miramur, si Deus per se ipsum faciat quod per subservientem naturam efficere potest?

Philosophus. — Penetrationem dimensionum magis admiror, quam quod sine viro Virgo concepit. Unde virginitatem in partu magis quam virginitatem in conceptione mirari me fateor. Minus namque mirandum opinor, quod virtus divina per se ipsam in Virgine explevit et fecit quod in aliis virtus formativa in paterno semine exsistens agit, quam de inaperto alvo corpus verum prodisse.

Theologus. — Verum dicis; et ut cerno, dimensionum penetratio te conturbat. Sed noli contra propriam tuam felicitatem

A nimis arguere. Ecce enim non solum de divinissimo corpore Christi hæc credimus, sed de propriis insuper corporibus vere speramus, quod post resurrectionem novissimam omnia penetrabunt, atque super cœlorum altitudines sine cœlestium orbium divisione conscendent.

Philosophus. — Admirationem meam non tollis, sed auges. Sed quod corpora Beatorum omnia penetrabunt, ratione glorificationis forsan continget, præsertim quum, juxta præinducta a te, subtilia

B erunt.

Theologus. — Hoc quidam existimant; sed determinationi S. Thomæ potius standum est, qui super quartum Sententiarum contrarium tenet. Glorificatio enim seu subtilitas non auferent corporibus Sanctorum veras dimensiones atque compactas: non enim erunt aeria, sed palpabilia, ossa videlicet et carnem habentia, sicut et Christus post resurrectionem se habere contestans: Videte, inquit, et palpate, quoniam spiritus carnem et ossa *Luc* XXIV, 39.

C non habet, sicut me videtis habere.

Philosophus. — Ego quoque huic sententiæ magis consentio. Sed quomodo possunt hæc fieri?

Theologus. — Quomodo fieri potest ut defuncti resurgant? ut homines super undas aquarum sine submersione deambulent? ut in medio ignium illæsi perdurent? ut unus secreta cordis alterius videat? ut sol et luna in cœlo revertantur vel quiescant? Quomodo Christus de quinque panibus tribusque piscibus quin-

D que millia hominum saturavit, remanentibus duodecim sportarum reliquiis?

Philosophus. — Purus naturalis talia fieri posse nequaquam concederet. Sed quoniam disputatio primi libri me ad concedendum facta esse hujusmodi compulit, ideo ad divinæ immensitatem potentiæ confugere cogor.

Theologus. — Sic in præsenti materia te convenit facere. Non enim est dimensionibus naturalius sibi invicem resistere, quam molli materiæ aquæ gravi hominis

corpori cedere, atque igni corpus humanum incendere. Si vero esset dimensioni tam naturale resistere, ut homini rationalem esse, nullatenus possent duo corpora simul esse. Sic autem non esse nunc explanatum est.

Philosophus. — Melius modo contentor quam ante. Unde, si tibi videtur, progrediamur ad alia.

ARTICULUS XIII.

Cur Unigenitus Dei mortem crucis subierit.

Theologus. — Quemadmodum, secundum philosophos, corpus humanum uniuscujusque individui est proprium animæ ejus instrumentum, non separatum, sed conjunctum ; sic natura humana a Verbo assumpta, proprium itemque conjunctum Verbi est instrumentum, ad opera miraculosa atque ad omnia quæ ad humanam pertinent reparationem exhibenda mysteria. Denique, quum Christus inter Deum et hominem mediator sit, cum utroque communicat : nam et Deus et homo est. Et in quantum homo, sic habet ut mereri et satisfacere possit ; propter deitatem autem unitam, efficaciam plenam, imo immensam ad promerendum reconciliandumque habet idoneitatem.

Philosophus. — Quum secundum præhabita, Christus semper comprehensor fuerit et Deo perfectissime fruens, quomodo pati valebat ?

Theologus. — Quoniam in passione Christi specialis ratio incomprehensibilitatis consistit, ideo de ea est nonus fidei christianæ articulus, de quo nunc disserendum incumbit. Agnosce itaque, quod Christus simul erat comprehensor et viator. In quantum igitur erat viator, promeruit et sibi et nobis. Sibi autem essentiale meritum non meruit, sed accidentale duntaxat. Nobis vero omni opere vitæ suæ promeruit : nam quidquid fecit, ex caritate processit, et id ipsum nobis impendit. Quoniam ergo Christus venit ut mundum
A redimeret, illos naturæ defectus assumpsit qui ad satisfaciendum pro mundo necessarii erant, vel veritatem naturæ assumptæ monstrabant. Unde passibilitatem, famem, sitim in corpore, pavorem quoque atque tristitiam in anima, sponte assumpsit : quatenus has pœnas sine culpa habendo et sustinendo, nostram naturam ab eisdem eriperet. Alios autem defectus qui ad liberationem non prosunt, imo obessent, Christus non habuit : ut sunt ignorantia, fomes, infirmitas, atque similia.
B Propter quod a Damasceno optime dictum est, quod indetrahibiles defectus Christus assumpsit, non autem detrahibiles. Itaque, licet Christus secundum supremam animæ partem comprehensor exstitit, erat nihilo minus secundum inferiores vires viator et vere passibilis.

Philosophus. — Quid de Christi passione sentire oportet ?

Theologus. — Talis erat passio ejus, ut per eam decentissimo modo liberari posset genus humanum. Erat quippe Christi
C passio generalissima, quoniam in anima et corpore atque singulis sensibus passus est, imo in omni potentia animæ. Licet enim superior portio summe delectaretur in Deo, in quantum ratio, et per respectum unionemque ad superius ; tamen ob conjunctionem ad inferius, in summa tristitia fuit.

Philosophus. — Cur tam generaliter passus est Christus ?

Theologus. — Quoniam originalis culpa hominem totum infecit, corpori mortis
D necessitatem, sensualitati fomitem, rationi ignorantiam invehens. Et ergo, ut ab omnibus istis redimeremur, Christus generalissime pati volebat. Denique acerbissime passus est, quoniam exquisitis tormentis, utpote flagellatus, spinis coronatus, clavis cruci affixus. Erat enim in ipso vivacitas sensuum maxima, et complexio æqualissima atque tenerrima. Quumque in mente caritatem summam haberet, summe iniquis omnibusque perituris condoluit.

Philosophus. — Nonne mitiori passione satisfacere potuit?

Theologus. — Utique, sicut etiam particulariori. Sed istud magis decebat, ad insinuandum peccati gravitatem, Christi intensissimam caritatem, ad ostendendum perfectam patientiam, summam obedientiam, et ad providendum nostræ insufficientiæ. Quidquid enim moriendo sustinuit, pro nobis sustinuit, et meritum suum tanto nobis copiosius impertitur, quanto pro nobis acerbius patiebatur. Erat præterea passio Christi ignominiosissima, quoniam crucis patibulo est affixus, et inter latrones suspensus : et hoc, contra irreverentiam, superbiam seu præsumptionem quæ in primo peccato exstiterunt.

Philosophus. — Quum in nobis omnes pœnæ pro originali peccato inflictæ remaneant, quomodo Christus eas sua passione abstulisse asseritur?

Theologus. — Hanc quæstionem superius solutam recordor. Nam tempore congruo corpori immortalitatem præstabit, omnemque passibilitatem et ignorantiam tollet. Enimvero mortis suæ merito, id nobis promeruit, ut originalis culpa non amplius imputetur nobis, nec ob eam differamur a gloria, nisi forte adfuerint actualia peccata; sed oportet ut meritum suæ passionis nobis aliquo modo applicetur et communicetur : quod primo fit in fonte Baptismatis. Manent tamen interim pœnæ prædictæ, prout sunt naturales defectus. Denique præostensum est quomodo per Christi meritum salvari poterat tota natura humana, qualiter etiam meritum ejus nobis proficere queat. Nam propter divinitatem ejus humanitati unitam, mors sua particularis et temporalis totius humani generis mortem communem atque æternam tollere erat idonea. Nec est contra justitiam ut unus amicus pro alio satisfaciat. Insuper, quum primus homo in ligno peccaverit, ideo Christus in ligno satisfecit : quatenus unde mors oriebatur, inde vita resurgeret; et qui in ligno vicit diabolus, in ligno quoque vinceretur a Christo. Factus est Christus pro nobis maledictum, ut nos benedicti efficiamur. Galat. III, 13.

ARTICULUS XIV.

Disputatio Theologi contra sapientiam mundi.

Theologus. — Nunc ergo contemplemur discutiamusque, o Philosophe. Quid christiana theoria profundius? Quid sapientia Christi subtilius? Quid ea divinius ac rationabilius? Jam, inquam, assume paulisper personam infidelium, sapientium hujus mundi, prudentium secundum carnem, paganorum, et item omnium qui Christi crucem irrident, quibus stultum videtur in crucifixum credere, in eo sperare, ipsum adorare.

Philosophus. — Quoniam divina providentia unumquemque remunerat, et singulis prout merentur rependit, fueritque Christus ab omni culpa immunis, omnino indecens esse videtur quod ipse tot ac tanta pertulerit : præsertim quum secundum te, passio sit effectus culpæ, et mors pœna peccati. Denique omnipotenti, incommutabili æternoque Deo valde derogare videtur, asserere ipsum passum, illusum, crucifixum ac mortuum. Et certe, quantum ratio capere potest, stultum apparet spem atque salutem in homine tam abjectissima morte perempto reponere. Denique potuit Deus alio modo mundum redimere.

Theologus. — Nunc igitur disputantem me sustine.

Philosophus. — Intentissime audiam.

Theologus. — Universæ viæ Domini misericordia et justitia. Ps XXIV, 10. Hæ enim duæ virtutes in omni divino opere eminenter resplendent, potissime tamen in remuneratione, dispositione et operatione Dei circa creaturas intellectuales, beatitudinis susceptivas. In nullo autem naturali effectu tam gloriose, excellenter et plene, hæ duæ virtutes relucent, quemadmodum in reconciliatione humana per Christi passio-

Sap. XI, 21. nem exhibita. Si enim Deus omnia in A numero, pondere atque mensura constituit, quanto magis ea quæ ad rationalem pertinent creaturam, hoc modo sapientissime ordinatissimeque exhibenda exsistunt? Et si opera naturæ ordinate fiunt, quanto magis mysteria gratiæ ordinate impleri oportet? Quoniam ergo homo peccavit, et aliena fraude seductus, tam se quam omnem suam posteritatem damnationi obnoxium fecit; quid divinam clementiam sic decuit, quam tantæ subvenire miseriæ, eique succurrere qui subsidii B capax erat, se tamen juvare non poterat? Insuper, quid rationabilius, quam ut per alium perditi, per alium repararentur? per alium infecti et læsi, per alium remederentur atque sanarentur? At vero, quid justius quam peccatum non manere inultum, nec malum relinquere inordinatum? Quid etiam naturalius exstat, quam contraria curare contrariis?

PHILOSOPHUS. — His omnibus ratio satis consentit.

THEOLOGUS. — Omnia hæc in Christi C passione artificiosissime exprimuntur, resplendent et patent. Nunc quippe, si recolis, in præcedentibus clarissime patuit quemadmodum ideo Filius Dei homo factus sit, ut primos parentes deceptos, omnemque eorum infectam sobolem liberaret. Et in hoc divina benignitas ineffabiliter elucescit. Sed quoniam justitia deserenda non est, quæ utique exigit pro culpa pœnam infligi emendamque fieri; sic impendenda erat misericordia, ut misceretur justitia. Ideoque non sola poten- D tia, sed etiam cum justitia redimendum erat genus humanum. Ideo ergo passus est Filius Dei, non coactus neque invitus, sed sponte atque ex vehementissima caritate.

Et quoniam peccata nostra gravissima erant, et inordinata libido naturam totam corrupit; ob id amarissimum prælegit supplicium. Præterea, quoniam peccando facti eramus omni contemptu ac irrisione perenni dignissimi, dæmoniorumque socii; propterea Christus in passione sua contumeliam, illusiones atque opprobria maxima, imo turpissima, pertulit. Ligatus est enim, consputus, blasphematus, nudatus, irrisus, pro nihilo reputatus, denique cum latronibus computatus est: ut nos sua irrisione ab æterna contumelia liberaret, sua cum sceleratis æstimatione angelis sociaret.

Et quia primi parentis peccatum inobedientia erat divini præcepti, Christus *Philipp.* II, 8.
usque ad mortem factus est Deo Patri obediens: non quod Deus Pater mortis supplicium ab innocentissimo et vere sanctissimo Puero suo exegerit; sed ea exegit et voluit, propter quæ Filius mortem incurrit, hoc est inconcussam veritatis itemque justitiæ observationem. Filius vero ex nimia sua caritate oblatus est quia voluit: *Is.* LIII, 7.
quod utique Patri, imo toti Trinitati summe complacuit. Nam Filius obediendo in his ad quæ non tenebatur, nostram inobedientiam solvit, sua pœna nostram delevit, sua morte nobis immortalitatem etiam corporis procuravit.

Christus ergo, o Philosophe, passus non est ex necessitate, ex obligatione, ex infirmitate, sed voluntate spontanea, caritateque pura. Et quidem hoc modo Deum esse passum asserere, non est utique Divinitatis dignitati derogare, quia divina in Christo natura nec per se neque per accidens passa est in ejus passione: quemadmodum nec mutata est in ejus incarnatione seu generatione.

PHILOSOPHUS. — Disputatio tua rationabilis mihi videtur. Tota tamen non in ratione, sed in fide fundatur, utpote quod primus homo taliter peccavit atque naturam infecit. Et alia multa supponit, quæ non naturali ratione, sed sola fide patescunt.

THEOLOGUS. — Verissime loqueris. Nam ego articulos fidei naturali indagine non præsumo probare, sed ab infidelium impugnatione defendere; simulque, ut fas est, rationabilitatem ejus ostendere. Firmiori nempe fundamento innititur, habet-

que rationes nedum probabiles, sed summe necessarias, argumenta quoque nedum demonstrativa, sed vere divina.

Philosophus. — Divina prodigia, prophetiasque veteres, atque similia, de quibus in primo disputavimus libro, ni fallor, insinuas, eo quod ista, ut illuc probasti, auctoritati innitantur divinæ. Et licet articulorum fidei veritates rationi humanæ comprehensibiles atque perspiciosas facere nequeant, hoc tamen ostendunt, quod fides catholica a Deo sit præstita : quo concesso, dubium esse non valet quin prorsus verissima sit.

Theologus. — Ingenio tuo præclaro congratulor, quippe qui totam meam intentionem tam compendiose concepisti et expressisti. Unde si eorum fundamenta quæ disputatio mea præsupponit efflagitas, ad præostensa te remitto. Nil enim suppono, cujus veritatem in superioribus indagati non sumus.

Philosophus. — Fateor, idque intueor, quod licet singuli fidei christianæ articuli seorsum accepti, vehementer mirabiles sunt, omnes tamen sibi invicem optime correspondent ; et quo unus ad alium artificiosius comparatur, eo uterque credibilior veriorque probatur.

Theologus. — Nunc Spiritus veritatis, Spiritus Sanctus, Spiritus paracletus, mentem tuam illuminat. Prorsus nempe sic est quemadmodum adstruis. Ideoque puri philosophi humanæ institutionis originem ignorantes et finem, utpote qualiter primordialiter factus sit homo, et ad quam beatitudinem ordinatus, de homine parum valde veraciter eloqui potuerunt.

Philosophus. — Nunc mihi, o Theologe, lucide innotescit, quod qui Christi crucem irrident, causas passionis ejus ignorant, sicque censent de Christo occiso quemadmodum de alio quocumque scelerato, aut eo qui mortem evadere nequit, vel propter infirmitatem suam succumbit.

Theologus. — Ita profiteor : nam et carnaliter sapiunt, nec ea quæ Dei sunt gustant. Nos autem speramus in Christo, A et colimus adoramusque eum, non ut hominem purum, sed ut verum Deum. Ideo spes nostra in eo finaliter fundatur, prout Deus verus censetur.

Philosophus. — Nunc accedamus ad reliqua.

ARTICULUS XV.

De decimo fidei orthodoxæ articulo.

Theologus. — Modo de resurrectione B Christi, de qua decimus fidei exstat articulus, profari conabor.

Philosophus. — Quid post passionem mortis, corpori atque animæ Christi contigerat, et ubi manserunt?

Theologus. — Naturam quam Unigenitus Dei semel assumpsit, nunquam deposuit. Ideoque, licet in Christi morte veraciter a corpore discesserit anima, utrumque nihilo minus Verbo mansit unitum. Denique corpus ejus sacratissimum sepulturæ est traditum, anima autem in infernum de- C scendit.

Philosophus. — Si Verbum naturam humanam nunquam deposuit, etiam post mortem, ante resurrectionem Christus homo fuisset, eo quod animam rationalem habuisset et corpus.

Theologus. — Non ignoras quod ad rationem veritatemque hominis necessaria sit formalis atque intrinseca carnis copula et animæ. Licet igitur unita permanserint Verbo caro et anima, non tamen sibi invicem erant in triduo illo conjuncta. Ver- D bum nempe immensum et incircumscriptibile est, ideoque localis distantia carnis et animæ separationem a Verbo inferre nequivit.

Philosophus. — Corpus illud, quod nulli terrenæ libidini, nulli carnali affectui, nullique impuritati subjacuit, sub terra, ut reor, poni non debuit. Præterea mirabiliter sonat, animam Christi descendisse ad inferos.

Theologus. — Prædixi, si recolis, quemadmodum Christus quosdam defectus na-

turæ humanæ ex peccato causatos assumpsit, et aliquos non. Sic et post mortem fecit. Defectus autem quos homo post mortem in corpore sustinet, duo sunt : sepultura, et corporis resolutio. Similiter in anima erant duo defectus propter originale peccatum : descensus localis ad inferos, et pœna inferni. Horum autem defectuum duos assumpsit : unum in corpore, utpote sepulturam ; alium quoque in anima, scilicet descensum ad inferos. Alios vero non decebat eum assumere, quoniam caro ejus in libidine non erat concepta, nec anima aliqua peccati impuritate infecta.

Philosophus. — Cur sepeliri voluit? et quare ad infernum descendit ?

Theologus. — Utriusque multæ sunt causæ, et una quidem utrique generalis est. Christus namque indetrahibiles (ut Damascenus disseruit) naturæ humanæ defectus assumpsit, quatenus eos patiendo ad quos obligatus non erat, nos a debitis naturæ defectibus liberaret. Præterea sepultus est, ut suæ merito sepulturæ nostra quandoque corpora de sepulcris ad immortalem vitam educeret ; item, ut se vere mortuum ostenderet fuisse ; et denuo, ut Sanctorum sepulturas sanctificaret, atque ut Scripturas propheticas adimpleret ; et iterum, ut per hoc resurrectio ejus gloriosior veriorque pateret, quippe, ut dixi, non utique lapide revoluto exiit de sepulcro, sicut et natus est Matris ventre non reserato. At vero ex sepultura ejus evidentissimum resurrectionis ejus argumentum accipimus. Quum enim crucifixissent eum Judæi, et timerent ne furarentur discipuli ejus corpus ipsius, ac dicerent plebi, Resurrexit a mortuis, munierunt sepulcrum, signantes illud, et milites ad custodiam deputantes. Nos ergo quum sciscitamur Judæos, ubi Christi corpus permanserit, aiunt discipulos ejus illud dormientibus militibus abstulisse. Quocirca arguimus eis : Si milites dormierunt, unde agnoverant quia furabantur discipuli corpus Domini ? Si autem non dormierunt, cur illud auferri tulerunt?

Matth. XXVII, 64, 66.

Amplius autem, anima Christi ad infernum descendit, ut electos et sanctos illic usque ad resurrectionis horam consolaretur, et demum resurrectione completa, inde educeret.

Philosophus. — Ego putabam infernum locum esse eorum qui in æternum damnantur.

Theologus. — In usu loquentium communiter ita accipitur. Sed scito quod infernus accipitur quatuor modis : primo, pro inferno inferiori, in quo reprobi sunt; secundo, pro purgatorio; tertio, pro limbo puerorum ; quarto, pro limbo sanctorum patrum ab omni malo purgatorum : et ad hunc Christus descendit.

Philosophus. — Quantum tempus fluxit inter mortem resurrectionemque Christi ?

Theologus. — Circa horam nonam in die Parasceves seu sexta feria Jesus exspiravit, et die tertia a morte surrexit.

Philosophus. — Cur nec citius surrexit, nec amplius distulit?

Theologus. — Quatenus se vere mortuum fuisse insinuaret, et resurrectionis primitias in proprio corpore panderet. Si enim diutius distulisset, spem discipulorum nimium periclitari permisisset. Sunt quoque aliæ causæ cur magis die tertia resurrexit, videlicet : ut supersanctæ Trinitatis mysterium commendaret, suamque resurrectionem ab ea efficienter esse probaret ; atque ut se cœlestium, terrestrium et infernorum reparatorem exsistere declararet ; se insuper redemptorem ostenderet, tam eorum qui erant ante legem scriptam sub lege naturæ, quam eorum qui erant sub Moysis lege, itemque eorum qui post legem ejus sunt sub lege pietatis et gratiæ, quæ est lex christiana.

Philosophus. — Quum de communi resurrectione superius specialem tradideris articulum fidei, cur nunc de Christi resurrectione singularem inducis articulum? præsertim quum ejus resurrectio minus videatur mirabilis, quum Deus exstiterit.

Theologus. — Specialis est ratio difficultatis in resurrectione Christi, videli-
Joann. x, 18. cet : quod propria resurrexit virtute (habuit enim potestatem ponendi animam suam, ac denuo accipiendi eamdem); ite-
Coloss. i, 18. rum, quod fuit primogenitus ex mortuis, non secundum tempus, quoniam ante eum surrexerunt, quorum nonnullos ipse adhuc vivens resuscitavit, sed secundum dignitatem et causam (nam ejus resurrectio nostræ resurrectionis futuræ est causa
Act. ii, 31. atque exemplum); quod etiam resurrexit, corpore suo corruptionem nullam vidente.

Philosophus. — Contra resurrectionem Christi arguere nequeo : nam postquam mihi persuasum a te est, quod ipse est Deus et homo, magis mirarer si non surrexisset, quam quia surrexit. Denique plus miror, quia est passus et mortuus, quam quia resuscitatus.

Theologus. — Vere effaris ; et in hoc ipso spiritum beatissimi Augustini sortiris. Hoc tamen agnosce, quod in corpore glorificato surrexit, neque post mortem aliquo modo viator permansit.

Philosophus. — Hoc dictis concordat. Et quoniam de ipsa resurrectione et concernentibus eam in præhabitis prolixe disputavimus, nunc ad alia progredi poteris.

ARTICULUS XVI.

De undecimo fidei christianæ articulo.

Theologus. — Non te latet, Philosophe, quod secundum Aristotelem tuum, motus circularis omnium motuum sit perfectissimus, eo quod finem principio copulet. In idem namque punctum fit reditus, a quo cœpit progressus. Sic Unigenitus Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui in incarnatione seu conceptione sua de sinu Patris descendit in uterum Virginis, non per divinæ loci mutationem naturæ, sed per assumptionem carnis humanæ : quatenus descensionis suæ motus esset perfectus, post resurrectionem ascendit ad A dexteram Patris, ut ad eum rediret a quo processit, atque ad id terminaretur ascensio, a quo inchoabatur descensio. Unde scriptum est : A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum *Ps.* xviii, 7. ejus. Ideoque de hac Christi ascensione est undecimus fidei sacræ articulus.

Philosophus. — Usquequo ascendit ?

Theologus. — Super omnes cœlos volubiles usque ad immobile cœlum : quod empyreum dicitur, id est igneum, non propter naturam ignis, sed ob excessum B subtilitatis atque splendoris. Hoc equidem cœlum locus est Beatorum. De quo philosophi nil prorsus sciebant neque locuti sunt.

Philosophus. — Inexcogitabilis est inter terram et supremum cœlum distantia : numquid ergo diu in motu ascendendi duravit ?

Theologus. — Si credis eum Deum esse et hominem, nonne ea divinitatis suæ virtute, qua solo imperio cœlos in momento plasmavit, eosdem in brevissimo quidem C tempore transcendere penetrareque potuit ?

Philosophus. — Hoc satis apparet. Sed nunc denuo penetrationem asseris dimensionum, quoniam verum Christi corpus integros penetrasse adstruis cœlos.

Theologus. — Hoc ipsum de nostris quoque speramus corporibus : quo enim caput præcessit, membra utique assequentur. Denique, quomodo divina virtute dimensionum penetratio fieri queat, diligenter discussimus.

D Philosophus. — Locus correspondere et proportionari debet locato. Quum ergo corpus humanum mixtum itemque compositum sit, non correspondet ei supercœlestis atque simplicissimus seu subtilissimus locus, qualem esse fateris cœlum empyreum.

Theologus. — Sicut paradisus terrestris correspondebat hominibus ante peccatum, propter perfectionem tranquillitatemque animæ, et tamen supernaturaliter homini datus est, quemadmodum et originalis ju-

stitia; sic cœlum empyreum supernaturalis est felicium locus, naturæ corporis non contrarius, sed summe ipsum perficiens. Veruntamen cœlum empyreum corporibus correspondet Sanctorum, si considerentur in ordine ad finem. Quum enim sit anima corporis finis, secundum exigentiam animæ corpus quoque disponi par est. Unde, quum post futuram resurrectionem corpora qualitatibus animarum penitus conformanda consistant: sicut animæ Deo fruentes omnem prorsus naturalem dignitatem transcendunt, sic et corpora glorificata, propter redundantiam animarum in ipsa, super omnem naturalium corporum apicem justissima proportione locantur.

Philosophus. — Quum natura sit principium motus et quietis ejus in quo est, non videtur esse aliquod corpus immobile: ergo cœlum empyreum volubile est, si est verum corpus.

Theologus. — Corporalia ad spiritualia referenda ordinandaque esse agnoscis. Ideoque, sicut status Beatorum in patria tranquillissimus, quietissimus atque tutissimus est, sic et locus eorum omnino quietus ac prorsus tranquillus. Proprie tamen loquendo, cœlum empyreum non est corpus naturale, prout philosophi de corpore naturali loquuntur, quoniam ad nullam naturalem actionem ordinatur; sed locus contemplationis divinæ vocatur: non quod spiritus beati aut ipsa contemplatio locum necessario exigat, quippe qui omnem locum et tempus atque continuum superexcedunt; sed propter congruentiam deputatus est felicibus locus, præsertimque propter corpora resumenda: uti ecclesia locus dicitur orationis, non secundum necessitatem, quia extra eam orare nil prohibet, sed secundum congruentiam tantum.

Philosophus. — Eritne localis in cœlo empyreo motus?

Sap. iii, 7. Theologus. — Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Meminisse debet subtilitas tui ingenii, A quemadmodum dudum dicebam inter corporum glorificatorum dotes, unam fore agilitatem, qua ad nutum velocissime movebuntur. Et utrum motus ille erit per divisionem medii, an per penetrationem dimensionum, non est adeo certum, nec ad fidem respiciens.

Philosophus. — Quum Pater æternus, incorporeus incircumscriptibilisque consistat, quomodo ad dexteram ejus sedere Christus censetur?

Theologus. — Christus in unitate personæ, B est duplicis (ut nunc audisti) naturæ. Itaque, secundum divinam naturam sedere perhibetur ad dexteram Patris, id est ad æqualitatem ipsius: non est enim Patre minor, quoniam Pater et Filius *Joann.* x, 30. unum sunt. Secundum humanitatem vero ad dexteram Patris sedet, id est in prosperioribus potioribusque bonis Patris, imo totius Trinitatis, feliciter sedet. Solet nempe per dexteram prosperitas, per sinistram quoque adversitas insinuari.

Philosophus. — Christus ut Deus, nullo C modo sedet, quum deitas prorsus immaterialis sit, illocalis, omnino carens situ, loco et tempore: ergo, ut Deus, nullatenus ad dexteram Patris sedet.

Theologus. — Quemadmodum dextera Patris non corporaliter, sed spiritualiter pro æqualitate majestatis paternæ suscipitur; sic sessio Filii ut est Deus, non nisi materialiter æstimanda est. Dicitur equidem Filius, imo Pater et Spiritus Sanctus, atque tota simul Trinitas supergloriosa, sedere (sicut scriptum est: Benedictus es, *Dan.* iii, 55. D Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim), in quantum universum mundum quieta tranquillaque manens moderatur, disponit et regit. Principanti namque et judici sessio convenit.

Philosophus. — Quando ascendit Christus?

Theologus. — Post resurrectionem quadragesimo die.

Philosophus. — Cur eatenus distulit? et quid interim fecit? et ubi manebat?

Theologus. — Distulit, ut interim se

veraciter surrexisse efficacissime compro- A
Luc. XXIV, 39. baret : et hoc fecit, quia se videndum palpandumque præbuit, et omnem discipulorum suorum ambiguitatem exstinxit. Porro credendum videtur, quod post apparitionem exhibitam, in paradiso terrestri permansit, ad quem illos traduxit quos in die resurrectionis ab inferno redemit.

Philosophus. — Ascenderunt illi cum eo?

Theologus. — Utique : eo enim occiso, omne originalis culpæ debitum erat solutum.

Philosophus. — Qui ascensionis hujus B
testes fuerunt ?

Theologus. — Beatissimum illud collegium centum vigintique hominum, qui ei adhuc viventi ac prædicanti familiarius
Act. I, 9. adhæserunt. Illis cernentibus ferebatur in altum, et nubes suscepit eum ab oculis intuentium atque mirantium.

Philosophus. — Quando ergo illi quos in paradisum traduxit, ei adunabantur ?

Theologus. — Poterat eos, vel angelorum obsequio, vel solo imperio, facere sibi in aere occurrere, vel certe ad para- C
disum, qui utique in altissimo terræ situs est loco, primum accedere, sicque eos secum perducere.

Philosophus. — Cur ascensionem suam omnibus sicut et illis non ostendit? potissime quum hoc ad fidei promulgationem amplius profuisset.

Rom. XIII, 1. Theologus. — Quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Secreta autem divina revelare popularibus, spiritualia pandere carnalibus, mystica, altissima, itemque sanctissima aperire indoctis atque impuris, ordinatum D
non est, nec decens, neque conveniens.
Act. X, 41. Ideoque, non nisi testibus a Deo præordinatis, a Spiritu Sancto institutis, fide aptatis, oratione, desiderio et contemplatione dignis effectis, tam sacratissima, tamque miranda, deifica et ineffabilis Christi erat manifestanda ascensio.

Philosophus. — Satis me de præsenti docuisti articulo. Jam ergo, si libet, procede ad duodecimum fidei discutiendum articulum.

ARTICULUS XVII.

De duodecimo fidei sanctæ articulo, scilicet de finali judicio.

Theologus. — *Data est* Christo homini *Matth.*
omnis potestas in cœlo et in terra. Data XXVIII, 18.
autem est ei ab ipso conceptionis suæ instanti. Tunc enim unita est Verbo ejus humanitas, et per consequens subjecta est ei omnis creatura ac omnis potestas. Sed post resurrectionem, data est ei secundum manifestationem et exercitium seu dominationis exsecutionem. Et quoniam ipse est humanæ auctor salutis, ideo gubernatio hominum ad eum est pertinens. Gubernanti autem et regi judiciaria quoque adest potestas, ut singulis secundum merita tribuat, cunctaque ad ordinationem perducat et ad debitum finem. Propterea, o Philosophe, sancta confitetur Ecclesia futurum esse in fine mundi universale judicium, quo Christus universos homines
judicabit; et lata sententia, ibunt justi *Ibid.* XXV,
in vitam æternam, impii vero in ignem 46, 41.
æternum et vere perpetuum, quemadmodum superius tibi professus sum, quum de remuneratione disputationem habebam.

Philosophus. — Articulus iste ex præinductis satis consequitur. Verumtamen dubia mihi plurima affert. Primo, an judicium convenit Christo secundum naturam divinam vel humanam ?

Theologus. — Secundum utramque; sed diversimode. Nempe ratione divinæ naturæ, convenit ei sicut et Patri ac Spiritui Sancto judicium per modum auctoritatis seu principaliter judicantis ; secundum naturam autem humanam, competit ei judicium quasi instrumentaliter ac per modum exsequentis. Sicut enim est Christus hominum salvator, ita et judex. Salvare autem, ut præhabitum est, aliter ei convenit ratione deitatis, aliterque ratione humanitatis. Nam, uti ubertim jam dixi, idoneitas ac efficacia salvandi ex divinitate est, satisfactio autem et passio ex humanitate Verbo unita. Sic et judicium

Christi ex divinitate habet efficaciam, ex A humanitate autem exsecutionem.

Denique hanc exsecutionem judicii Christus vitæ suæ sanctitate, passionisque merito, sortitus est atque promeruit. Unde
Joann. v, 27. scriptum est : Potestatem dedit ei (haud dubium quin Christo Deus Pater, imo Trinitas tota), et judicium facere, quia Filius hominis est. Nam humiliatione illa qua ab
Act. x, 42. homine judicari non renuit, ipse vivorum ac mortuorum judex constitui meruit : sicut etiam resurrectionis ascensionisque accelerationem sua passione promeruit. B Hæc enim omnia ad accidentale præmium pertinent : quod utique Christus sibi obtinuit, quoniam nedum comprehensor, sed insuper viator exstiterat.

Philosophus. — Quid est quod mundum finiendum esse fateris? Generatio enim et corruptio, secundum omnes Peripateticos, nunquam cessabit, sed neque secundum Platonicos.

Theologus. — Sicut mundum a parte ante ponebant æternum, sic quoque generationem corruptionemque opinati sunt C esse perpetuas; sed in utroque decepti sunt. Porro rationes eorum nihil convincunt, quemadmodum nuper innotuit, dum de mundi creatione disputationem habuimus.

Philosophus. — (1) Universi decor, ordo atque perfectio in speciebus rerum consistunt. Species autem universi sine generatione et corruptione perseverare non valent, quemadmodum in omnibus generabilibus constat. Nunquam ergo generatio stabit, nec generabilium species in- D teribunt.

(2) Præterea, in ordine rerum divina sapientia potissime claret. Nunquam ergo species rerum, in quibus mundi ordo consistit, peribunt.

(3) Præterea, si mundi species corrumpentur, vel omnia corporalia desinent, vel aliqua et aliqua non. Si omnia : tunc cœlum et elementa deficient, quæ tamen secundum se tota incorruptibilia sunt. Si aliqua et non omnia : videtur quod potissime ea quæ sub sole sunt, corrumpentur. Sed horum plurima, utpote anima ac mixta, elementis sunt nobiliora, et divina in eis splendidius innotescit prudentia. Potius ergo ista manebunt post finale judicium, quam elementa et inanimata.

ARTICULUS XVIII.

Responsio Theologi ad objectiones Philosophi contra finem consummationemque sæculi.

Theologus. — Quemadmodum, juxta inducta in tertio libro, principium mundi ex sola Creatoris voluntate dependet, eo quod omnia liberrime et non necessitate naturæ condiderit; sic et consummatio mundi non nisi ex libertate voluntatis divinæ proveniet. Enimvero intime contemplandum est, quod secundum ordinem universi, inferiora ad superiora ordinantur; media vero, fine adepto, mox cessant. Itaque, quoniam corporalia ad intellectualia sicut media ad finem sunt ordinata, completo substantiarum intellectualium ordine atque numero, rationabile est corporalia secundum intellectualium exigentiam ordinari. Quia igitur, secundum præostensa, divinæ sapientiæ decentissimus ordo hoc exigit, ut intellectualium substantiarum multitudo infinita non sit, sed determinata ac certa, eo quod sapientis sit ordinare, ipsaque sapientia summa, in numero, mensura et pondere, seu specie, modo ac ordine, cuncta statuerit : propterea, completo intellectualium substantiarum numero, id est electorum, congruit omnia ista corporea quæ propter intellectualia facta sunt, secundum intellectualium qualitatem disponi. In ipso autem finali judicio remuneratio erit, quæ nunquam deficiet, et solus immortalis vitæ status manebit. Ideoque corporea quæ ad incorruptibilem statum ordinem nullum habent, omnino cessabunt, ut sunt omnia mixta sub homine. Elementa autem, licet secundum partem

corruptibilia sint, non tamen secundum se tota : ideoque secundum substantiam permanebunt, non autem secundum qualitatem quam nunc sortiuntur, neque secundum alterationes naturales ac mutuas, eo quod motus cœli, qui est primus motuum, conquiescet.

Ad primam ergo tuam instantiam dico, quod ordo seu mundi perfectio duplex est. Una, secundum esse naturale et secundum ipsas rerum naturas absolute seu in se ipsis acceptas. Et hæc generabilium species exigit, ita ut a summo ente, quod est purus actus, usque ad infimum entium, quod est potentia pura, sit ordinatus specierum instar numerorum connexarum descensus. Alius est ordo seu perfectio mundi secundum comparationem inferiorum ad superiora, seu secundum relationem donorum naturæ ad munera gratiæ. Unde, quum dona gratiæ naturalia dona transcendant, ideo ad ea naturalis entium ordo refertur. Post finale ergo judicium, quoniam solus remunerationum status erit, qui ad gratiam pertinet : ideo primus entium ordo cessabit, nec corruptibilia permanebunt, eo quod ad immortalem consistentiam habitudinem nullam sortita sint. Nec tamen propter hoc decor mundi peribit, quoniam corruptibilium species in suis causis universalibus sufficienter relucebunt, et corporalia quæ mansura sunt, ampliori venustabuntur ornatu ac lumine.

Et per hoc quoque instantia secunda solvitur. Divina enim sapientia post finale judicium, multo, imo incomparabiliter amplius resplendebit in entibus glorificatis, immutatis et adornatis, quam nunc in naturalibus rerum ordinibus. Nam in ordine generabilium tunc etiam elucescet, secundum quod in Verbo omnia idealiter patent; ipsaque corruptibilia, secundum intelligibile esse in beatis intellectibus perseverabunt : et sic divina in eis sapientia satis clarebit.

Ad tertiam autem respondeo, quod licet animata et mixta sub homine, sint elementis perfectiora secundum gradum perfectionis specificæ, non tamen secundum participationem incorruptibilis esse, seu perpetuæ permanentiæ. Ideoque non ipsa, sed elementa sine fine durabunt.

ARTICULUS XIX.

De duplici judicio ; et quomodo omnes in die novissimo judicandi dicantur, quum tamen quidam ante salvi atque felices facti sint.

Philosophus. — Intellexi, ni fallor, superius a te, quod animæ a corporibus separatæ, mox remunerationem susceperunt : quod sine judicio fieri nequit. Ergo ante diem extremum singuli judicantur. Quid ergo necessarium est judicium aliud?

Theologus. — Sicut esse atque subsistere proprie convenit homini tanquam perfecto supposito, animæ vero rationali sicut causæ formali atque principio (totum namque esse fluit ab anima); sic mereri ac demereri homini proprie convenit, animæ autem sicut primæ fontalique causæ, quoniam ipsa per rationem corporis rectrix est, et totius vitæ radix intrinsecumque principium. Sic remuneratio perfecta et consummata est totius hominis, et hæc erit animabus corporibus reassociatis : quod ante communem resurrectionem non continget. Remuneratio denique præsupponit judicium. Ideo finale, consummatum ac perfectum judicium, ante novissimum diem exhiberi non potest. Hoc est ergo universale judicium. Porro aliud quoque assignatur particulare judicium, quod quisque moriens protinus recipit : et hoc ad inchoatam imperfectamque retributionem refertur, qua singulæ animæ prout in corpore operatæ sunt, præmiantur.

Philosophus. — De eodem ergo opere duplex judicium fit, et duplex pœna infertur. Hoc autem non decet.

Theologus. — Veraciter scriptum est,
Non vindicabit Dominus bis in id ipsum: *Nahum* I, 9, juxta LXX.
quia non secundum eamdem rationem bis judicat de eodem, neque secundum sim-

plicem rationem culpæ duplicem infligit pœnam. Hoc tamen non prohibet quin secundum diversum respectum de eodem bis vel etiam ter judicetur : nam quorumdam judicium itemque tormentum in præsenti inchoatur, nec unquam terminatur. Quoniam ergo quilibet homo est quædam singularis persona, et pars quædam universi generisque humani : ideo fit de eo particulare judicium, in quantum est privata persona ; et commune, prout est pars universi. Universale quippe judicium ad totius pertinet innovationem universi.

Philosophus. — Sicut quis peccat, ita torquendus est. Quum ergo animæ nunc sine corporibus non mereantur, apparet quod ante corporum resuscitationem, retributionem adepturæ non sint nec pœnæ nec gloriæ.

Theologus. — Sic quidam, qui sibi christianitatis titulum frustra attribuunt, putant. Verumtamen hujus oppositum tibi de facili persuadere prævaleo, quoniam (ut melius nosti) secundum Platonicos ac Peripateticos, animæ summam beatitudinem sine corpore habent, quemadmodum ante clare innotuit. Licet autem anima sine corpore modo non peccet, nec laudabiliter agat, ipsa nihilo minus est principalis boni malique causa ; et quamvis sit corporis forma, non tamen sic, sicut et ceteræ irrationales animæ, naturalesque formæ. Non enim est intellectiva anima, forma materiæ immersa, vel secundum omnes suas potentias corpori conjuncta, eo quod secundum meliores philosophos, intellectus sit immaterialis, immixtus et inorganicus, et sicut Anaxagoras dixit, nulli quod habens commune. — Denique tres animæ potentiæ in quibus summæ Trinitatis imago resultat, intellectus videlicet, memoria et voluntas, incorporeæ et inorganicæ atque perpetuæ sunt. Propterea anima separata, ante corporis resumptionem mercedem adipiscitur tormenti vel gaudii, quia adhuc in corpore degens, per rationem et voluntatem omnium actuum suorum domina fuit, ipsique sen-

A sualitati et corpori dominari præesseque debuit. Hoc autem ceteris formis non congruit, quippe quæ nec subsistentiam nec operationem separatam et liberam habent.

Philosophus. — Convenienter et philosophice respondes ; sed nunc instrue me. Quum aliqui æternaliter condemnentur, quidam autem beatificentur, numquid et hi adhuc judicabuntur, quorum utique salus atque damnatio certæ sunt ?

Theologus. — In judicio tria concurrunt : judicandorum præsentatio, merito-
B rum discussio, sententiæ quoque prolatio seu digna præmiatio. Omnes ergo homines qui unquam fuerunt, erunt, vel sunt, judici Christo præsentabuntur. Omnes præterea judicio retributionis, ad quam sententiæ prolatio pertinet, judicabuntur; sed judicio discussionis illi dumtaxat sunt judicandi, quorum bona aliquibus sunt malis permixta. Quoniam fides omnis boni principium est, ideo infideles, tanquam omnis boni expertes, sine discussione peribunt. Mali autem fideles cum discussio-
C ne damnandi sunt. Boni vero qui venialibus culpis erant obnoxii, cum discussione salvabuntur. Porro viri perfecti et vere pauperes Christi, non modo judicabuntur, sed judicabunt cum Judice tanquam ei familiariores et assidentes. Omnino damnati discussione non egent, sicut neque salvati ; sed tamen judicabuntur, sic quod omnia mala ipsorum universis patebunt, et in anima atque in corpore pœnam damnationis recipient. Nam et meritorum discussio ob id non erit, ut Judex certi-
D ficetur, sed ut judicium ejus justum esse omnibus innotescat, quoniam singulorum bona et mala singulis elucescent.

ARTICULUS XX.

Interrogatio Philosophi de loco et tempore ac diuturnitate judicii.

Philosophus. — Quando, o Theologe, horribile istud judicium fiet ?

Theologus. — *De die illa et hora nemo* Matth. xxiv, 36.

scit, neque angeli cœlorum, nec quisquam in terra.

Philosophus. — Cur hoc?

Theologus. — Quoniam hoc judicium in fine sæculi erit. Finis autem mundi, quum ex naturali causa non pendeat, sed ex sola Dei voluntate, ideo sciri non potest, nisi per revelationem : quemadmodum etiam initium mundi sola revelatione innotuit. Nulli porro Deus finem mundi revelare dignatus est, ut homines essent semper suspecti et pavidi.

Philosophus. — Cur nec angelis revelavit?

Theologus. — Propter congruentiam : utpote ad insinuandum quam liberrime atque imperialiter sit Deus benedictus et unus, universorum origo, causa et finis.

Philosophus. — Præcedentne aliqua ex quorum præsentia elici poterit instare dies tam horridus?

Theologus. — Imo, videlicet Antichristi adventus, Eliæ quoque et Enoch, et alia quædam.

Philosophus. — Quid per hoc velis, non capio.

Theologus. — De Antichristo, Elia et Enoch multa tibi dicturus sum ; sed hæc in fine disputationis præsentis introducere cogito.

Philosophus. — Nunc ergo de loco judicii respondere digneris.

Theologus. — In valle Josaphat, qui est locus prope Jerusalem ubi crucifixus est Christus, et prope montem Oliveti unde Christus ascendit, futurum creditur, quatenus Christus in eo loco judicet, ubi pro nobis judicari non sprevit.

Philosophus. — Tanta ibi multitudo hominum conveniet, ut nec in tota terra promissionis seu regno Judææ stare poterunt : quomodo ergo in tam angusto loco judicium fiet?

Theologus. — Tantam illic esse hominum multitudinem colligendam, etiam S. Thomas esse verisimile ait. Denique an locus ille corporaliter intelligi debeat, an secundum interpretationem dumtaxat,
A B. Hieronymus sub dubio videtur relinquere. Josaphat nempe interpretatur judicium. Verumtamen, quamvis corporaliter intelligatur (quod utique potius æstimandum est), non oportet ut omnes homines in hac valle contineantur atque locentur, sed in ea et in circumjacentibus locis. Denique divina virtute multi in modico loco possunt locari. Christus vero in aere apparebit in loco excelso, ut ab omnibus conspici queat, et cum eo Sanctorum mil- *Judæ* 14.
lia, hoc est omnes angeli sancti, homines-
B que electi. Et ad manifestandum Judicis majestatem, angeli sancti visibiliter in formis assumptis apparebunt : quod de dæmonibus etiam puto.

Philosophus. — Si cum discussione erit istud judicium, multo, ut reor, tempore durabit.

Theologus. — Qui omnia verbo uno et simplici condidit, universorum potest bona malaque ad singulorum memoriam et ad omnium agnitionem vel cito vel in momento reducere : ideo opinandum non
C est quod diu durabit. Scriptum est equidem : Sicut fulgur exit ab oriente, et pa- *Matth.*
ret usque in occidentem, ita erit et ad- xxiv, 27.
ventus Filii hominis.

Philosophus. — An ergo vocaliter fiet, an solum mentaliter?

Theologus. — Hoc non est adeo certum. Scriptura nempe manifeste testari videtur quod vocaliter fiet ; sed hoc spiritualiter potest intelligi. Quibusdam tamen Sanctorum magis apparet quod solum spiritualiter fiet, faciente hoc divina virtute, ut
D singuli et sua et aliena facta cognoscant.

Philosophus. — Quæ erit consummatio hujus judicii?

Theologus. — Adventum Judicis ignis *Ps.* xcvi, 3.
præcedet, qui elementa hominum peccatis infecta purgabit, et eos quos vivos invenerit, inflammabit, occidet, atque a venialibus emundabit, quoad electos, qui mox resurgent Judicique occurrent cum aliis. Toto ergo mundo in conflagratione ignis stante, Christus descendens judicabit. Enimvero ignis ante ipsum inflamma- *Ps.* xcvi, 3.

bit in circuitu inimicos ejus. Justis autem A divina virtute nil prorsus molestiæ inferet. Discussione itaque facta, dicet Judex ini- *tth.* xxv, quis : Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et ecce repente aperiens terra os suum, absorbebit eos. Ignis quoque involvet atque retrudet eos usque ad gehennalia nunquam finienda tormenta. Porro, quidquid caliditatis, fumositatis atque fœtoris in igne illo exstiterit, simul cum impiis descendet ; quod vero puritatis et lucis, sursum ascendet. Denique, electis Judex dul- B *id.* 34. cissime dicet : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Qui mox cum Christo et angelis ejus gloriosissima ac velocissima ascensione omnium alta polorum transcendent, impiisque ad miseriæ cumulum conspectantibus, cum immensa jubilatione ad uranici templi, ad empyrei orbis, ad summi palatia cœli æternaliter regnaturi volabunt.

Philosophus. — Magna discretione discernit Deus inter bonos et malos, estque judi- C cium istud valde horrendum, nec unquam a fideli memoria obliviscendum. Sed dic, oro, eritne aliqua claritas in inferno?

Theologus. — Quidquid ad miseriæ plenitudinem et infelicitatis augmentum confert, in inferis erit. Quoniam ergo sic mutuus infelicium intuitus maxima est tristitiæ pœnæque causa, sicut mutuus Beatorum adspectus magna est gaudiorum materia : propterea tantum claritatis tenebrosæ atque fumosæ in inferis erit, ut se mutuo ad augendum horrorem conspicere queant; D ad solatium autem nulla ibi claritas erit.

Philosophus. — Unum mihi oritur dubium, quid scilicet de his teneri oporteat qui ante tempus discretionis decedunt.

ARTICULUS XXI.

Responsio Theologi de statu quem post finale judicium habituri sunt ante annos adultos decedentes et gratia carentes.

Theologus. — Firmissime tene, Philosophe, quod pœnam sensus nullus post hanc sustinet vitam, nisi pro proprio actuali peccato, denique nec pœnam inferni, nisi pro culpa mortali : quemadmodum ex præinductis te intellexisse opinor. Quicumque ergo ante ea tempora quibus inter bonum malumque discernere queunt, decedunt, nisi Christo aliquo modo incorporentur, æterna beatitudine destituuntur; nec tamen pœnas patiuntur sensibiles, neque in inferno locandi sunt.

Philosophus. — Quid est Christo incorporari?

Theologus. — Ei per fidem et gratiam aliquatenus copulari.

Philosophus. — Nullus ergo ab exordio sæculi salvatus est nisi per fidem et gratiam Christi. Quid ergo de pueris asseris, qui ante Christi adventum defuncti sunt, qui utique fidem (ut videtur) habere non poterant?

Theologus. — Veraciter conclusisti : nam ex puris naturalibus nemo potest salvari ; sed gratia requiritur, et fides, vel propria vel aliena. Denique nunquam, Deo piissime disponente, defuit homini salutis remedium. Pueri namque ante legem Mosaicam fide salvabantur parentum : sub lege autem Moysis, per circumcisionem ; sub lege Christi, per Baptismum. Qui vero fide parentum vel circumcisione vel Baptismo Christo uniti non sunt, propter originale peccatum a vera felicitate exclusi sunt : quia ut tibi testatus sum, licet Christus suæ merito mortis totum humanum genus redemerit secundum sufficientiam, non tamen secundum efficientiam, nisi videlicet meritum ejus aliqualiter applicetur communiceturque nobis. Hæc autem applicatio nunc fit in sacro Baptismate, sine quo nemini salus est qui illud vel neglexerit vel spreverit. Insuper, ut fides et meritum Christi nunc proficit nobis exhibitum, sic proficiebat illis exhibendum.

Philosophus. — Breviter igitur dic quæ erit vita eorum qui nec merito Christi salvandi sunt, nec propria culpa torquendi.

Theologus. — In omni opere Dei divina

sapientia ordinate resplendet. In ordine A autem sunt principium, medium et finis. Inter statum vero beatitudinis atque miseriæ, medius est status naturæ : et sic in eis patebit qui nec in cœlo neque in inferno ponentur. Ideoque naturalem felicitatem habebunt, naturalemque eorum quæ naturaliter cognoscibilia sunt agnitionem, naturalem quoque Dei amorem, et ex his emanantem naturalem delectationem.

Philosophus. — Ubi manebunt?

Theologus. — Superius tibi de limbo puerorum locutus sum in quo mansuri B creduntur.

Philosophus. — Nonne vehementer dolebunt de amissione felicitatis æternæ jucunditatisque tantæ?

Theologus. — Dixisse me memini, quod sicut originalis justitia supernaturale exstitit donum ad supernaturalem beatitudinem promovens, sic ejus ablatio, quæ est originalis culpa, naturalem perfectionem non adimit, nec sensibilem pœnam inducit. Ideo de amissione vitæ æternæ cœlestis non dolebunt, nec aliquam cor- C poralem sensibilemve afflictionem habebunt : sed naturalibus Dei bonitatibus perfruentur.

Philosophus. — Scientne se æterna felicitate privatos?

Theologus. — Scient utique.

Philosophus. — Quomodo igitur de tanti boni perditione non dolebunt?

Theologus. — Nullus sapiens tristatur, si illo careat ad cujus adeptionem, nec proportionem nec habitudinem habet : quemadmodum non dolet homo quia vo- D lare non valet, nec tristatur ignobilis rusticus quod non imperator eligitur. Pueri ergo hi quia proportionem nullam ad æternam conquirendam beatitudinem adepti sunt, quoniam nec ipsi meruerunt, nec meritum Christi eis applicatum est, ideo nequaquam dolebunt.

Philosophus. — Certe ideo dolere merito poterunt quod eis applicatum non est sicut et ceteris qui ejusdem cum eis ætatis conditionisque erant.

Theologus. — Quia applicatio ista naturale donum non est, ideo de ejus carentia non tristantur : sicut nec pueri baptizati dolent de hoc quod tanta non sunt divina sortiti charismata, quemadmodum multi electi adulti. Præterea sapiens non dolet de hoc quod per suam potentiam præcavere non potest. Ideoque, ut ait Seneca, in sapientem non cadit inordinata tristitia. Non autem exstitit in horum potentia puerorum pœnam damni evadere : et ergo de ea tristari non debent.

Et quidem hæc est responsio S. Thomæ super secundum Sententiarum : cui in hoc concordo, quod nullam sensibilem pœnam habebunt. Non tamen existimo, quod ea sine speciali divinæ dispensationis miraculo carebunt : quoniam cognoscent se summa gloria esse privatos, quam per alios faciliter poterant obtinere, quam illi quoque sortiti sunt qui ab eis nec in natura, nec in ætate, nec in naturalibus differunt.

Enimvero, quod asseritur non habuisse eos proportionem ad beatitudinem summam, non videtur sic esse : tum, quia tota intellectualis natura veræ beatitudinis capax est : et ob hoc, eo ipso quo rationalem animam ad summæ utique Trinitatis imaginem conditam habent, cœlestis felicitatis capaces sunt, atque ad eam proportionem hanc habent. Si vero ideo ad eam improportionati dicantur quia virtutes theologicas in Baptismo adepti non sunt, tunc omnes pagani damnati, improportionati ad æternam gloriam forent. Si autem dicatur quod non sit simile, quoniam adulti poterant virtutes istas acquirere, utpote si fecissent quod in se est; hoc quoque non videtur sufficere : nam et isti poterant eas acquirere, licet non per se. Imo frequenter ex aliorum negligentia provenit, quod sine Baptismo decedunt : et sic de amissione regni cœlestis dolere possent, sicut et filius regis de paterni regni privatione doleret, si aliorum negligentia privaretur eodem, quamvis illud per se adipisci non valeat. — Præ-

A terea, quum Christus sit totius generis humani redemptor, omnis homo merito Christi proportionatus est ad veram salutem. Et si parvuli improportionati ferantur ad gloriam, quia non erant in gratia, non tamen improportionati erant ad gratiam. Et ergo non est simile de eis in ordine ad beatitudinem et rustico ad imperiale dominium.

Insuper, quod dicitur sapientem non debere de eo tristari quod præcavere nequivit, verum est hoc, si bene intelligatur, quia Seneca ait hoc. Sed si bene intel- B ligatur, non suffragatur positioni inductæ. De eo quippe quod nullo modo evadere possumus, neque per nos, neque per amicos et proximos, tristari non debemus tristitia inordinata. Moderata tamen tristitia tristari licite possumus, etiam de eo quod nullo modo præcavere valemus : quemadmodum S. Augustinus (super verba Apostoli quibus ait : Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent), ess. IV, testatur : Non possumus, inquiens, non C tristari defunctis quibuslibet carissimis nostris ; sed tristari non debemus quasi omnino perdamus eos qui nos præcedunt : sic enim infideles tristantur. Et tamen palam est quod talium mortem nullo modo impedire valemus. At vero balbutientes, cæci et muti de naturalibus suis effectibus rationabiliter dolent, in quantum sunt imperfectiones naturæ : quos tamen nequaquam possunt evadere. Sed virtutis rationisque est hanc ordinare tristitiam, eo quod aliter esse non queat. Conformi- D ter de pueris non baptizatis videtur quod dolent, non dolore corporali, sed interiori tristitia, de felicitate amissa, in quantum ejus erant capaces et ea carere naturæ imperfectio exstat, prout originaliter instituta ordinataque fuerat. Sed quod non dolent, divinæ moderamine pietatis contingit. Et in hoc ipso misericordia Dei in ipsis relucet : quæ etiam in inferno apparet, quoniam et ipsi citra condignum torquentur.

Philosophus. — Disputabilis videtur mihi materia ista. Sed quid est quod Catholici sanctique viri sibi invicem contradicunt ?

Theologus. — Ad hoc tibi, si recordaris, dudum respondi. In his namque quæ ad fidem non pertinent, et in quibus fide salva opinari nil prohibet, sibi invicem contradicunt vicissim, reverenter tamen et pie atque humiliter.

Philosophus. — Quid facient isti qui nec in cœlo nec in inferis erunt ?

Theologus. — In perfecta quantitate resurgent. Denique certum est quod non generabunt, nec manducabunt, nec bibent; sed contemplatio naturalis erit vita eorum.

Philosophus. — Locus in quo erunt, tenebrosus erit an lucidus ?

Theologus. — Dicunt aliqui quod in loco erunt tenebroso intus propter absentiam gratiæ, foris quoque propter solaris claritatis carentiam. Sed B. Thomæ consentio, quod nulla naturali bonitate vel perfectione carebunt.

Philosophus. — Quæ erit sententia Judicis de eis ?

Theologus. — Quia nec peccaverunt, nec bene egerunt, non proprie judicantur : nisi ideo judicari dicantur, quoniam naturalem beatitudinem sortiuntur.

Philosophus. — Eleganter respondes.

Sed unum diligentissime sciscitor a te. Quidnam est illa parva placenta quam tonsurati Christianorum presbyteri tam solenniter elevant, ceterique adorant ?

Theologus. — Tu ipse ignoras quam convenienter quæsisti.

Philosophus. — Quomodo ?

Theologus. — Quoniam de ipso quem Christianorum presbyteri elevant, et circumstantes adorant, divinissimus David, Prophetarum eximius, in Psalmo vaticinatus est : Erit, inquiens, firmamentum Ps. LXXI, 16. in terra in summis montium. Ubi Hebraica veritas habet : Erit placenta tritici in terra in capite montium. Translatio quoque Chaldaica habet : Erit oblatio frumenti in terra.

PHILOSOPHUS. — De quo dicta sunt hæc? A

THEOLOGUS. — De eo utique de quo psalmus iste in exordio loquitur : Deus, judicium tuum regi da.

PHILOSOPHUS. — Quis est rex hic?

THEOLOGUS. — Secundum expositores veteres Hebræorum omnesque doctores christianos, psalmus iste de rege Messia, qui est Christus Dominus, Unigenitus Dei Patris, accipitur. Ideoque notum sit tibi, Philosophe, quod placenta hæc est corpus Domini nostri Jesu Christi, qui sub formis panis triticei veraciter continetur, B adoratur et sumitur.

PHILOSOPHUS. — O quid asseris modo? Quid audio nunc? Illudis forsitan mihi, et jocando ac mystice intelligendo, ista, ni fallor, profaris; vel forsan admiratione obruere quæris ingenium meum, et fidem quam suscepi, tentare, aut certe exstinguere.

THEOLOGUS. — Secundum Aristotelem, addiscentem oportet credere. Verumtamen omnia quæ dixi vera sunt, et litteraliter accipienda. Porro occupatio nostri negotii jocosa non est neque ridenda. Quod autem C istis auditis miraris non reprobo. Sed quidam admiratione dejiciuntur, ut non credendo, nil amplius quærant nec audiant; aliqui vero provocantur ut subtilius perscrutentur et discant.

PHILOSOPHUS. — Sic esse agnosco. Nunc igitur benefac, et palam edissere quid de præsenti materia catholica tenendum sit fide.

THEOLOGUS. — Non tantum credenda sunt ea quæ in duodecim articulis fidei manifeste promuntur, sed ea demum quæ ex illis sequuntur, atque omnia insuper quæ in authentica continentur Scriptura : illa vero quæ per Romanam Ecclesiam determinata approbataque sunt. Itaque quum disputatio nostra de ipsorum fidei articulorum veritate finita nunc sit, expedit jam de quibusdam præcipuis punctis ad fidem spectantibus eloqui : inter quæ quæstio tua de illa parva placenta, potissima difficillimaque consistit. Unde de ea diligenter tractare oportet. Quod ut lucidius fiat, a recenti videtur inchoandum exordio.

PHILOSOPHUS. — Gratanter hæc audio, sicque ut decrevisti, fieri cupio.

LIBER QUINTUS

DIALOGION

DE FIDE CATHOLICA

LIBER QUINTUS

DE PRÆCIPUIS QUIBUSDAM PUNCTIS ORTHODOXÆ FIDEI, EUCHARISTIA VIDELICET, ANGELIS BONIS ET MALIS, PRÆDESTINATIONE, PRÆSCIENTIAQUE DEI.

PROŒMIUM.

Theologus. — Unigenitus Dei Dominus noster Jesus Christus, *Caro* (inquit) *mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Joann. vi, 56.

Philosophus. — Quid est hoc? Quis enim audeat Dominum suum manducare?

xxxi, 9. Theologus. — Noli effici sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Nonne ipsa superessentialis divinitas, angelorum omniumque Beatorum est cibus? Sicut ergo divinitas Christi cibus est comprehensorum, sic caro ejus cibus est viatorum. Illa triumphantes alit et satiat, atque felicitat; ista militantes confortat, sustentat, et ad beatitudinem veram perducit.

Philosophus. — Nunc clare conjicio quia caro Christi non nisi spiritualis est cibus, nec in hostia seu illa placenta nisi repræsentative spiritualiterque esse censetur.

Theologus. — Aliter est. Vere enim substantialiterque in ea continetur. Dicitur tamen caro Christi cibus spiritualis ob duplicem causam : primo, quoniam alit non carnem, sed mentem ; secundo, quia non accipitur, nec masticatur, nec dentibus teritur, neque resolvitur, quemadmodum

A alii cibi : sed quum manducatur, non mutatur in edentem ; imo si digne edatur, manducans in ipsum mutatur, Christo incorporatur, gratia venustatur, et vere spiritualis efficitur. Constat igitur quia caro Christi corporalis cibus est secundum substantiam, quoniam est verum corpus ; sed est spiritualis cibus ratione effectus, et propter modum sumendi.

Philosophus. — Patenter, precor, declara quid fides christiana de cibo hoc teneat, quatenus hoc audito, sciam quid
B quæram atque opponam.

ARTICULUS I.

Quid de divinissima Eucharistia doceat fides catholica.

Theologus. — In superioribus patuit quemadmodum ad salutem nostram necessarium sit meritum passionis Christi aliquo modo applicari hominibus. In passione nempe Christi, est quasi quædam
C universalis virtus communeque meritum contra omnes malitias : tam culpabiles, quæ sunt tres, videlicet culpa originalis, venialis, atque mortalis ; quam pœnales,

quæ quatuor sunt, utpote ignorantia, malitia, [A] infirmitas, et concupiscentia. Porro universalem virtutem determinari oportet ad particulares effectus per apta proportionataque media. Hæc ergo per quæ contra varios languores virtus passionis dominicæ applicatur hominibus, sacramenta vocantur : quæ sunt velut quædam medicinalia vasa divinæ gratiæ contentiva et causativa, virtutis suæ efficaciam a plenitudine meriti Christi adepta. Denique, quum cognitio nostra a sensu originem ducat, nec aliter capaces simus divini radii [B] nisi per velamen sensibilium rerum ; ideo per res quasdam sensibiles ac materiales applicatur nobis virtus meriti Christi, sic tamen ut res illæ convenientiam habeant cum effectu qui per ipsas inducitur. Unde sacramentum dicitur invisibilis gratiæ visibile causaleque signum.

Philosophus. — Miror quod in irrationabilibus inanimatisque rebus, intellectualis creatura seu homo gratiam atque salutem quærere cogitur.

Theologus. — Præter rationem nunc tactam, [C] etiam justo Dei judicio hoc contingit : quatenus scilicet homo, qui soli Deo subditus esse debuerat nec volebat, sed per prævaricationem corporalibus se rebus subjecit, in tantum humilietur, quod in infimis sibi entibus gratiæ sibi opem requirat.

Philosophus. — Quot sunt sacramenta ?

Theologus. — Septem, contra septem morbos expressos. Est namque Baptismus medicamentum contra peccatum originale ; Pœnitentia, contra mortale ; Extrema [D] Unctio, contra veniale ; Ordo, contra ignorantiam ; Eucharistia (vel ut verbis tuis utar, placenta illa parvula), contra malitiam ; Confirmatio, contra infirmitatem ; Matrimonium, contra concupiscentiam. De quibus non est modo dicendum per singula. Hoc tamen te scire desidero, quod Baptismus est sacramentum necessitatis, aliorumque sacramentorum janua. Pœnitentia vero est secunda post naufragium tabula. Sine Baptismo ergo non potes salvari, quoniam est spiritualis regeneratio : in quo in Christo renascimur, atque ab originalis culpæ debito liberamur, imo omnium peccatorum, quæcumque in nobis inveniri contigerit, remissionem, gratiam quoque sortimur, et filii Dei efficimur.

Philosophus. — Nunc de Eucharistia tracta.

Theologus. — Inter sacramenta prædicta ordo est, et dignissimum est Eucharistia. Quum ergo alia sacramenta Christum virtualiter et per participationem contineant, necesse est ut sit unum, Christum essentialiter continens. In omni siquidem multitudine in qua sunt plura per participationem, est unum per essentiam. In numero itaque sacramentorum, id quod substantialiter Christum continet, et per essentiam, non per participationem, sanat, itemque sanctificat, est Eucharistia : quæ etiam viaticum, hostia, oblatio, et sacrificium, synaxis seu communio appellatur.

Philosophus. — De institutione atque origine hujus sacramenti plenius instrue me.

Theologus. — Præpara te ad contemplandum admirandum quod tibi proponam spectaculum.

Philosophus. — Prorsus paratum me noveris.

Theologus. — In novissima Cœna, diem passionis proxime præeunte, cœnantibus cum Christo discipulis suis, accepit panem, et gratias Deo agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et manducate ; hoc est corpus meum ; hoc facite in mei memoriam. Sciens igitur Jesus proximum jam esse diem passionis suæ, volensque omnibus suis pignus sui amoris et mortis suæ acerbissimæ æternum memoriale relinquere, his verbis, Hoc est corpus meum, panem triticeum azymum quo tunc vescebantur, convertit in corpus suum, et ferebat manibus suis, dans se manducandum discipulis suis sub similitudine panis, et ut credimus, manducans se ipsum seu proprium corpus consecratum. Est ergo fi-

I *Cor.* xi, 23, 24; *Matth.* xxvi, 26.

des catholica, quod ad prolationem horum verborum a sacerdotibus, quibus solis creditum est tantum mysterium, tantaque concessa potestas, convertatur substantia panis in verum corpus Christi : illud utique quod sumpsit ex Virgine, quod suspendit in cruce, quod sedet ad dexteram
latth. majestatis paternæ. Similiter virtute ver-
1,27,28. borum Christi, vinum in sanguinem Christi convertitur. Corpus ergo Christi est in altaris hostia tale ac tantum, tam gloriosum et magnum, quale et quantum est nunc sedens in throno gloriæ in regno lætitiæ. Denique in pluribus locis et hostiis unum est corpus. Accidentia quoque sine subjecto consistunt. Nec incipit corpus Christi esse in altari per motum localem vel a cœlo descensum, sed per conversionem panis in ipsum. Idemque de sanguine ejus rite tenetur.

Porro, quum conversio panis directe respiciat Christi corpus tanquam conversionis transsubstantiationisque terminum, vini autem conversio, sanguinem ejus ; ideo directe, per se atque ex vi conversionis et sacramenti, sub hostiæ formis seu specie panis, solum Christi corpus consistit ; conformiter quoque sanguis dumtaxat sub specie vini continetur. Verumtamen, quum nunc realiter separata non sint caro Christi sanguisque ejus, anima quoque, personaque Verbi : ideo per concomitantiam naturalem, sub specie panis continentur sanguis et anima ac divinitas ipsa, id est perfectus et integer Christus ; et pariformiter sub specie vini sunt caro et anima ac Verbi persona.

Elucescit ergo quod hostiam sacram adorantes, idololatriam non committimus, quemadmodum excæcati nobis Judæi false imponunt. Non enim exhibemus latriæ cultum puræ creaturæ, nec adoramus corpus vel sanguinem Christi seorsum, sed sub utraque specie verum et integrum Christum, Deum omnipotentem hominemque perfectum.

Hæc est, o Philosophe, fides catholica : quam nisi quisque firmiter immobiliter-
A que servaverit, absque dubio in æternum peribit.

ARTICULUS II.

Admiratio Philosophi de benedicta atque sanctissima hostia altaris.

Philosophus. — Stupor tabefacit animam meam, et opprimit me admirationis magnitudo in his quæ dicta sunt mihi. Denique ad mentem reversus, non miror
B dixisse Averroem : Mundum circuivi, variasque leges conspexi ; sed tam stultam non reperi, ut est lex Christianorum, quoniam Deum quem colunt, dentibus devorant.

Theologus. — Nec ego miror hoc dixisse hominem suo ingenio innitentem, humanæ sapientiæ spiritu tumidum, et non tantum legem novam, sed veterem insuper blasphemantem. Denique et quidam ex discipulis Christi adhuc in mundo se- *Joann.* vi,
cum conversantes, isto audito sermone, 61, 67.
C abierunt retrorsum, dicentes : Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et jam amplius non sequebantur Christum. Vide ergo ne eos sequaris, ne simul cum eis damneris. Nos equidem cum principe
Apostolorum certissime scimus quoniam *Ibid.* 69.
verba vitæ æternæ habet qui ista dixit. Unde non hæsitamus diffidentia, sed firmissime novimus quoniam quæcumque dixit facere potest.

Philosophus. — Quid ergo faciam? Admiratio enim et incomprehensibilitas præ-
D sentis materiæ me penitus concutit.

Theologus. — Audi consilium. Admiratio oritur viso effectu, ignorata tamen causa : ut qui videt eclipsim vel solis vel lunæ, si causam non novit, vehementer miratur ; cognita autem causa, admiratio mitigatur. Sic nunc, si admirationis tuæ impetum moderari desideras, sic objectum tibi spectaculum ac præsentem Sacramenti contemplare effectum, ut causam mox profunde intendas, intuearis, agnoscas. Miratus es hominem Christum

proprium corpus consecrantem, propriis manibus illud discipulis porrigentem; sed rite considera quis et qualis est qui ista efficit, et in cujus potestate eadem ineffabiliter efficiuntur. Ipse nempe est Verbum Dei Patris æternum, Verbum incarnatum, Verbum per quod facta sunt omnia in cœlo et in terra. Denique hoc Verbum visibilia et invisibilia immensa virtute creavit, et omnia potestatis suæ imperio portat, sapientia sua gubernat, influentia sua conservat. Si hanc causam hujusque causæ virtutem sagaciter speculeris, admiratio tua (ni fallor) relevamen concipiet.

Joann. I, 3. — Hebr. I, 3.

Philosophus. — Necdum verba plene finieras, et ecce mitigationem admirationis interius sensi. Veraciter enim ita est, et naturalis ratio id dictat, quoniam quo potestas est major, eo difficiliora mirabilioraque efficit. Quumque divina potentia penitus infinita exsistat, mirum non est quin ejus effectus et opera omnem rationem omnemque comprehensibilitatem omnino transcendant. Verumtamen, quum quiescere velim, non me sinit naturalis quiescere ratio, et manifesta contra præsentem materiam argumenta.

Theologus. — Quidquid te movet palam propone. Quum enim ante testatus sim non posse fidem naturalis rationis superari industria, hoc mihi incumbit ut rationes tuas dissolvam, fideique veritatem defendam.

Philosophus. — In omnibus satisfacis mihi et plenissime probas. Lætanter itaque agam quod dicis.

ARTICULUS III.

Objectiones Philosophi contra Eucharistiæ fidem.

Philosophus. — (1) Quum conversio sit quædam mutatio, necessario terminatur ad aliquid. Id autem ad quod terminatur mutatio, per ipsam mutationem in esse constituitur : nam terminus mutationis, A per ipsam mutationem tanquam per viam esse acquirit. Nihil ergo converti potest in corpus præexsistens : neque igitur panis substantia in corpus Christi convertitur.

(2) Præterea, nihil distat a se ipso loco vel tempore. Si autem Christus est simul in cœlo et hostia, distat localiter a se ipso; temporaliter quoque, quoniam in cœlo permanet semper, non autem in hostia.

(3) Amplius, contradictionem implicat B idem corpus simul moveri atque quiescere. Sed si idem Christi corpus est simul in cœlo et in altari ac pyxide, uno tempore erit in quiete et motu.

(4) At vero, commensurari oportet loco locatum. Locus vero et locatum, ut Aristoteles probat, æqualia sunt. Non ergo potest integrum Christi corpus sub tam modicis formis cum dimensione perfecta locari et esse.

(5) Adhuc, *ubi* causatur ex loco, et ex diversitate locorum oriuntur diversa ubi, C tam secundum Aristotelem, gentilem philosophum, quam Gilbertum Porretanum episcopum, philosophum christianum. Diversitas autem ubi, arguit (ut Boetius tuus testatur) diversitatem locorum. Si ergo Christi corpus est simul in diversis locis, erunt diversa corpora, sicut diversa sunt loca et ubi.

(1') Præterea, sensus non fallitur circa sensibile proprium. Sed sensus judicat in altari esse panem et vinum, non carnem D et sanguinem. Imo, quum accidentia et actiones ducant in cognitionem substantiæ, quum in pane et vino consecratis perseverent accidentia et operationes panis et vini post consecrationem uti et ante, sequitur eamdem quoque remanere substantiam. Præterea, quum Christus sit veritas, non quærit in errorem inducere. Sed mutare et transsubstantiare substantiam, perseverantibus nihilo minus eisdem accidentibus et operationibus, est maximam errandi atque fallendi occasio-

nem afferre. Quum ergo secundum te in A hostia altaris sic fiat, non videtur hoc opus esse a Deo.

(2') Denique, si eædem operationes maneant ante consecrationem et post, consequens fit quod panis consecratus et vinum, si in magna quantitate sumantur, nutrire inebriareque possint. Hæc autem accidentalibus formis non conveniunt, quia ex eisdem nutrimur ex quibus sumus. Aut ergo Christi caro carnem alit sanguisque corpus inebriat, et per consequens resolveretur utrumque; aut certe sub speciebus B panis et vini non est tantummodo Christi corpus et sanguis, sed alia quædam substantia cibans et potans, ac resolutionem naturalem recipiens.

(3') Insuper, quum accidentis esse sit inesse, tam impossibile est accidens sine subjecto esse, quam impossibile est ipsum non exsistendo exsistere.

(4') Adhuc, subjectum est de ratione accidentis, ut Aristoteles probat. Eadem enim sunt principia essendi atque definiendi. Sed nihil esse potest sine eo quod est de C ratione seu definitione ipsius : sicut esse non potest homo sine perfectione rationali. Accidens ergo nequaquam esse valet absque subjecto.

(5') At vero, quum esse per se et esse per aliud, sint differentiæ entis, nihil esse potest nisi sit vel per se, id est substantia, aut certe per aliud, hoc est accidens. Nullatenus igitur accidens, per se, sine subjecti fulcimento, exsistere potest.

(6') Amplius, accidens individuatur per D substantiam : ergo a substantia separatum non habebit nisi esse commune ac universale. Tale autem esse, extra intellectum subsistere nequit. Non ergo esse potest accidens a subjecto separatum.

(7') Præterea, motus et fractio per nullam potentiam sine subjecto esse possunt, quum sint successivæ naturæ. Sed in hostia fractio quædam efficitur. Illa ergo in subjecto aliquo est, non autem in alio accidente, quoniam accidentis non est accidens; nec esse potest in corpore Christi, quod impassibile creditur.

Nunc ergo, Theologe, si ista dissolvere poteris, admirationem meam diminues, et fidem meam stabilies.

ARTICULUS IV.

Responsio Theologi ad prædictas instantias.

Theologus. — Quemadmodum secundum Aristotelem tuum, o Philosophe, ars imitatur naturam; sic secundum Aurelium nostrum Augustinum, natura imitatur artem. Nam, sicut ars atque scientia humana ex naturis rerum elicitur, et in naturalium entium cursu et lege ac ordine radicatur; sic natura creata cum omni sua proprietate et ordine, a divina arte, quæ omnium rerum exemplar est, idea et ratio, profluit et causatur : et hoc unicuique naturale vocatur, quod ei ars divina originaliter secundum propriam capacitatem largiebatur. Quicumque ergo opinantur ideo aliquid impossibile esse, quoniam naturalis ratio illud comprehendere nequit, et quoniam naturalis rerum ordo et cursus aliter continet, divinam potentiam ex naturali entium lege et proprietate determinare itemque metiri conantur : quod utique valde irrationabile est, ut in præcedentibus tibi ostendi. Virtus quippe divina quum prorsus immensa sit, illimitata atque liberrima, nequaquam ad hunc rerum cursum et ordinem determinatur; sed aliter et supernaturaliter agere potest. Et sicut prædixi, quum divinus intellectus sit prima omnis veritatis mensura, omniumque fontale principium; ideo omnis creatura conceptioni ac nutui divini intellectus obedit in cunctis quæ contradictionem non implicant. Propterea naturalem actionem et proprietatem potens est Deus rebus secundum actum auferre : ut quod ignis non calefaciat sibi adjunctum, vel coloratum etiam in die non immutet visum. Nam et in corporis glorificati potestate consistit, ut se viden-

dum aut non videndum exhibeat; et Do- A
Luc. iv, 30. minus noster Jesus Christus, transiens per medium illorum ibat, id est, invisibiliter Judæorum manus elapsus est, quoniam ipso volente, invisibilis ipsis fiebat. Hoc itaque velut præambulum dixerim.

Denique ad primam instantiam dico, quod virtus divina convertere potest unam substantiam in aliam actualiter præexsistentem. Quod qualiter fieri queat, adverte.

In duobus præsertim differt Deus a naturali agente. — Primo, quoniam naturale B agens, quum sit quasi instrumentum divinæ virtutis, utpote agens a primo agente actum atque directum, non nisi per transmutationem et motum agere valet. Deus autem sublimis et omnipotens, quum sit prima omnium essentiarum origo, sine motu intermedio agere potest solo imperio : et hinc dicimus, quod Deus non jam dumtaxat suscitare potest defunctos, sed etiam id quod omnino corruptum est, videlicet irrationalem bestiæ animam, idem numero ad esse reducere, occisamque be- C stiam suscitare. Hoc autem naturale agens non potest, eo quod non operetur nisi per motum : et quia motus qui transiit, idem numero repeti nequit, quia de intrinseca ratione motus est continuitas; ideo id quod omnino corruptum est, et in potentiam materiæ cessit, reparare non valet. Sed Deus hoc potest, quoniam sine motu agit, et de rei permanentis ratione continuitas non est.

Secunda differentia est, quod Deus attingit materiam, non solum ut est quanta D vel qualis, sed etiam ut est quid. Agens vero naturale non attingit materiam ut est quid, sed ut est quanta, et secundum quod transmutationis ac motus esse potest subjectum. Et inde consequitur quod Deus supergloriosus ac superomnipotens convertere potest unum in aliud præexsistens; non autem agens naturale. In operatione nempe naturali quum per motum aliquid producitur, oportet idem remanere transmutationis subjectum. Nam in ea id quod est potentia tale, fit actu tale : cujus factionis delativum subjectum exstat materia quanta. In operatione autem divinæ virtutis nihil horum requiritur. Ideoque conversio ista panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ceteris transmutationibus naturalibus oppositæ conditionis est. In illis enim manet idem subjectum, sed accidentia transeunt; hic vero substantia transit, sed accidentia perseverant.

Philosophus. — Si substantia panis transit, potius annihilatio quam conversio panis dicenda est.

Theologus. — Conversio, sicut et motus, a termino ad quem nomen speciemque sortitur. Quum ergo conversio panis non terminetur ad non esse, sed ad esse corporis Christi; non est annihilatio, sed conversio appellanda.

Philosophus. — Quid dicam ad hæc? In superioribus quum mortuorum resurrectionem audissem futuram, vehementer mirabar. Nunc autem multo mirabiliores mutationes audivi : ut quod rem omnino corruptam, eamdem numero Deus reducere possit, unum quoque exsistentium transsubstantiare in aliud. Verumtamen dictis pensatis, contradicere nequeo, eo quod infinita virtus in infinitum mirabilius, incomprehensibilius itemque secretius agere valeat, quam intelligere homo potest. Nunc ergo procede.

Theologus. — Ad secundam et tertiam objectionem respondeo, quod localis distantia ac motus localis sequuntur esse in loco. Sicut igitur res in loco consistit, sic localis distantia motusque localis ei competere possunt. Porro substantia rei secundum se accepta, indivisibilis exstat : nam per quantitatem et dimensiones divisibilis fit. Indivisibilia autem, secundum quod talia, nullam omnino ad locum habitudinem habent, sed per quantitatem dumtaxat comparantur ad locum : vel per quantitatem virtutis, ut angeli; vel molis, ut essentiæ corporum. Sicut denique unius rei non est nisi una natura specifica, sic non est ejus nisi una figura ac dimensio

propria. Et sicut unum corpus unam dun- A taxat dimensionem naturalem conjunctam et propriam habet, sic per se esse non potest nisi in uno loco, videlicet ratione dimensionis conjunctæ. Et ergo idem corpus, per se loquendo, distare non potest a se ipso, nec simul localiter moveri atque quiescere. Sed si in pluribus esse locis potest idem corpus propter causas diversas (sicut corpus Christi in cœlo est, ratione propriarum dimensionum, in hostia vero, ratione conversionis factæ in ipsum; et non determinatur ad locum, B prout in hostia est, per dimensiones proprias, sed aliqualiter propter dimensiones panis manentes) : sic per accidens idem corpus secundum unum modum exsistendi, distabit a se ipso secundum alium modum; sic etiam per accidens simul quiescere et moveri potest. Istud autem *per accidens* nullam substantialem distinctionem inducit.

Ad quartam dicendum, quod corpus Christi opposito modo est in loco sub hostia, et in cœlo, seu prout cetera corpora C esse dicuntur in loco. Naturaliter enim substantia, quum secundum se impertibilis sit, non ordinatur ad locum nisi per quantitatem : et ergo commensurantur atque æqualia sunt locatum et locus, eo quod pars loci correspondeat parti locati, secundum Aristotelem. Supernaturaliter autem ac divina virtute corpus Christi, ratione conversionis, primo et immediate ac per se ordinatur et exsistit in hostia. Quantitas vero ejus, mediante substantia, et naturali quadam concomitantia, in hostia est, D utpote quia subjectum suum non deserit. Ideoque, licet corpus Christi cum quantitate sua perfecta sub formis sit hostiæ, non tamen quantitative, commensurative vel circumscriptive in ea est, sed indivisibiliter, et vere indivisibiliori simpliciorique modo, quam substantia separata in loco esse dicatur. Substantia nempe separata, ut angelus, licet non sit in loco circumscriptive, quia incorporea est, tamen definitive est in loco : et sic est in uno, ut esse simul non possit in alio. Virtus enim ejus terminata est : ideo ubi operatur, ibi esse censetur. Christi autem corpus non ita definitur in hostia : imo simul et semel in tot locis esse potest, quot fuerint hostiæ in ipsum convertibiles. Unde consequens fit, corpus Christi prout esse habet sub specie panis, magis esse ignotum, quam sit essentia separatæ substantiæ : ad cujus agnitionem sic se habet, secundum Aristotelem, nostrum ingenium, quemadmodum noctuæ oculus ad radii solaris intuitum.

Philosophus. — Hoc ultimum verbum celeriter approbo; sed quo præsentem difficultatem profundius considero, eo plura pullulant dubia.

Theologus. — Quidquid te angit fiducialiter palamque induc.

Philosophus. — (a) Ex prædictis sequi mihi videtur, non solum sub modica hostiæ forma totum contineri Christum, sed etiam sub singulis partibus ejus. Quum ergo infinitæ sint partes continui, erit Christus in infinitis partibus hostiæ.

(b) Denique sequeretur nullum esse ordinem partium; imo ubicumque esset unum membrum, essent et singula; quod aliud non est nisi quædam confusio, quæ Christum, qui est fons sapientiæ, minime decet.

(c) Insuper, quum situs oriatur et causetur a quantitate, necesse est corpus Christi situm habere in hostia.

(d) Præterea, quomodo asseris Christum non circumscribi in hostia? Omnis namque creata substantia quum sit finita, incircumscripta esse non potest. Ubicumque ergo est Christi corpus, non incircumscriptum erit.

ARTICULUS V.

Responsio Theologi ad replicationes Philosophi.

Theologus. — Ea quæ objecisti, Philosophe, vera sunt pene in toto. Concedimus enim etiam in qualibet parte hostiæ to-

tum Christum consistere, sicut et anima est in qualibet parte materiæ.

Philosophus. — Quomodo potest hoc esse ?

Theologus. — Secundum præostensa, Christus non est in hostia nisi ratione conversionis. Modus ergo quo est corpus Christi in loco, parificatur modo quo fit conversio panis in ipsum. Sic autem convertitur panis in Christi corpus, ut solum quid convertatur in quid, non quantum in quantum : id est, sola substantia corporis panis convertitur in substantiam corporis Christi ; non autem quantitas vel accidentia panis convertuntur in quantitatem seu accidentia Christi. Sicut ergo sub qualibet dimensionis particula ante consecrationem continetur tota seu perfecta essentia panis, quia natura rei indivisibilis est secundum rationem specificam, nec habet substantia rei partibilitatem aut extensionem, quantitate semota ; sic post consecrationem, ubicumque exstiterat tota ac perfecta essentia panis, id est forma ejus atque materia, ibi post consecrationem est tota atque perfecta essentia corporis Christi, et per concomitantiam naturalem, sanguis, anima atque divinitas. Sed quum accidentia corporis Christi ab ipso realiter separari non valeant, ideo subjectum suum, id est corpus Christi, non deserunt. Oportet igitur ut ubicumque sit tota substantia Christi, illic esse dicantur omnia accidentia ejus, id est perfecta universorum organorum atque membrorum distinctio, habitudo et qualitas. Et hoc ex prædictis necessario sequitur. Nam ad esse locale sub hostia, primo et per se comparatur corporis Christi substantia, quæ indivisibiliter ibi est ; quantitas vero et accidentia cetera, mediante substantia. Et ergo, sicut ubique in hostia est tota Christi substantia, quæ secundum se extensionem non habet ; sic et quantitas ejus ubique est tota per concomitantiam, non ex vi sacramenti.

Philosophus. — Quid ergo ad objecta respondes ?

Theologus. — Ratio prima non procedit. Licet enim cujuslibet continui sint infinitæ partes secundum materiam, quoniam continuum divisibile est in semper divisibilia ; non tamen secundum speciem. Nam ut nosti, secundum Aristotelem, in rebus naturalibus est dare maximum et minimum. Sic ergo est dare tam modicam partem, quod in parte minori species panis salvari non posset. Quum ergo fertur corpus Christi in qualibet fore hostiæ parte, de parte secundum speciem accipi par est. Est autem pars rei naturalis secundum speciem, quæ operationem habere potest naturæ specificæ congruentem.

Ad secundum et tertium est una responsio : idem namque est partium ordo et situs. Dicendum est itaque, quod situs a quantitate causatur. Quantitas denique duo facit. Primo enim facit substantiam esse quantam : et sic est causa situs, qui est species quantitatis ; nam ut Aristoteles ait, quantitatum aliæ habent situm, aliæ minime. Secundo, facit quantitas rem esse locabilem ac loco commensurabilem : et tunc situs est speciale prædicamentum. Semper ergo situs ordinem quemdam partium dicit. Hic vero ordo duplex est. Unus est partium per comparationem ad totum : et hic ad genus quantitatis pertinet, secundum Averroem. Alius est ordo partium ad locum : et hunc ordinem situs designat, qui est, secundum doctrinam puerorum *, unum decem prædicamentorum. Corpus igitur Christi in hostia, situm et ordinem primo modo acceptum habet : est enim in ipso naturalis et debita habitudo ac ordo partium ad se ipsas. Ordo autem vel situs secundo modo dictus, Christo sub hostiæ formis non competit. Innotescit ergo nullam esse confusionem partium atque membrorum Christi sub hostia. Ordo enim eorum ad locum extrinsecum non est eis essentialis, sed per divinam potentiam separari potest ab ipsis. Et per hoc constat quomodo Christo sub hostia competat situs, et quomodo non.

* plurimorum *vel* Peripateticorum

Ad ultimum dico, quod Christus secundum naturam humanam definitur sub hostia substantialiter, quia omnis natura creata ubicumque sit, ad certum genus determinatamque reducitur speciem, et inter ea essentialiter definitur. Non tamen definitur corpus Christi sub specie panis localiter, quoniam non est sic ibi, quod alibi esse non queat : quod nunc dixi circumscribi in loco.

Cf. art. III, § 5. Enimvero ex his clarum efficitur quomodo Christo conveniant duo ubi. Nam ut ait Gilbertus, *Ubi* est circumscriptio corporis ex loci circumscriptione procedens. Nunc autem dictum est corpus Christi sub hostia non circumscribi localiter : non ergo proprie habet duo ubi.

Philosophus. — Nunc ad aliarum solutionem instantiarum progredere.

Theologus. — Hoc restat.

ARTICULUS VI.

Prosecutio responsionis Theologi ad objectiones Philosophi articuli tertii.

Theologus. — Porro objectionum nondum solutarum prima hæc est, quod sensus circa proprium sensibile nequaquam decipitur. Et ad hoc quidem respondeo, quod sensus in hostia sacra circa sensibile suum non fallitur. Est enim in hostia vera albedo, de qua judicat visus, verusque sapor, quem judicat gustus. Judicare vero de substantia rei sub accidentalibus formis contenta, non ad sensum, sed ad intellectum pertinet. Denique, secundum naturalem cognitionis ac investigationis processum, verum est accidentia in substantiæ nos perducere agnitionem. Ideoque naturali lumine scire non possumus sub speciebus panis et vini carnem et sanguinem Christi velari ; sed hoc fide innotuit. Nec sequitur quod Christus hominibus errandi occasionem præstiterit, tam inenarrabile atque arcanum sacramentum instituens ; quoniam sufficienti- A bus efficacissimisque argumentis ostendit se esse verum Christum, verum Dei Filium, verumque Deum : quibus notis et creditis, certissime confitendum est verum quidquid Christus edocuit, licet comprehendi non valeat.

Ad rationem sequentem respondet Doctor sanctus, quod sicut quantitati divina virtute confertur ut absque subjecto subsistere queat, sic etiam ei præstaretur ut earumdem actionum passionumque sit susceptiva, quarum ante conversionem sub- B stantiæ panis vel causa vel subjectum exstiterat. Si ergo ex hostiis consecratis quis aleretur, ex dimensionibus divina virtute substantiæ jam conversæ vicem supplentibus id ipsum contingeret. Et simile est si hostia resolveretur aut incineraretur. Nec hoc tam impossibile æstimetur : nam panis substantia quantitati adjuncta, nil divisibile vel per se consumptibile superaddit. Verumtamen Ægidius de Roma ponit, speciebus sacramentalibus consumptis, redire materiam. Utrumque autem C horum Deo utique possibile scimus.

Ad tertium dico, quod accidentis esse est inesse : nec sic, quasi accidens non habeat proprii generis esse atque essentiam, sed quia naturaliter a substantia in esse dependet, eique semper naturali quadam inclinatione innititur, quoniam a substantia causatur, conservatur ac individuatur. Sed quia quidquid causæ secundæ efficiunt, in primæ causæ virtute producunt ; ideo causa prima per se ipsam immediate excellentiorique modo facere po- D test in entibus, quæ naturaliter per causas secundas fiunt : nisi forte una causa secunda, intrinseca necessitate et essentiali ratione requiratur ad esse alterius, quemadmodum impossibile dicitur esse motum sine mobili. Constat ergo posse Deum immediate causare, conservare individuareque accidens, atque subjecti vicem supplere : et sic poterit accidens sine subjecto exsistere.

Ad quartum respondeo, quod definitio accidentis per subjectum, est definitio per

supplementum, videlicet per rem alterius prædicamenti, ut Aristoteles ait. Constat ergo non esse subjectum de ratione accidentis sicut est rationale de definitione intellectuque hominis. Ideoque sine subjecto ipsum esse non implicat. Habet autem accidens definitionem quoque proprii generis, scilicet per genus et differentiam, sine quibus intelligi nequit nec esse.

Ad quintum dico, quod distinctio entis in ens per se et ens inhærens, secundum naturalem aptitudinem, non autem secundum actualem exsistentiam, intelligenda est. Unde ad rationem accidentis non exigitur ut actu inhæreat, sed quod naturaliter ad inhærendum inclinatum sit : sicut etiam rationalis anima, quamvis naturaliter sit corporis forma, non tamen oportet ut (si esse debeat) corpus secundum actum informet, quum immortalis sit ; sed necesse est eam naturalem inseparabilemque ad corpus habere inclinationem.

Ad sextum nunc responsio data est. Dictum quippe est quod virtus divina vicem substantiæ suppleat, accidentique individualem exsistentiam donet.

Verumtamen [ad septimum] scire te convenit, o Philosophe, quod licet secundum fidem asseramus in Sacramento accidentia esse sine substrata substantia, sola tamen quantitas caret subjecto. Alia vero in ipsa tanquam in subjecto fundantur, ut albedo in superficie, et sapor ac alia in quantitate radicantur. Quantitas denique per se ipsam exsistit ac individuatur, et fractioni ac motui qui in hostia exstant, subjicitur. Hoc nempe rationabiliter accidit. Nam quamvis quantitas secundum communem rationem formæ non sit individualis, tamen in quantum est talis forma, habens videlicet ex propria natura situm et ordinem partium, per se ipsam est individualis et aliorum subjectum.

Philosophus. — Satis te fatigavi objectionibus meis, et tu quoque studiosissime A eas solvisti. Et certe, ut video, naturalis philosophia Christianis valde necessaria est ad defendendam fidem catholicam.

Theologus. — Ita est : nam propter nos datum est tuis philosophari. Denique, sicut Creatori creatura deservit ac paret, sic nostræ divinissimæ theosophiæ veritatique theologicæ, omnis naturalis scientia famulatur, itemque obedit. Rerum namque et scientiarum est habitudo conformis.

Philosophus. — In disputationibus alio- B rum fidei articulorum quasdam rationales persuasiones induxisti, quibus etsi fidem non demonstrasti, convenientiam tamen ipsius et rationabilitatem eleganter probasti. Desidero igitur ut circa præsentem quoque materiam idem efficias.

Theologus. — Quo præsens fidei nostræ de Sacramento assertio mirabilior est, eo rationi humanæ minus innititur. Verumtamen quod optas pro viribus tentabo et prosequar. Rationes autem quas inducam, non nisi in fidei fundantur articulis, ut C scilicet declarem quam recte et vere correspondeat fides Eucharistiæ ceteris fidei veritatibus ac fundamentis. Pium etiam exigunt auditorem.

Philosophus. — Age quod concipis. Dominus autem, cujus fidem eatenus diligis, protegis et honoras, reddet tibi vicissitudinem pro laboribus tuis.

Theologus. — Perfectus amor de mercede sua non cogitat ; sed hoc totum desiderium ejus est, ut honorem exhibeat, et quidquid boni poterit, dilecto suo com- D municet, nil aliud metuens quam dilectum offendere, vel separari ab eo. Nihilo minus agam quod postulas. Dominus vero meus, qui pro me mille passus est, cui invictissimi martyres veram atque condignam vicissitudinem rependerunt, faciet cum me inutilissimo servo suo (qui non compatior ei, nec ut dignum et justum est assequor eum, quippe qui in tempore pacis vincor a memetipso, et per gravia variaque peccata recedo ab ipso) sicut bonum est in conspectu suo.

ARTICULUS VII.

Rationabiles considerationes de Sacramento altaris.

Theologus. — Paulo ante, quum de plenitudine gratiæ Christi confabularemus, declaravi (si retines) quemadmodum illa vicissim infinita, interdum vero finita dicatur.

Philosophus. — Memini te dixisse etiam habitualem animæ Christi gratiam majorem esse gratia omnium simul Sanctorum, et quod plus amet Deus Christi humanam naturam, quam totum universum.

Theologus. — Optime recolis. Quumque veraciter ita sit, nihil (ni fallor) rationabilius, dignius justiusque consistit, quam ut Christus secundum quod homo, omnem reverentiam, honorem et gloriam quam potest, Deo Patri totique superbeatissimæ Trinitati rependat.

Philosophus. — Aliter vere gratus non esset.

Theologus. — Hoc autem excellentiori convenientiorique modo fieri nequit, quam per hoc quod indesinenter Deo in Missarum offertur solenniis sub specie panis.

Philosophus. — Unde hoc comprobas?

Theologus. — Summum Deo Trinitati
Ephes. v, 2. honorem et laudem exhibuit, quando semetipsum pro nobis in crucis patibulo Deo Patri hostiam vivam atque pro totius mundi peccato satisfactoriam, non ex debito, sed spontanee obtulit.

Philosophus. — Hoc ex fidei fundamentis consequitur, et ante evidenter innotuit.

Theologus. — Talem ac tantum honorem nunc indesinenter nullo modo verius aptiusque Deo impendere potest, quam in hoc quod incessabiliter Deo offertur per sacrum mysterium, qui est semel oblatus in pretium.

Philosophus. — Hoc mihi magis declara.

Theologus. — Sicut in passione sua pro
Is. LIII, 7. peccatis nostris oblatus est quia voluit,
Ps. LXVIII, 5. exsolvens quæ non rapuit, atque per hoc honorem Deo injuste sublatum eidem re-
A stituit; sic nunc quotidie in Missæ officio pro nostris offertur peccatis, ac per hoc omnium divinorum fit commemoratio beneficiorum, laudatur, adoratur et glorificatur divina majestas, peccata nostra confitemur, damnamus, deplangimus, peccatores Deo reconciliantur, et omnipotenti immensoque Deo debita reverentia exhibetur. Denique ipse Christus ut homo, propter propriam dignitatem Deum hac sua oblatione summe honorat, quum tam pretiosissimam atque dignissimam et vere
B divinissimam hostiam, utpote proprium corpus et sanguinem, Deo immolandam præstat, et in ea divinæ clementiæ, dilectionis et bonitatis memoriam renovat. Nempe, quo homo qui per carnis atque vitiorum mortificationem sese Deo creatori sacrificium hostiamque obtulerit, dignior, major, aut sæculo aptior fuerit, eo Deum vehementius veneratur, ac magis meretur. Qualiter ergo Christus ut homo Deum Patrem adorandum honorat, et nobis quoque (non sibi) meretur, dum se
C tam indesinenter in hostia sacra immolari sacrificarique jubet?

Philosophus. — Quum Christus passione sua pro mundi sceleribus plenissime satisfecerit, quid opus est eum quotidie pro hominum immolari peccatis?

Theologus. — Ubertim fassus sum tibi, quod licet Christus passionis suæ merito ac sanguinis pretio, pro peccato originali, imo et omni peccato. perfectissime satisfecerit quantum est ex parte ipsius; necesse est tamen ut meritum ejus nobis
D per applicationem quamdam communicetur atque præstetur. Hæc vero communicatio, licet in omnibus sacramentis Ecclesiæ fiat, potissime tamen in Eucharistia fit. Denique, quia indesinenter et quotidie Deum offendimus, hostia placationis incessabiliter indigemus.

Præterea, quo quis alium intimius amat, et item præcordialius diligit, eo sibi vicinius uniri desiderat. Si ergo pensemus quanta caritate nos Deus Dei Filius secundum divinitatem dilexit, nequaquam

mirabimur, sed dulcissime et affectuosissime amplectemur, quod per carnem assumptam nobis in Sacramento copulari desiderat. Amoris est autem ista proprietas, ut amantem jungat amato. Quoniam ergo Christus secundum divinam naturam nos in tantum dilexit, ut sibi naturam nostram in unitate personæ conjungeret, quia proximior unio esse non valet : quid miramur quod per naturam assumptam nobis tam propinque uniri cupit, sicut præsenti peregrinationi possibile exstat? II *Cor.* v, 7. Et quoniam nunc per fidem, non autem per speciem ambulamus, non potest nobis nunc Christus per speciem copulari. Propter quod restat ut per Sacramenti velamen se nobis nunc copulet.

Philosophus. — Certe sufficere potest unio per gratiam, et non exigitur unio ista Christi per essentiam.

Theologus. — Unio per gratiam quamvis vere supra omnia merita nostra posset sufficere, non tamen ardentissimo amatori hæc sufficit; nec ipsa perfecta est. Amplius autem, quo quis æstuantiori quempiam caritate complectitur, eo ipsi in omnibus potius auxiliatur, providet atque medetur. Quum ergo Christus secundum naturam divinam in tantum nos dilexerit, quod ad contemplandum, fruendum, possidendumque se nos fecerit (quod utique ad dulcissimam amicitiæ dilectionem veraciter pertinet), restat ut nobis sibi tam carissimis fidelissime, et ut tantam condecet caritatem, auxilietur, provideat et medeatur. Quum ergo sint, secundum præostensa, Christi sacramenta quædam medicinalia vasa, istud nullatenus perfecte fieri poterat, nisi in uno sacramentorum non solum gratia, sicut in ceteris, sed gratiæ insuper plenitudo gratiarumque fons vere contineretur. Ex hoc equidem gratia nobis copiosissime propinatur. Nam quo fonti quis magis appropiat, eo de rivis ipsius, quantum ex parte fontis est, exuberantius haurit.

Philosophus. — Quum unio sit caritatis effectus, divinæ dilectioni Christi in A Sacramento præsentia satis correspondet.

Theologus. — Adverte apertius. Quo amator perfectus dilecto suo beneficia plura impendit, eo digniorem ei dilectionis arrham et pignus, beneficiorumque memoriale relinquit dum ab eo recedit, quatenus dilectus gratus sibi exsistat. Quoniam ergo caritas Christi divina super nos, summa ac incomparabilis et vere incomprehensibilis exstitit, atque beneficia ejus omnem linguam ac rationem excedunt, congruebat ut Christus sponsam suam, B quæ est Ecclesia, corporali præsentia post ascensionem relicturus, efficax eidem itemque condignum dilectionis pignus, passionis memoriale, beneficiorumque arrham desereret. Elucescit autem quod nobilius memoriale, pignus seu arrha esse non valuit, nisi corpus ejus et sanguis, quippe quæ pro nobis assumpsit et obtulit, atque divinæ personalitati conjunxit. Prorsus ergo decebat sub sacramento isto mirabili, dominicæ nobis dilectionis, passionis et beneficentiæ meC moriam relinqui perpetuam.

Philosophus. — Libenter te audio, quoniam rationes istæ quanquam rebellem non cogant, dulciter tamen sonant, et rationabilem esse fidei traditionem insinuant. Nunc ergo procede.

Theologus. — Universa Ecclesiæ sacramenta ad futuram adipiscendam salutem ordinata institutaque sunt. Futuram autem beatitudinem adipisci nequimus, nisi in quoddam spirituale esse transferamur : et hoc in Baptismo contingit, in D quo denuo nascimur. Post adeptionem vero spiritualis consistentiæ, sicut egemus aliquibus spirituales morbos, id est peccata, curantibus; sic quoque egemus spirituali edulio, esse spirituale conservante, alente et roborante. Unum ergo sacramentorum cibus est animæ. Cibus vero non tantum virtualiter, sed substantialiter quoque vult uniri cibando. Quum ergo in Eucharistiæ sacramento Christus nobis per modum cibi præstetur, ideo substantialiter in eodem continetur.

At vero in lege naturæ, lege etiam scripta, varia erant holocausta, non per se efficacia, neque placentia, nec ultimate intenta, sed cujusdam futuri et veri sacrificii typus, signum atque figura : quod inde clarissime constat, quia gratiam non continebant, et eadem etiam idolis immolabantur a gentibus. Et quod Deus toties eadem in Prophetis reprobat (sicut scri-
Is. LXVI, 3. ptum est : Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum), certum est signum quod veteris legis hostiæ, ad veram hostiam per se ipsam efficacem atque placentem ac ultimate intentam, non alterius typum, ordinabantur. Talis igitur est hostia novæ legis, legis utique gratiæ. Sed nulla esse potest hostia talis, nisi corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi. Necessario ergo in nova lege corpus Christi et sanguis Deo sacrificantur.

Philosophus. — Ante te dixisse recordor, legem veterem a Deo donatam. Quomodo igitur modo testaris Deum illius sacrificia legis reprobasse?

Theologus. — Pro tempore bona erant. Sed quia signa erant veræ hostiæ, neque per se sanctificantia, nec sine fide Christi sufficientia; ideo reprobantur, ne videlicet Judæi in illis statuerent sibi salutem. Denique hoc tibi posterius clarius pandam. Intendo enim adhuc firmioribus stabilimentis fidem fulcire, et ad particularia ejus fundamenta magis descendere. Enimvero ostensurus sum tibi, quod sicut Eucharistiæ sacramentum est summe mirabile, sic a Deo tam evidenter, tam multiformiter, tamque singulariter declaratum, ut sit summe credibile, nec aliqua de veritate ipsius hæsitatio sit habenda.
Ps. CII, 14. Deus namque cognoscit nostrum figmentum, nec requireret a nobis tam incomprehensibilia credi, nisi plenissime atque aperte ostenderet se talium esse actorem.

Philosophus. — Hoc affectuose exspecto, promissionemque tuam lætanter suscipio.

Theologus. — Undique quærit Deus occasionem subveniendi atque salvandi. Quum itaque fides sit tanto amplius meritoria, quo minus comprehensibilis; ideo quoque Deus hoc Sacramentum tam mirabiliter instituit, quatenus nos credendo maximum meritum sortiamur, et etiam ut rationem nostram divinæ auctoritati omnino subdamus.

Porro finaliter addam quod in superioribus tetigi, non scilicet me comprehendere posse, quod Jesus iste quem colimus, tam incomprehensibilem doctrinam et fidem, præsertim autem de Sacramento, tradidisset, si a Deo non fuisset, sed se ipsum quæsisset. Omnes enim qui proprium honorem quærebant, sive hæretici sive legislatores pestiferi, a fidei difficultate, prout poterant, recedebant, ea docentes ad quæ homines amplius inclinantur, et quæ humanum intellectum non multum excedunt, quemadmodum intuentibus legem Mahometi, hæresesque Arii, Nestorii ac similium, constat.

Philosophus. — Hanc considerationem superius approbavi.

Theologus. — Adhuc unum formabo articulum, ex naturali consideratione pro viribus fidem Eucharistiæ comprobando esse possibilem itemque credibilem.

ARTICULUS VIII.

Deductio ostendens Eucharistiæ sacramentum credibile esse atque possibile, ex his quæ Deus naturaliter facit.

Theologus. — Eorum quæ fiunt, quædam naturaliter fiunt, nec ea miramur; quæ autem non naturaliter accidunt, admiramur. Sed nunc discutiamus subtili indagine, quæ horum secundum veritatem difficiliora majoraque sint.

Philosophus. — Quorum naturales rationes vel causas cognoscimus, ea mirari cessamus; quæ vero innaturali ordine fiunt, mirabiliora, difficiliora et majora merito perhibentur.

Theologus. — Jam nunc relinquamus istas differentias, naturale et non natu-

rale, et contemplemur effectus naturales A ac miraculosos seu supernaturales, in se ipsis; sicque pensemus qui horum difficiliores atque majores rite putentur. Naturale autem et non naturale, non sunt de ratione effectus, sed accidunt ei.

Philosophus. — Conceptum tuum eloquere.

Theologus. — Transsubstantiationem unius exsistentis in aliud præexsistens, quemadmodum in consecratione contingit, ante vehementer miratus es; et tamen, quum totius mundi creationem audisses, B miratus non es, eo quod naturali ratione creatio elucescat, quæ philosophis quoque quibusdam innotuit.

Philosophus. — Ita est.

Theologus. — Quid ergo difficilius opinaris, conversionem non entis in ens, vel conversionem unius entis in aliud? Omnis operatio atque conversio duos terminos habet, videlicet a quo, et ad quem; et quo terminorum major exstat distantia, eo major exigitur virtus ad operationem seu conversionem agendam atque explen- C dam. Quum ergo in creatione terminus a quo sit penitus non ens, quod utique ad terminum ad quem, qui est ens, quodammodo in infinitum distat; consequens est ut creatio majorem virtutem requirat, difficiliorque dicatur, quam quæcumque conversio sive mutatio quæ inter duos est terminos positivos non in infinitum distantes. Transsubstantiatio autem panis in corpus Christi terminos habet positivos, videlicet panem et corpus: quorum non est immensa distantia, quum uterque sit D pura creatura, et in uno prædicamento exsistens. Difficilior est ergo creatio, quam transsubstantiatio.

Philosophus. — Ex parte terminorum bene concludis; sed alia restant consideranda, videlicet quia repugnat rei exsistenti, ut in se ipsam aliud convertatur.

Theologus. — Hoc tibi superius improbavi.

Philosophus. — Memini te istud solvisse.

Theologus. — Audi lucidius. Si sciscitemur ab aliquo: Quid tibi difficilius videtur, unire quæ separatim exsistunt et sunt, vel ea quorum alterum nullum esse habet, aut certe quorum utrumque nihil est?

Philosophus. — Responderet, ut reor, facilius fore ea conjungi quæ exsistunt, quoniam minus distant.

Theologus. — In resurrectione defuncti quid fit, imo in ultima resuscitatione mortuorum quid fiet, nisi eorum conjunctio quorum utrumque exsistit? Rationalis equidem anima immortalis est, materia quoque inginita et incorruptibilis est. Quum ergo anima separata corpori reunitur, copulantur ea quorum utrumque præexstitit.

Philosophus. — Utique.

Theologus. — Quum homo generatur, uniuntur ea quorum aliud nullum esse præhabuit: quoniam ut Aristoteles asserit, in eodem actus non præcedit potentiam, nec forma naturalis esse habet extra vel ante materiam, quoad suam originem.

Philosophus. — Hoc omnes Peripatetici dicunt, non tamen Platonici. Ego autem Peripateticis prorsus consentio.

Theologus. — Amplius ergo miranda magisque difficilis est naturalis generatio hominis, in qua anima de non esse producitur, quam resuscitatio, in qua anima præexsistens corpori copulatur. Cur ergo mortuorum resurrectionem tantum miraris, et mundi creationem, imo rationabilium quæ quotidie creantur animarum productionem, surda aure pertransis?

Philosophus. — Quæ tibi objicere possem, ante soluta cognosco.

Theologus. — Locationem integri corporis Christi in angusto loco, in hostia, mirari non sufficis, et locationem totius mundi in nihilo non attendis neque miraris. Nempe, ut Aristoteles tuus testatur, extra mundum nihil est, nec tempus, nec locus, nec vacuum. Quid ergo fulcit, quid locat, sustentat conservatque orbem? — Præterea, elementorum ordinationem intu-

ere et situm. Si consideretur uniuscujusque natura secundum se ipsam, quid mirabilius quam firmatio terræ super aquas? quam aquarum conclusio, ne terram operiant? sicut de Deo scriptum est : Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Denique, qua proprietate descendit naturaliter ignis in generatione mixtorum? Hæc omnia Deus benedictus et felix semel instituit, et nunc usque immobiliter perseverant. Nonne æqualis virtutis est hæc semel fecisse, et indesinenter ita servare?

s. xxxii, 7.

Sunt autem et alia naturalia multa, quæ ratio sic esse convincit et invenit, modum tamen comprehendere nequit. Quis enim explanet quemadmodum materia et forma unam naturam efficiunt, quum sint primo diversa? quomodo etiam una cum dimensionibus ubilibet simul sunt? Porro, quis divinæ virtutis potentiam atque omnipotentis Dei imperium in totius mundi dispositione, in cœlorum rapidissima ac celerrima atque quotidiana revolutione, satis miretur?

PHILOSOPHUS. — In istis atque conformibus, Dei resplendet majestas.

THEOLOGUS. — Præter ista quæ naturali cursu peraguntur et ordine, Deus quædam sibi reservavit, quæ opportuno faceret tempore ad stabiliendum comprobandumque fidem : et hæc magis miramur, non quia vere majora, sed quoniam rariora. Quotidiana nempe Dei opera, non facilitate, sed assiduitate viluerunt. En quomodo modica pupilla, totius hemisphærii species recipit? Quomodo simul et semel innumerabilium pene rerum colores, formas figurasque suscipit? Quomodo quodlibet punctum coloris totum medium replet? Quomodo in eodem instanti radius solis ab oriente usque in occidentem diffunditur?

PHILOSOPHUS. — Talia plurima esse non ignoro, in quibus primi Opificis ineffabiliter splendet prudentia. Sed redeamus ad ea quæ fidei sunt.

THEOLOGUS. — De parva illa placenta ista tibi sufficiunt, an plura requiris?

A PHILOSOPHUS. — Hæc vice sufficiunt. Postmodum vero, uti spondebas, me plenius instrues.

ARTICULUS IX.

De angelorum custodia.

THEOLOGUS. — Docemur quoque, o Philosophe, singulis hominibus singulos esse deputatos angelos a conceptionis exordio, ut eos custodiant, a nocumentis præserB vent, ad bona instigent, et in his quæ ad beatitudinis adeptionem spectant, adjuvent atque provideant.

PHILOSOPHUS. — Secundum Peripateticos, intelligentiæ, quas tu angelos vocas, sunt loco et operatione immobiles : quomodo ergo ad humanam deputantur custodiam? Denique, secundum eosdem, intelligentiæ non multiplicantur nisi secundum numerum vel orbium, vel motuum eorumdem : non ergo singulis hominibus singuli deputati sunt angeli, quum hominum numerus, C tam cœlorum quam cœlestium motuum numerum valde excedat. Præterea, quomodo agunt in homines?

THEOLOGUS. — De numero, ordine et natura substantiarum separatarum, aliter loquitur fides catholica, quam naturalis philosophia. Sed nunc accipiamus unum punctum, et cetera posterius pertractemus.

PHILOSOPHUS. — Nunc de ipsa custodia disputemus. Quid itaque necessaria est homini ista custodia? Nonne ratio fide illuminata sufficiens est?

D THEOLOGUS. — Exigit ordo rerum, inferiora per superiora disponi ac regi. Quum ergo homo, ratione intellectualis quam sortitur perfectionis, cum angelorum natura communicet, atque ad eorumdem consortium ac felicitatis æqualitatem pertineat, prout ante ostensum est, ordinatissimum est homines angelorum directione gubernari, illuminari, juvari. Nec ratio cum fide sufficiens est, eo quod ab ultimo fine homo longissime distet, et propter adversas aerias potestates, propriamque fra-

gilitatem ac multa pericula, difficillime A ad eum pertingat. Unde angelica indiget ope, quæ adversarios nostros cohibeat, ne quantum desiderant atque possent, noceant, resistant, et tentent; gratiam quoque nobis procuret, ad bonum incitet nos, obsequium nostrum perficiat Deoque offerat.

Philosophus. — Quomodo gubernant atque illuminant nos? et an localiter descendunt ad nos?

Theologus. — Gratiam infundere et sapientiam creando præstare, solius est B Dei. Angeli vero nos gubernant, quia intellectum illustrant, intelligibiles ei species proponendo, itemque imaginativas formas in interiori sensu formando, ex quibus anima docetur, et quid operandum sit intuetur. Præterea dixi tibi, quod angelus illuc est ubi operatur, non circumscriptive, sed definitive. Ideoque angeli ad homines localiter veniunt, recedunt et redeunt, prout homo meretur, vel Deus disponit, vel ipsi decere agnoscunt.

Philosophus. — (1) Non intelligo quo- C modo angeli intelligibiles et item imaginarias species in nobis forment, proponant et imprimant.

(2) Præterea, quum sint spiritus immateriales et simplices, qualiter moveri possunt? Sicut enim agere et movere est formæ, sic moveri et pati ad materiam pertinent.

(3) Insuper, quum tanta sit angelorum virtus et sapientia atque solertia, mirum est homines posse errare, quibus tales ac tanti adsistunt custodes. D

Theologus. — Tria proponis. De quorum primo te tantum dubitare non decet, quippe qui in naturali sapientia tam eximius es. Nam et philosophi, tam Peripatetici quam Platonici, homines a motoribus orbium seu intelligentiis illuminari et dirigi adstruunt, licet singulis hominibus singulos præesse angelos non noverunt. Denique, sicut in libro Causarum dicitur, inferiores intelligentiæ vultus suos in superiorum lumina intelligentiarum projiciunt, atque ab eisdem docentur atque perficiuntur.

Philosophus. — Quum nostra cognitio a sensu oriatur itemque dependeat, quomodo ab angelis doceri potest intellectus humanus?

Theologus. — Hanc dubitationem Avicenna aliique naturales solverunt. Verum est equidem quod nostra cognitio originem habet a sensu; sed quum anima scientiis atque virtutibus fuerit adornata, tunc cœlestium illuminationum capax efficitur.

Philosophus. — An anima illuminationem ac intelligibiles formas ab angelo immediate atque in propria puritate recipit, an mediante corporeo aliquo medio?

Theologus. — Hæ quæstiones ad fidei necessitatem non pertinent, et sicut de eis varie senserunt philosophi, sic et theologi. Hoc autem palam, quoniam quod in corporalibus facit situs, hoc in spiritualibus efficit ordo. Quum ergo sit anima in umbra intelligentiæ condita, naturaliter utique ab ea illuminari potest; sed an mediante corporali vehiculo, vel spiritualiter influendo, an formas imaginativas formando, disputabile est. Verumtamen hoc certissime noveris, quia secundum fidem, etiam indocti, illitterati, pueri, imo infantes, vicissim divinitus spiritualiter supernaturali manerie illustrantur: quod de anima Christi ante innotuit, et de Joanne Baptista cognoscimus.

Philosophus. — Quoniam ea quæ fidei sunt pertractanda assumpsimus, de his te fatigare amplius nolo. Ad secundum ergo responde.

Theologus. — Quoniam grandis et nimium grandis nobis restat via, ea quæ per se atque directe ad fidem non spectant, celeriter percurramus. Ad secundum igitur dico, quod sicut angeli non habent materiam philosophicam, nec corpus sibi unitum, ita nec successivum temporalemque motum habent, sed in instanti moventur.

Philosophus. — Numquid ergo in eodem instanti sunt in cœlo et apud nos?

THEOLOGUS. — Nequaquam ; sed quum non sint puri actus, imo sint potentialitate permixti, moventur loco, non tempore discreto. Ponunt autem theologi tempus discretum, in quo sunt plura *nunc* vicissitudinata ac proxima : et sic, inter nunc quo est angelus in cœlo, et quo est in terra, est nunc medium in quo movetur.

PHILOSOPHUS. — De hoc plurima sciscitarer ; sed ob causam jam tactam postpono. Quid itaque ais ad tertium ?

THEOLOGUS. — Multos hominum deperire, imo salvari paucissimos, nec divinæ B providentiæ, nec angelicæ est custodiæ derogans. Nam quum sit homo arbitrii liberi, volens ratiocinansque, non decet eum a Deo vel angelo gubernante compelli aut necessitari, sed moveri et allici, semper nihilo minus propriæ electioni relinqui.

PHILOSOPHUS. — Pagani atque increduli universi, numquid et ipsi angelos singulos habent ?

THEOLOGUS. — Prorsus habent.

PHILOSOPHUS. — Ad quid, quum nihil prosint eisdem ?

THEOLOGUS. — Propter nostram malitiam non desinit bonitas Dei operari quod in se est, eamque decet, et entium ordo requirit. Ideo omnes homines angelos habent custodes : quoniam sicut naturaliter reguntur corpora mundana a supermundanis cœlorum corporibus, sic naturale est homines ab angelis gubernari. Porro, quod dicis hanc eis nihil prodesse custodiam, scito quod partim prodest, partimque (licet accidentaliter) obest. Prodest quippe, quoniam tam malus nemo esse D potest, quin ad minus per custodem angelum a multis retrahatur peccatis. Non enim in toto frustratur angelorum solertia, vel Creatoris intentio. Obest quoque per accidens, quoniam inde damnatio nostra gravior justiorque videtur, et peccata quoque enormiora, quod tantis ac talibus parere nolebamus custodibus.

PHILOSOPHUS. — Qualiter pareremus quos nec novimus neque audivimus ?

THEOLOGUS. — Hoc nostra est culpa, A quod non novimus eos. Ipsi nempe invisibiliter animæ nostræ loquuntur, exhortando monendoque eam. Nos autem exterius fusi, ad caduca conversi, in peccatis demersi, non advertimus neque sentimus eorum instinctum. Si vero quod in nobis est faceremus, eorum utique ope ad salutem pertingeremus.

PHILOSOPHUS. — Jam, si tibi videtur, de ordine angelorum et numero disseramus.

ARTICULUS X.

De numero angelorum et ordine.

THEOLOGUS. — Aliter, sicut disserui, de numero et ordine substantiarum immaterialium quas philosophi intelligentias, nos autem angelos appellamus, erudit fides, quam philosophia humana.

PHILOSOPHUS. — Sicut prætetigi, secundum summos Peripateticos, numerus intelligentiarum vel parificatur motibus qui C in cœlestibus sunt, [vel mobilibus,] ut tot sint intelligentiæ quot motus cœlestes, aut certe quot sunt mobilia. Nunc ergo declara quid christiana testetur doctrina.

THEOLOGUS. — In Propheta verissime scriptum est : Millia millium ministrabant *Dan.* VII, 10.
ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Quod de angelis et Deo cui adsistunt et ministrant, accipi par est.

PHILOSOPHUS. — Incomparabiliter pene excedit numerus iste angelorum, numerum a philosophis assignatum. Sed dic an numerus prætaxatus determinate designet multitudinem angelorum, an non ?

THEOLOGUS. — Hanc quæstionem Areopagita Dionysius solvit in libro de Hierarchia cœlesti. Nullo enim modo numerus iste complectitur multitudinem angelorum, sed in eo innuitur quod prorsus innumerabilis sit angelorum pluralitas. Scriptum quippe agnoscimus : Numquid est *Job* XXV, 3.
numerus militum ejus, id est angelorum Dei ? Denique dixi tibi, singulis præesse hominibus angelos singulos : qui tamen

omnes de novem angelorum ordinibus infimum chorum constituunt, ut Dionysius docet et probat. Ad minus ergo tot sunt de infimo ordine angeli, quot nunc in universo mundo homines sunt : et forte multo plures exsistunt. Certum autem opinor jam actu plures esse homines in mundo, quam numerus tibi inductus contineat. Plures igitur sunt de infimo ordine angeli, quam millia millium, et decies millies centena millia.

Philosophus. — Quot ponis ordines angelorum ?

Theologus. — Deo revelante, non homine indagante, scimus quia novem sunt, videlicet : Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim.

Philosophus. — Cur dicta sunt millia millium ministrare, decies vero millies centena millia Deo adsistere ?

Theologus. — Quanquam omnes angeli sancti intima Dei visione feliciter perfruantur, quidam tamen ad ministeria exteriora mittuntur : et hi ministrare dicuntur, quamvis et ipsi Deo adsistant. Qui vero ad exteriora non mittuntur agenda, appropriate perhibentur adsistere, quoniam ad inferiora nunquam descendunt.

Philosophus. — Quum omnes angeli qui hominibus præsunt, de infimo choro sint, videtur quod soli infimi ordinis angeli administrent.

Theologus. — Angelorum ministerium non tantum consistit in custodia hominum, sed in aliis multis. Sed quoniam hoc tibi evidenter pandere nequeo, nisi cœlestium hierarchiarum angelorumque ordinum distinctionem ac proprietates posuero, ideo hanc quæstionem in sequenti articulo declarabo. Nunc vero id tantum perhibeo, quod de pluribus choris quam uno mittuntur.

Philosophus. — Dilationem hanc æquanimiter fero. Unum autem interrogo : suntne numero pares, angeli singulorum chororum ?

Theologus. — Non.

A Philosophus. — An plures continentur in inferioribus choris quam superioribus?

Theologus. — Secundum sacratissimum, divinissimum ac theologicissimum Dionysium, quo fuerit in cœlestibus hierarchiis ordo superior, eo plures in ipso angeli continentur : sicque descendendo, semper chorus inferior pauciores continet angelos. Et huic positioni S. Thomas consentit.

Philosophus. — Secundum hoc, angelorum numerus prorsus omnino inæstima-
B bilis exstat.

Theologus. — Verum est quoad nos. Verumtamen non dumtaxat Deo, sed omnibus insuper Beatis in patria certissime agnitus est omnium qui in cœlis sunt angelorum ac hominum numerus.

Philosophus. — Hoc ipsum ante probasti, quum de felicitate disputabamus Sanctorum. Sed parum tibi objicio. (1) Nam, ut Aristoteles arguit, conformis est numerus motorum atque mobilium. Quum itaque intelligentiæ motores sint orbium, non
C multiplicantur ultra orbium numerum, vel motuum eorumdem.

(2) Præterea, ordo rerum connexionem sortitur, et non multiplicantur entia, nisi secundum exigentiam ordinis universi. Non ergo multiplicantur substantiæ separatæ, nisi ut exigit ordo cœlestium orbium, qui cum eis connexi sunt.

(3) At vero, quo aliqua a primo ente minus recedunt ac distant, eo simpliciora sunt et minus multiplicantur. Distantia vero a primo, compositionis est ratio, et
D multitudinis diversitatisque causa. Sequitur ergo, quod quo in cœlis fuerit angelorum chorus Deo vicinior atque sublimior, eo pauciores in ipso contenti sunt angeli.

Theologus. — Tres rationes introduxisti : quarum est prima Aristotelis, secunda Rabbi Moysis, tertia autem Platonis. Porro rationes istas dissolvere facile est. Nam Aristoteles personaliter contestatus est rationem suam probabilem esse ac topicam, non autem demonstrativam. Itaque

ad eam cito respondeo, quod inferiora or- A dinantur ad superiora, non autem econtra. Quum ergo substantiæ separatæ cœlestibus sint præstantiores mobilibus, ipsæ finaliter ordinatæ non sunt ad sphæras cœlestes. Unde non oportet eas parificari numero orbium, neque motionum cœlestium. Denique de ratione essentialique proprietate intelligentiæ non est movere orbes, vel mediante orbe in hunc mundum influere. Quamvis ergo motores cœlorum ipsis mobilibus pares sint in quantum motores, non tamen intelligentiæ. B

Ad secundam quoque dicendum, quod intelligentiarum connexio ad orbes cœlestes non est essentialis, imo sine orbibus et esse et agere possunt, nec sunt ordinatæ ad orbes finaliter, sed concomitanter, sicut principale agens ad instrumentale. Verumtamen species universi instar numerorum connexæ sunt secundum naturalium gradus perfectionum.

Porro tertia ratio magis ponderanda est, quoniam propter eam B. Gregorius asserit in altioribus angelorum ordinibus pauci- C ores esse personas seu angelos. Sed hoc ad fidem non pertinet, an plures an pauciores sint in altioribus choris. Nihilo minus magni Dionysii positionem salvando, cui utique magis consentire oportet, dicendum quod ratio ista necessaria non est, nisi ad hunc sensum quod angeli Deo viciniores, sunt simplicioris essentiæ, quia plus habent de actu, et minus de potentialitate admixtum. Non tamen oportet ut numerus personarum sublimiorum chororum, minor sit numero angelorum D chororum inferiorum. Et hoc rationabiliter dicitur. Quum enim in Deo instituta sit mundi molitio, ut in rebus creatis resplendeat divina perfectio, decet ut prima ac summa in ordine vehementius multiplicentur, quatenus per hoc divina perfectio in entibus excellentius elucescat.

Philosophus. — Nunc juxta promissum, de distinctione ordinum angelorum prosequere.

ARTICULUS XI.

De ordinibus atque hierarchiis cœlestibus.

Theologus. — Revelante Spiritu veritatis, novem esse ordines angelorum agnoscimus. Tres vero sunt hierarchiæ angelicæ, quarum unaquæque tres in se ordines habet.

Philosophus. — Ne infructuose loquamur, primo mihi definias quid sit ordo, quid etiam hierarchia.

Theologus. — Ordo angelicus prout nunc de eo colloquimur, est multitudo cœlestium spirituum in aliquo speciali gratiæ dono communicantium. Hierarchia vero est sacer rationalium personarum principatus per gradus, actus, gratias atque officia ordinata distinctus.

Philosophus. — Jam singulorum ordinum proprietates declara.

Theologus. — Quilibet ordo angelicus ab illa perfectione seu gratia denominatur, quam speciali appropriatione sortitur. Porro primæ hierarchiæ ordines sunt Seraphim, Cherubim, Throni. Quorum distinctio secundum tres actus ad fruitionem pertinentes accipitur, qui sunt dilectio, cognitio, tentio seu comprehensio. Seraphim itaque nomen Hebraicum est, et incendens seu calefaciens interpretatur. Hoc igitur nomen designat quod angeli primi chori æstuantissimo omnipotentis Dei ardent amore, ceterosque angelos divina dilectione inflammant. Præterea Cherubim, quod item Hebræum vocabulum est, scientiæ plenitudo interpretatur : innuitque angelos ordinis secundi, singulari fulgere claritate scientiæ, et in omni splendore atque acumine sapientiæ esse præcipuos. Throni autem ideo dicti sunt tertii primæ hierarchiæ ordinis angeli, quia Divinitatis sedes sunt. Nempe ad Deum in se recipiendum atque tenendum familiariter sunt aperti, ut propter vicinitatem quam habent ad Deum, in eis Deus sedere, ac per eos judicia sua perhibeatur disponere.

Philosophus. — Quum prædicti tres actus ad fruitionem pertinentes, omnibus sint Beatis communes, cur ab eis primæ hierarchiæ ordines appellantur ?

Theologus. — Non proprie denominantur ab ipsis actibus, sed ab excellentiis actuum prædictorum. Seraphim namque non ab amore, sed ab excessivo amoris ardore, nomen sortita sunt. Sic Cherubim, ab eminenti scientiarum acumine nuncupantur. Denique, licet in supernis ordinibus sint quædam universis communia, quilibet tamen ordo, ab eo quod sibi completive et singulariter convenit, dicitur.

Philosophus.—Quo quis Deum ardentius diligit, eo utique eum profundius clariusque cognoscit, præsertim in cœlo, ubi habetur de Deo distincta cognitio. Quum ergo Seraphim Deum ferventius ament, videtur quod eum clarius noscant. Non igitur Cherubim ab excellenti plenitudine cognitionis divinæ nomen accipiunt.

Theologus. — Fateor quod Seraphim lucidius Deum cognoscunt quam Cherubim. Nihilo minus duplici ratione dicta sunt Cherubim, ab eminenti scientia : primo, quoniam donum sapientiæ familiarius receperunt, et in ipsis, ceteris ipsorum donis præfulget ; secundo, quoniam quum scientiæ plenitudinem habere dicuntur, comparatio hujus excessus respectu inferiorum ordinum quos illuminant intelligenda innuitur.

Philosophus. — Nunc si libet, ad mediam hierarchiam progredere.

Theologus. — In ea quoque tres ordines sunt, videlicet Dominationes, Virtutes, Potestates : quorum proprietas, itemque distinctio, per comparationem ad exterius ministerium mundique regimen sumitur : sic tamen ut in eis illimitata virtus ad mundi dispositionem intelligatur. Porro, ad regimen boni communis tria exiguntur. Primum est ut sit aliquod dirigens circa agenda et imperans ea. Secundum est efficacia exsequendi dirigentis imperium. Tertium est impedimenta repellere quæ bono pacis sunt adversa. Horum itaque primum pertinet ad Dominationes ; secundum ad Virtutes, quibus ob vigoris fortitudinem, miraculorum adscribitur actio ; tertium ad Potestates, quibus competit dæmones cohibere, aeriasque malignitates arcere, ne tantum obsistant noceantque hominibus, quantum et possent et vellent.

De his sic ait octavo Cœlestis hierarchiæ capitulo divinus Dionysius : Dominationes dicuntur, quoniam ab omni indecenti servitute et subjectione sunt liberæ, atque ad principem luminum, fontem omnis principatus et vitæ, a prima hierarchia immediate sursumactæ. Nec ulla queunt violentia premi ; sed indissolubilem atque eminentem supra subjectos sibi spiritus sacros angelicos dominationem adeptæ sunt, per quam ad divinæ dominationis imaginem subjectos confirmant, et per deiformes inditas sibi gratias, inferiores sibi assimilant, atque ad deiformem imitationem perducunt. Porro nomen sanctarum Virtutum, infatigabilem virilemque designat inesse fortitudinem essentiis ordinis hujus, ad efficiendum omnes operationes fortissimas ordini suo congruentes ; nec in aliquo imbecilliter infirmatam, sed in deiformem imitationem potenter reductam, et item sibi subjectos ad supersubstantialem Dei virtutem ordinatissime convertentem. Porro nomen Potestatum cœlestium, ordinariam declarat spirituum hujus ordinis potentiam ad influxiones divinas inconfusibiliter participandas, atque ad communicandas præstitas sibi bonitates infimæ hierarchiæ, ad ampliorem Divinitatis amorem atque notitiam eam erigendo.

Præterea infimæ hierarchiæ ordines potestatem limitatam habent : vel ad unam provinciam, et sic sunt Principatus ; unde spiritus de primo ordine ultimæ hierarchiæ, regnis atque eorum principibus præsunt. Vel ad unam personam. Quod dupliciter accidit : quia id quod circa personam exercent, vel pertinet ad bonum commune, licet per actum personæ compleatur :

et sic sunt Archangeli, qui præcipua nuntiant. Aut id quod circa personam efficiunt, ad personam singulariter pertinet : et sic sunt Angeli quasi minima nuntiantes; et singuli eorum singulis præsunt hominibus.

Philosophus. — Ex determinatione inducta responsum mihi intelligo ad quæstionem qua petebam, qui angeli mitterentur.

Theologus. — Quid ergo putas?

Philosophus. — Te potius opto audire.

Theologus. — Elucescit ex præhabitis, B quod ordinibus inferioribus quandoque ministrare seu mitti conveniat; adsistere vero, tribus primis ordinibus. Dominationes autem quasi medio modo se habent, et cum utrisque communicant.

Philosophus. — Ex hoc sequi videtur quod plures mittantur quam adsistant.

Theologus. — Secundum Gregorium ita est. Sed secundum Dionysium, qui ait nobiliora in entibus vehementius multiplicari, oppositum est tenendum. Nempe secundum eum, plures sunt Archangeli quam C Angeli, plures Principatus quam Archangeli, plures Potestates quam Principatus : sicque ascendendo, multitudo ordinis Seraphim ordinem Angelorum in personis multum valde excedit, et forsitan plures continet quam duo infimi ordines. Huic quoque positioni magis consentiendum opinor.

Philosophus. — Quum secundum dicta a te, quidam homines in præsenti vita tantæ gratiæ atque excellentiæ fuerint, ut minima nuntiarent ut Angeli, vel magna D sicut Archangeli; vel regnis præessent ut Principatus, dæmonibus imperarent ut Potestates, miracula facerent sicut Virtutes, ceteris formam seriemque gubernandi præstarent quemadmodum Dominationes, Deum in se susciperent ut Throni, scientia quoque fulgerent ut Cherubim, atque caritate fervèrent ut Seraphim : cur etiam non omnia ista eidem angelico ordini eidemque angelo insunt et competunt?

Theologus. — Etiam universa prætacta A eidem possunt angelo convenire, multo utique excellentiori potentiorique modo, quam alicui viatori. Etenim, qui minor *Matth.* XI, 11. est in regno cœlorum, id est infimus angelorum, major est illo, id est Joanne Baptista, quo sanctior nemo inter natos *Ibidem.* mulierum surrexit. Unde innotescit novissimum angelorum eminentiorem prorsus exsistere perfectissimo viatorum, quamdiu in via est.

Philosophus. — Si ita est, quomodo distinguuntur per hæc ordines angelorum?

Theologus. — Quia unusquisque eorum aliquod prædictorum ex propria ratione specialique modo sortitur. Nihilo minus unus angelus virtute alterius et per participationem doni superioris, agit quod superioris est.

Philosophus. — Multa mihi dixisti quæ mihi dubium ingerunt, et de his plenius certificari concupio.

Theologus. — Compendiosius quo vales ea propone.

ARTICULUS XII.

Inquisitio Philosophi circa præinducta, et de actionibus hierarchicis, ac aliis quibusdam utilibus dubiis.

Philosophus. — Qualis est ista ordinum angelicorum distinctio? Numquid per essentiales differentias tradita est?

Theologus. — Quid quæris modo? Quis enim in vita præsenti essentiales differentias substantiarum separatarum cognoscere potest? ad quarum notitiam sic se habet intellectus noster, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, secundum Aristotelem tuum.

Philosophus. — Arbitraris ergo non posse hominem in hac vita ad cognitionem essentiæ substantiarum separatarum pertingere?

Theologus. — Quid hoc attinet ad præsentem indaginem? Hoc autem dico, quod earum per essentiam seu ultimatam dif-

ferentiam cognitio, præsenti est statui vel impossibilis aut certe difficilis. Denique, sicut de hac quæstione inter gentiles philosophos dissensio est, sic et inter philosophos christianos, imo inter viros præcipuos valde catholicos.

Philosophus. — Opto tamen audire a te quid tu ipse magis existimes.

Theologus. — Viri doctissimi S. Thomas et Ægidius de Roma asserunt, nos non posse hanc cognitionem naturaliter adipisci. Verumtamen vir valde præcipuus, et in Peripateticorum omniumque antiquorum philosophia multum edoctus, Albertus, oppositum censet. Cui magis consentio, præsertim propter duo : primo, quoniam omnes pene Peripatetici meliores, videlicet Avicenna, Averroes, Algazel, Alexander, Avempote, Alphorabius quoque, hoc adstruunt, licet in modo ponendi non concordent. Secundo, quia principalis Thomæ et Ægidii ratio, utpote quod intellectus noster nihil intelligere sine phantasmatis præintuitu possit, mihi insufficiens apparet : nam et prædicti philosophi eam plene solverunt. Nec enim valere videtur : quoniam ea supposita, naturali ratione demonstrari non posset immortalitas animæ rationalis. Si enim sine speculatione phantasmatis nil prorsus contemplari valemus, omnis utique actio animæ, etiam intellectiva et summa, a corpore dependeret, nec sine ejus ministerio fieri posset. Quod autem sine alio operari non potest, nec sine ipso subsistere valet, ut Thomas quoque concedit. Non ergo sine corpore anima esse posset.

Sed ad hoc isti respondent, quod anima separata habet alium modum essendi extra corpus, quam in corpore, et per consequens alium modum intelligendi : et sic sine corpore consistere potest. Hæc autem solutio præsupponit quod erat probandum, utpote animam posse separari : quod nihilo minus probant, potissime per hoc quod intellectus abstrahit ab hic et nunc, et in sua operatione perficitur per recessum a materia, et ita sine corpore agere A potest. Hæc autem ratio atque consimiles nihil convincunt, si intellectus sine phantasmate in hac vita intelligere nequit. Diceret enim quispiam, quod quantumcumque intellectus abstrahat, semper tamen ad phantasma dependet quod* inorganica consistat potentia, et sic nulla in anima actio apparet, quæ a materiali virtute et forma libera sit : et ergo ex nulla animæ operatione immortalitas ejus pateret. Operatio enim arguit formam, et ex qualitate agendi pervenimus ad agnitionem substan-B tiæ rei. Denique de hac materia latius disputarem, si ad propositum pertineret.

* quamvis

Philosophus. — Difficultas ista, ut optime novi, hinc inde probabilis est. Sed revertamur ad intentum. Ordinum ergo angelicorum distinctio, per accidentales differentias ac proprietates est data.

Theologus. — Ita est.

Philosophus. — Ponunturne accidentales istæ differentiæ loco essentialium differentiarum ?

Theologus. — Non. Imo, quamvis essen-C tiales angelicorum ordinum differentias distincte sciremus, non tamen per eas traderetur distinctio ordinum.

Philosophus. — Quare ?

Theologus. — Quoniam in definitione ordinis positum est, quod in eodem munere gratiæ conveniant qui ejusdem sunt ordinis : quod etiam ex definitione hierarchiæ in præcedenti articulo posita constat. Gratia autem ad essentialem differentiam, perfectionem vel distinctionem non pertinet.

D Philosophus. — Distinctio rei per essentialia potior est quam per accidentalia : ergo distinctio ordinum angelicorum magis accipienda est secundum gradus donorum naturæ, quam munerum gratiæ. Præterea, spiritus angelici, seclusa gratia, adhuc ordinem haberent ac ordinatam connexionem ad invicem, sicut species universi.

Theologus. — Sicut ostendis, distinctio ordinum angelicorum est inchoative radicaliterque a natura, seu secundum natu-

rales angelorum differentias; completive tamen est a gratia naturam informante ac perficiente. Quum enim sit hierarchia sacer principatus, intentio cujuslibet personæ hierarchicæ est, et se et sibi subjectos, ad primum Principem, omnis regiminis fontem, ordinate reducere : hæc autem reductio non nisi per gratiam fit, sicut et ultimus finis, videlicet fruitio Divinitatis, supernaturalis exsistit.

Philosophus. — Distinctio rerum a summis earum proprietatibus operationibusque sumenda est : sed nuntiare minima, non videtur summa proprietas Angelorum, sicut nec dignissima actio Archangelorum est maxima intimare, et ita de aliis. Non ergo ordinum est convenienter assignata distinctio.

Theologus. — Palam est quod nobiliores proprietates actionesque habent, secundum quod beati sunt, Deo fruentes, nec unquam ab intimis recedentes, quam officia quæ forinsecus exhibent. Sed per illas non sortiuntur rationem hierarchicam, nec mutuam in principiando ac influendo subalternationem. Ideoque distinctio ordinum per dignissima datur angelorum officia, prout hierarchicam proprietatem participant.

Philosophus. — Secundum dicta a te, mundus iste quoad præsentem peregrinationis statum cessabit : tunc itaque annuntiatio atque prælatio ista, dæmonum quoque coercitio, miraculorum actio, desinent. Ergo et ordines angelici, qui per hæc distinctionem adepti sunt, tunc cessabunt.

Theologus. — Quoad hoc cessabunt, quod non habebunt operationes tales quales jam habent. Non tamen cessabunt secundum substantiam, neque simpliciter : quia nec ratio ordinum in sola exteriori administratione consistit, sed etiam in mutua purgatione, illuminatione ac perfectione, ac subordinatione, quemadmodum S. Dionysius plenius edocet. Denique, licet tunc ipsum exterioris ministerii opus cessabit, non tamen virtus et gratia,

A per quas ad opera idonei (quantum in ipsis est) permanent.

Philosophus. — Quum juxta præhabita, omnes angeli sancti divinam contemplentur essentiam, quid eis necessaria est illuminatio mutua? Rursus, quomodo purgantur, in quibus immunditia nulla est? Quomodo demum perficiuntur a se invicem, quum omnes ex divina fruitione perfecti beatique sint ? Insuper, quum amor et cognitio ad fruitionem seu felicitatis essentiam quæ a solo Deo est, spe-
B ctent, quomodo ais unum angelum ab alio ad ampliorem Dei notitiam atque amorem perduci ?

Theologus. — Tres esse noveris actiones hierarchicas, scilicet purgationem, illuminationem, perficientiam. Ordo enim hierarchicus in omnibus angelis est, ut a superioribus inferiores purgentur, illuminentur, ac perficiantur. Hæ autem operationes tam active quam passive acceptæ, non attribuuntur angelis quoad ea in quibus essentialis eorum beatitudo con-
C sistit : omnes namque immediate, secundum propriam capacitatem, divinam cernunt essentiam. Sed quoniam jam ante palam declaravi, quare et quomodo non omnes Beati Deum videndo, æque multa in ipso de divinis effectibus, occultisque mysteriis atque divinorum operum rationibus recognoscunt, sed superiores angeli, horum plura in Verbo Dei vident quam inferiores : ideo de istis unus alium docet, prout hierarchiæ intentio exigit.

Porro, ad doctrinam tria concurrunt, vi-
D delicet ignorantiæ expulsio, luminis influxio, et ipsa cognitio. Propter primum horum, unus angelus purgare alium dicitur, non ab impuritate vel culpa, sed sicut Dionysius ait, a nescientia minorationeque luminis. Propter secundum, unus alium illuminat. Propter tertium autem, et perficit. Et per hoc, omnes tuæ instantiæ, ultima dempta, solutæ sunt. Dicendum autem ad ultimam, quod amor et cognitio ex unione ad Deum procedentes, sunt de substantia beatitudinis. Est autem

et amor atque notitia Dei ex divinorum A consideratione effectuum manans, et præmium accidentale concernens : et quoad hos, docet atque inflammat superior inferiorem.

Philosophus. — Hæc tua responsio naturali philosophiæ pulchre concordat. Nam ut in libro de Causis dicitur : Intelligentiæ inferiores projiciunt intellectuales suos vultus in lumina intelligentiarum ordinum altiorum, et docentur ab eis.

Theologus. — Verum dicis. Denique scias quod secundum divini Dionysii dogma B, angeli primæ hierarchiæ cognoscunt divina mysteria et effectus in ipso divinæ lucis fulgore ; angeli vero secundæ hierarchiæ, in universalibus rationibus rerum et formis a prima hierarchia sibi influxis ; angeli autem infimæ hierarchiæ, in rationibus speciebusque rerum particularioribus, ac magis divisis et plurificatis : unde formæ intelligibiles eorum nostro sunt intellectui amplius proportionatæ.

Philosophus. — Hoc nihilo minus in libro C de Causis habetur, quoad duo ultima puncta. Sed quæro, utrumne etiam angeli ordinum primæ hierarchiæ se invicem illuminant ?

Theologus. — Utique. Ubi agnoscis quod triplex assignatur angelorum distinctio, secundum magnum Dionysium. Una est hierarchiarum ab invicem ; secunda, ordinum ejusdem hierarchiæ ; tertia, angelorum ejusdem ordinis : in quolibet equidem ordine sunt angeli primi, medii, et ultimi. In his igitur omnibus semper superior D inferiorem potest docere. Denique anima Christi, propter unionem cum Verbo, summos ac primos illuminat angelos.

Philosophus. — Cur ergo dixisti primæ hierarchiæ angelos in ipso divinæ claritatis splendore immediate divinos effectus conspicere ?

Theologus. — Quia plura in Deo cognoscunt quam ceteri, et quoniam Deo dicuntur adsistere, inferioresque hierarchias perficere.

ARTICULUS XIII.

Investigatio Philosophi, quomodo angeli tam boni quam mali, singulares actus et circumstantias hominum cognoscere queant.

Philosophus. — Dubitatio insuper mihi exoritur. Si enim angeli hominibus per custodiam præsint, oportet quod omnia quæ circa homines accidunt sciant, et individuales quasque proprietates ipsorum cognoscant. Quomodo itaque hoc esse possit non video.

Theologus. — Ad hoc quidam diversimode respondent. Sed illa omitto, et nunc tecum suppono quod angeli incorporei sunt, et materiali sensu carentes : propter quod cognitionem a rebus visibilibus accipere nequeunt. Nec etiam sufficit fidei nostræ Avicennæ positio, qui licet salvet intelligentias singularia posse cognoscere, salvare tamen non potest neque concedit quod Deus vel intelligentiæ seu angeli singularia noscant secundum hic et nunc, ceterasque individuales conditiones ac circumstantias.

Philosophus. — Quid ergo respondes ?

Theologus. — Formæ intelligibiles quas angeli habent, ab ideis divinæ mentis procedunt, idealiumque formarum virtutem proportionabiliter servant et continent. Sicut ergo Deus per ideas seu exemplares suæ sapientiæ rationes, omnia distincte cognoscit, in quantum ideæ sunt formæ totius substantiæ rerum productivæ, videlicet et formæ, itemque materiæ quæ individuationis est radix ; sic species intelligibiles angelorum prout expressæ et exemplatæ atque productæ sunt ab idealibus formis, certam atque distinctam singularium notitiam causant.

Philosophus. — Secundum hoc, angeli omnia præscirent quæ nobis contingere possunt ; et quum singularia infinita sint, infinita cognoscerent.

Theologus. — Non omnia quæ nobis futura sunt atque contingere possunt, angeli prævident. Nam per inditas sibi species

cognoscunt causas in natura ordinem habentes, et quidquid in causis illis est determinate, vel simpliciter, aut frequenter. Futura autem contingentia, in causis suis determinata non sunt, ideo non ante in eis cognoscuntur, quam determinationem acquirant : quod tunc fit dum actualiter fiunt. — Ad aliud dico, quod singularia non sunt simpliciter infinita. Angeli autem una specie unoque actu, plura intelligunt. — Porro, quæ de naturali cognitione ac speciebus connatis angelorum sunt dicta, de dæmonibus quoque accipi debent : quoniam ut Dionysius apertissime fassus est, naturalia dona in dæmonibus splendidissima, integerrima ac perspicacissima perseverant.

Philosophus. — De dæmonibus grandis mihi disputatio tecum erit.

Theologus. — Paulisper exspecta ut quæ de angelis restant inducam.

ARTICULUS XIV.

De essentiali distinctione ac simplicitate angelicorum spirituum.

Theologus. — Quid de specifica ac naturali diversitate angelorum existimas?

Philosophus. — Palam est quod secundum Peripateticos, intelligentiæ seu angeli immateriales sint : alioqui non dicerentur ab eis substantiæ separatæ. Denique numerus seu distinctio duplex est, videlicet formalis et materialis, vel specifica et individualis. Primum numerum facit essentialis differentia, quæ semper a perfectione formæ accipitur. Secundum vero facit materiæ per quantitatem divisio. Quum ergo angeli immateriales atque incorporei sint, solo numero seu individualiter distingui non possunt, sed singuli a se invicem differunt specifice. Unde tot sunt in angelis species quot supposita, et econtra. Hoc igitur secundum Aristotelis atque suorum philosophiam respondeo. Platonici enim aliter dicunt : nam in omni intellectu creato materiam saltem spiritualem constituunt. Sed nunc doce me si secundum fidem christianam aliter opinandum est.

Theologus. — Compendiose et eleganter respondes. Hoc autem agnosce, quod ad fidem nil pertinet utrum angeli immateriales sint an non. Ideoque sicut inter philosophos, sic inter theologos quoque, de quæstione præsenti non parva, pia tamen, contentio est. Origenes nempe et Augustinus non dumtaxat materiam, sed etiam corpora quædam tenuia atque aeria angelicis dicunt spiritibus esse unita. Nec mirum si hoc asserant, quum in naturali scientia uterque eorum Platonicus fuerit. Hos igitur tantos viros multi novellorum sequuntur, spiritualem materiam ponentes in angelis. Alii vero, quibus Dionysius capitaneus esse videtur, angelos incorporeos immaterialesque esse testantur : quibus utique Peripateticorum concordat doctrina.

Philosophus. — Quam ergo positionem tu eligis?

Theologus. — Tecum concordo in omnibus, Peripateticos sequens, præsertim propter Dionysii auctoritatem, quem in hoc S. Thomas, Albertus et Ægidius, concorditer assequuntur.

Philosophus. — Suntne angeli ejusdem ordinis speciei unius?

Theologus. — Sicut prædixi, Dionysius in quolibet ordine angelorum, primos, medios, ultimosque constituit. Unde constat quod etiam in eodem ordine, sit specifica angelorum distinctio. Porro Thomas et Ægidius tot ponunt species in angelis, quot sunt individua. Quorum positionem jam concorditer amplectamur.

Philosophus. — Quum ergo secundum præinducta, tam innumerabilis sit angelorum pluralitas : primus summusque angelus, ultimos angelorum, maxime autem rationales animas, inæstimabili pene excellentia atque incomparabili quasi dignitate præcellit.

Theologus. — Hoc ipsum memoriter teneas, quod tam rite concludis. Erit nam-

que postmodum utile hoc ipsum pensare. Enimvero, quum quæstio ista fidem non tangat, ideo amplius de ea disputare non libet, quum tamen valde disputabilis exstet.

ARTICULUS XV.

De visibili apparitione angelorum atque corporibus ab eis assumptis.

Theologus. — Non jam dumtaxat fide docemur angelos homines custodire, sed insuper corporaliter visibiliterque hominibus vicissim apparere.

Philosophus. — An veraciter corpoream formam assumant, an species illæ quæ videntur, in solis hominum sensibus formentur et fiant?

Theologus. — Corpus realiter induunt : aliter salvari non possent quæ divinitus scripta sunt.

Philosophus. — Quale est illud?

Theologus. — Ipsum esse aerium, ratio experimentaque comprobant. Aer namque maxime fluxibilis, transmutabilis, et in omnem exstat figuram vertibilis. Denique, quum angeli taliter apparentes repente dispareant, eorumque corpora velut fumus subito evanescant, et nec scindi nec confodi possint (quod tamen quidam tentaverunt); palam est corpora talia esse aeria.

Philosophus. — Constat aerem invisibilem esse, quum nec coloratus nec lucidus sit de se, nec transmutativus terminativusque visus : quomodo ergo in aerio corpore angeli visibiliter se ostendunt?

Theologus. — Bene concludis quod in assumptione hujusmodi, aerem inspissari oportet, et ad terræ proprietatem accedere.

Philosophus. — Qua virtute facit hæc angelus?

Theologus. — Omnis potestas a Domino Deo est. Sed inde non dubitas. Imo id sciscitari te reor, utrum naturali an certe supernaturali virtute angelicus spiritus
A corpus assumat, et ad libitum suum illud inspisset, formet atque deponat.

Philosophus. — Hoc quæro.

Theologus. — Quæstio ista parva non est. Denique Magister Sententiarum, libro secundo, testatur quod assumptio ista Deo præparante contingat. Verumtamen, quum dæmones quoque, dum eis permittitur, corpora induant, hominibusque appareant, eos vicissim tentando, percutiendo, terrendo ; respondeo quod spiritualis substantia corporali dominetur materiæ, et
B eam immutare, movere, sibique valeat coaptare : et hoc, propter naturalem excellentiam super corporalia ista, et etiam propter industriam suam, qua potest semina rerum colligere, ac per hoc aerem adunare, itemque spissare.

Philosophus. — Quomodo possunt hæc fieri? angelus namque simplex est spiritus. Et qualiter colligit semina rerum? utrum solo imperio, aut medio motu?

Theologus. — Ratio te et experientia docere hinc queunt. Quomodo enim intel-
C ligentia movet corporeum cœlum? Qualiter etiam anima per propriam essentiam informat et actuat corpus? Denique videres ad sensum quemadmodum frequenter circa obsessos a dæmone multa miranda contingant, fiunt ibi projectiones utensilium, strepitus atque compulsus ollarum, ac multa similia. Verumtamen nemo causam horum motoremque cernit, quamvis cuncti adstantes ista a dæmone fieri minime dubitent. Fateri te oportet spiritualem substantiam, non quidem solo nutu
D aut imperio, sed occulta ac spirituali virtute, in corporea posse agere atque imprimere.

Philosophus. — Vellem hinc clarius edoceri.

Theologus. — Ex philosophorum doctrina veritatem tibi lucide pandam. Avicenna ait, ad solam conceptionem intelligentiæ in inferioribus sequi effectum, atque ad nutum corporalem materiam ejus parere imperio. Averroes directe oppositum adstruit, tantam ponens habitudinem in-

ter intelligentiam et orbem quem movet, A quod alium movere non possit, neque aliquid agere in hunc mundum, nisi per orbem. Quum ergo secundum præostensa, utraque falsa sit, viam mediam elige, utpote angelum posse in hæc inferiora per se ipsum imprimere ac dominari materiæ, non sola conceptione, nec quoad esse substantiale vel formale, sed quoad esse locale, mediante aliqua influxione.

Philosophus. — An angeli per corpora assumpta actus vitales exercent?

Theologus. — Quoniam angelus non unitur B corpori ut forma, sed solum ut motor, ideo non influit corpori esse vel vitam : et ob hoc, operationes quæ sequuntur corpus secundum quod unum, angelo in corpore assumpto non vere nec proprie, sed æquivoce conveniunt. Non itaque per oculos corporis assumpti videt, nec per aures audit. Neque veraciter comedit, licet cibum vere accipiat : non enim potest illum bene digerere, nec habet naturalem virtutem ad hoc; sed movet corpus et impellit. Loquitur etiam per illud impro- C prie : format enim voces, sed non per naturalia instrumenta.

Præterea scire te convenit, quoniam ut Dionysius ait, ista formatio atque assumptio corporum ab angelis, ordinatur ad agnitionem invisibilium substantiarum. Propterea corporales proprietates in tali apparitione exsistentes, non sunt ibi secundum veritatem, in quantum dicuntur proprietates corporalium rerum, sed secundum similitudinem tantum, ne æstimetur illis figuris subesse alia res quam D angelus. Corpus itaque illud disponitur taliter, ut ducere valeat in ejus notitiam ad quem cognoscendum corporalis illa formatio ordinatur. Et quoniam, secundum Dionysium quintodecimo Cœlestis hierarchiæ capitulo, inter corporalia omnia ignis potissime repræsentat spiritualis proprietates substantiæ, ideo in corporibus illis proprietates ignis, et maxime splendor, apparent. Quando igitur angelus hominem de se ipso intendit instruere, tunc format in corpore similitudines ac proprietates ad hoc aptas, suæ videlicet naturæ convenientes : et tunc angelus qui loquitur, apparere dicitur. Quando vero de angelo superiori vel Deo intendit docere, format atque qualificat corpus prout is de quo instruere cupit, requirit. Ideoque idem angelus diversimode se ostendens, quandoque loquitur in persona Dei, dum scilicet de Deo hominem instruit, et tunc Deus perhibetur apparere ; quandoque autem in persona propria, et sic ipse apparere censetur; interdum vero in persona angeli superioris, et ita Seraph vel Cherub apparere asseritur. Enimvero, quemadmodum Augustinus testatur in libro de Trinitate, apparitiones quibus Deus apparuisse describitur, angelorum sunt ministerio exhibitæ; et in ipsis, secundum Thomam, corpus ab angelo est formatum, assumptum ac motum. Nam secundum Dionysium, revelationes non pertingunt ad nos nisi per hierarchiam angelicam, ut sit in omnibus ordinatus processus.

ARTICULUS XVI.

De dæmonibus et impugnatione ipsorum.

Theologus. — Præterea, quemadmodum tibi disserui singulis præesse ad custodiam angelos sanctos, sic noveris singulos quoque homines dæmonem aliquem ad exercitium, malorumque habere instinctum.

Philosophus. — Nonne sufficit homini fragilitas propria, itemque difficultas perveniendi ad Deum, nisi ab exteriori quoque impugnatore tentetur?

Theologus. — Plane sufficeret. Sed quoniam hæc vita via est et peregrinatio atque exsilium, statuique militiæ similis, exigit ordo rerum et conditio hominis, ut permittatur tentari, id est ab adversariis Regis sui impugnari, quatenus fides ejus et caritas in Deo probentur, ac per hoc gloriosius coronaretur, si tentationis spiritui efficaciter fideliterque restiterit.

Philosophus. — Breviter mihi insinua quid de dæmonum natura et qualitate putes censendum, an scilicet naturaliter mali sint, an non.

Theologus. — Veritatis Scriptura testante, didicimus angelos bonos ac malos omnes simul a Deo esse creatos, nec beatos, nec miseros, nec bonos bonitate meritoria, neque malos, sed in quadam perfectione naturali, vel informi a gratia, vel formata gratia, non tamen beatifica, sed ad beatitudinem perductiva. Horum spirituum mox post creationis exordium suæ, quidam ad Deum conversi sunt per cognitionem atque amorem; quidam autem ad se ipsos conversi, propriumque honorem inordinatissime cupientes, a Deo aversi sunt, et ingrati inventi. Porro, ad Deum se convertentes, ipsa sua conversione gratiam confirmationis veramque felicitatem sortiti sunt, et angeli appellati; aversi vero irreparabiliter a Deo repulsi sunt, damnati, dæmonesque vocati.

Philosophus. — Angeli ergo et dæmones, in communi loquendo, in naturalibus distinctionem non habent; sed sicut angeli incorporei et a principio in naturalibus perfecti exsistunt, ita et dæmones.

Theologus. — Vere concludis : nam in communi loquendo, de naturali eorum potestate atque scientia conforme videtur esse judicium; in speciali autem, quidam dæmones aliquibus angelis in naturalibus excellentiores creduntur. De quo postea colloquemur lucidius.

Philosophus. — Qualiter tentare homines queunt?

Theologus. — Proportionabiliter sicut angeli sancti homines sua præsentia roborant intellectum illustrando, species videlicet ei vel influendo, vel in imaginativa potentia eas formando; sic dæmones per virtutem subtilitatemque suæ naturæ, licet in essentiam animæ immediate agere nequeant, in corpus tamen imprimere possunt, organa immutando, sanguinisque fluxum inducendo, ex quibus anima ad concupiscendum disponitur, et ad mala

A plurima inclinatur. Insuper, varias formas ac multa phantasmata animæ repræsentant, et ad memoriam ea reducunt quæ oblivisci oportet. Ea quoque quæ recolenda sunt, a mentis memoria delent : non tamen directe, quoniam in mentem animæ directe non influunt; sed indirecte, quia dum hominem inutilibus occupant, malisque meditationibus intentum efficiunt, a consideratione utilium atque bonorum eum impediendo avertunt.

Philosophus. — Ut cerno, quæ jam de

B angelis dicta sunt, quomodo videlicet in corporalia agant et moveant, hic quoque reminisci et contueri oportet. Sed quod plurimum movet inducam.

Theologus. — Sapienter propone.

ARTICULUS XVII.

Disputatio Philosophi, qualiter in angelis peccatum cadere potuit.

Philosophus. — (1) Quum voluntatis ob-

C jectum sit bonum apprehensum, nunquam potest esse peccatum vel error in voluntate, nisi præcedat error aliquis in intellectu seu rationis judicio. Intellectus namque voluntatem dirigit, eique suum repræsentat objectum. Sed quum angelus sit immaterialis substantia, non est in ipso nisi intellectualis cognitio. Talis autem cognitio secundum se esse non potest erronea, quia ex defectu intelligendi error substantiæ intellectualis procedit. Nam in eo quod quis intelligit, non utique errat. Unde se-

D cundum Aristotelem, intellectus est semper rectus, phantasia autem est recta et non recta. Nullo igitur modo in angelis peccatum vel error cadere valuit.

(2) Denique, secundum Aristotelem, omnis peccans est ignorans. Quum ergo angelus sit a principio omni naturali perfectione completus, nequaquam erat ignorans : ergo nec peccans.

(3) Præterea dupliciter contingit peccare, secundum Aristotelem, videlicet : vel ex electione mali finis, sicut dum quis cor-

ruptus est habitu pravo, quoniam habitus A inclinavit in proprios actus : ut luxuriosus ex proposito actus venereos cupit ; vel ex impetu passionis rationem ab actuali consideratione boni et veri retrahentis : et talis, secundum Aristotelem, passione cessante, dolet et pœnitet. Sed horum nullum in angelo statim creato esse valebat : quia nec habitum malum habebat, nec passionem, quoniam passio in sensitiva dumtaxat parte consistit.

(4) Adhuc, secundum Peripateticos, intelligentia, quam tu angelum nominas, est B agens infallibile, et non errans : nullatenus ergo peccare valebat. Amplius, quum angeli sint primæ atque dignissimæ Dei creaturæ, sunt Deo simillimæ et divinæ naturæ perfectionem imitantes plenissime. Deus autem omnino incommutabilis est. Quomodo ergo illi deiformes intellectus, non solum mutari, sed et insuper peccare valebant ?

(5) At vero, angelus sine discursu et compositione, simplici scilicet apprehensione, intelligit. In simplicium autem ap- C prehensione non accidit error per se, nec in agnitione proprii objecti. Quum ergo angelus deiformem intellectum habeat, ipsasque entium quidditates et proprietates puro ac simplici intellectu sine phantasmatum permixtione cognoscat, nullatenus, ut apparet, vel errare vel peccare valebat.

(6) Præterea, angelus est semper in actu : non ergo potest peccare, quoniam secundum Aristotelem, in his quæ semper in actu sunt, malum non accidit. Ideo D nempe, secundum Avicennam, supra sphæram lunæ malum consistere nequit.

ARTICULUS XVIII.

Determinatio Theologi, quomodo in angelo poterat peccatum accidere, et præinductarum objectionum solutio.

Theologus. — Concordavimus ante in hoc, quod secundum Peripateticos, dæmones ponendi non sunt : quos tamen esse experientia infallibiliter docet. Ideoque secundum eorum doctrinam est difficile manifestare quemadmodum in angelo peccatum cadere potuit. Verumtamen hoc ipsum tibi, Deo præstante, ostendam.

Philosophus. — Hoc affectanter exspecto.

Theologus. — Sicut omnis creatura, eo ipso quo creatura est, de se nihil est, et in nihil tendens atque vertibilis, nisi indeficienter conservetur a Deo (quod Albertus asserit, Aristotelem quoque dixisse et Avicennam palam testatur) ; sic omnis intellectus creatus, in quantum est creatus, peccare et ab ultimo fine potest deficere, nisi supernaturali aliquo dono immobilitetur in Deo. Sic ergo angelicus spiritus, in quantum erat creatus, labilis atque defectibilis exstitit : unde et peccare valebat. — Præterea, quum bonum et finis coincidant, secundum omnes philosophos, idem est ordo bonorum et finium. Sicut itaque solus Deus est primum summumque bonum, sic ipse solus est universorum ultimus finis. Omnia igitur ordinantur in ipsum ; et ipse ad aliud non ordinatur, sed est sibi ipsi causa et finis. Quidquid autem ordinatur ad aliud, peccat et deficit, si non convertatur ad illud, quum peccatum sit recessus ab ordine. Angelus vero liber fuit, et ad Deum ordinatus. Per naturam ergo se avertere a Deo atque ad aliud convertere potuit. Solus autem Deus qui sibi ipsi finis est, hoc naturaliter habet, ut peccare non queat.

Philosophus. — Qua forma et quo ordine aversus est angelus a Deo ?

Theologus. — Angelis conditis, dereliquit eos Deus ut considerarent se ipsos, ac per hoc Creatori grati exsisterent, et ei adhærerent. Quoniam ergo omnes angeli in naturali sapientia perfecti creati sunt, in hoc errare non poterant, quin se a Deo creatos cognoscerent. Verumtamen hæc bona quæ per creationem a Deo erant adepti, quidam eorum non referebant ad Deum. Unus ergo summusque angelus in

omni naturali decore ac sapientia excellentissimus, se ipsum a Deo factum cognoscens, non ordinavit nec retulit se propriamque perfectionem ad Deum ac ultimum finem. Sed considerans se in se, atque ingenita propria pulchritudine delectatus, nec datam sibi eminentissimam dignitatem Creatori cum gratiarum actione adscribens, sed se omnium creaturarum splendidissimam, itemque per naturalem decorem altissimam pensans, a Deo aversus est, et ad se ipsum conversus, desiderans sic ceteris angelis dominari ratione eminentiæ naturalis, quemadmodum universis elegantior exstitit.

Unde elucescit, peccatum ejus fuisse superbiam. Nam excellentiam istam inordinate expetiit, quia sub ordine ultimi finis non permansit. Quandocumque enim aliquis sub priori altiorique fine ac principe constituitur, contingit peccatum si vel ipse se suo superiori non subjiciat, vel si sibi subjecti ei extra ordinem primi superiorisque finis obediant : velut si dux sub rege non subdat se regi; vel si milites duci contra regis decretum obtemperent : et hoc erat peccatum angelorum, primo apostatæ angelo, scilicet Lucifero, adhærentium, quoniam ei extra ordinem ultimi finis parebant, quum tamen ei adhærere non debebant, nisi in quantum ipse suo se superiori subjecisset.

Philosophus. — Summus ergo angelorum primo omnium iniquitatem concepit, et superbiæ suæ conceptum aliis prodidit, atque quos potuit sibi attraxit : sicque ceteris peccati occasio fuit.

Theologus. — Ita plane erat.

Philosophus. — Precor te, angelus tam sublimis et sapiens hanc superbiam voluntate non concupivit, nisi intellectu quoque conceperit eam.

Theologus. — Ita est. Nam sine prævio intellectus judicio, voluntas nihil desiderat.

Philosophus. — Dum igitur Lucifer istam malignitatem mente concepit, et ad effectum transferre optavit itemque sat- A egit, scivitne se errare et injuste cogitare ac agere? Si scivit, non est verisimile quod hujusmodi cogitationi consenserit; si non scivit, non utique tam sagax subtilisque exstitit.

Theologus. — Dupliciter tibi respondere jam valeo. Primo, nam ut ait Bernardus : Scivit se male cogitare et agere; non tamen suspicabatur Deum illud ulcisci debere. Quia enim solam Dei bonitatem erat expertus, justitiæ non est rigorem censuramque veritus.

B Secundo dici potest cum S. Thoma, quod aliquis potest in communi de operandis rectum habere judicium, nihilo minus circa particulare agendum errare. Et quidem nobis hoc accidit ex passionis impulsu. Passio autem hujusmodi in angelis, quum incorporei sint, locum non habet. Attamen potuit in eis intellectus deficere circa particularia opera, in quantum unum considerando, illique nimis inhærendo, ab alterius consideratione impediebatur. Est autem aliquid appetibile secundum unam C considerationem, quod tamen universis pensandis pensatis, fugibile est atque vitandum. Itaque angelus se in se nimis considerando, non autem se in ordine ad Creatorem sapienter pensando, appetivit excellentiam propriam non secundum divinæ æquitatis exigentiam, volens ceteris angelis causa perfectionis exsistere, eisque ex propria potestate influere, et quasi collatis sibi naturalibus donis esse contentus. Sic ergo licet habitualiter se errare agnoverit, actualiter tamen non advertit, D propter vehementem in suo decore delectationem, intentumque dominationis affectum, conversionem quoque ad se ipsum : quæ omnia tanto fortius ei inerant, quo horum majus incitamentum, ampliorem videlicet naturalem eminentiam, in se ipso conspexit.

Philosophus. — Erat mora magna inter creationem angelorum et culpam?

Theologus. — Non potuit in primo creationis suæ instanti esse malus; sed mox, imo post minimam moram (si tamen mora

dicenda est) post creationem peccaverunt. A Prima enim electione seu voluntatis conversione, immobiliter facti sunt boni vel mali, beati vel miseri, quoniam ad quod se angeli per electionem primo converterunt, in eo irreparabiliter fixi sunt, sicut et anima in ea conversione qua a corpore separatur, perpetuo stabilitur.

Philosophus. — Ceciderunt omnes simul?

Theologus. — Utique.

Philosophus. — Ergo angelus Lucifer in eodem instanti peccatum suum in se ipso concepit, aliisque ostendit et incita- B vit eos, et illi adverterunt et consenserunt.

Theologus. — Hoc sequi videtur. Nec inde mireris : nam simile hujus in actionibus seu mutationibus instantaneis quarum est una causa alterius, cernitur. Simul namque tempore sunt illuminatio aeris, visio lucidi, atque discretio visus. Motus autem voluntatis angelicæ indivisibilis est, ideoque principium ejus non præcedit terminum ejus. Motus ergo causatus ab eo, simul erat cum eo.

Philosophus. — Ubi manserunt angeli C mali?

Theologus. — In aere caliginoso, ac tempestatibus apto, videlicet in media aeris regione. Aliqui autem ubertim ad homines tentandos descendunt; quidam quoque ad inferos peccatores deducunt, et illic nonnulli semper manere creduntur, ut malos affligant. Porro post diem judicii omnes simul in tartara recludentur. De Lucifero quoque aliqui sentiunt quod Christum tentaverit, ac victus ab eo in gehennam retrusus sit, non inde egres- D surus nisi Antichristi temporibus. Alii opinantur eum statim quum peccavit, propter magnitudinem sceleris ad inferna projectum.

Philosophus. — Nunc instantias solve.

Theologus. — Sufficienter, ni fallor, solutæ sunt. Jam enim patuit qualiter in intellectu angeli error fuit. Quod autem ait Aristoteles, intellectum semper esse rectum, verum est; nec sic angelus intelligendo erravit, quod putaverit verum aut bonum esse, quod vel malum vel falsum exsistit, sed unum non debito sufficientique modo pensando. — Et sic etiam ignorans quodammodo exstitit, quoniam uni intentus aliud non advertit. — Ad tertiam dixi qualiter judicium mentis angelicæ obnubilari impedirique valuit. — Ad quartam quoque respondi quod Peripateticorum doctrina in hac parte experientiam salvare non potest. Verumtamen quod dicunt de motoribus orbium qui eos nunc movent, verum et certum est. — Ad quintam dicendum, quod in simplici apprehensione angelici intellectus, non est error accipiens verum pro falso vel econtra, sed non considerando omnia quæ circa rem considerare oportet. — Ad ultimam dico, quod dictum Aristotelis et Avicennæ, non de malo culpæ, sed de malo naturæ accipi debeat. Denique, licet angelus non beatus semper in actu sit, non tamen est semper in actu eodem et uno; nec est purus actus sicut intellectus divinus, sed est potentialitati permixtus.

ARTICULUS XIX.

De comparatione multitudinis angelorum ac dæmonum, hominumque malorum et electorum.

Philosophus. — Ante jamdudum de beatorum multitudine angelorum locutus es. Nunc vero de dæmonum qui prolapsi sunt numero, quæro an tot sunt quot angeli sunt.

Theologus. — Nequaquam. Fertur namque decimus chorus cecidisse : non quod aliquando decem angelorum chori vel ordines fuerint, sed quoniam tot peccaverunt, quot ad unum pertinent chorum. Non tamen hoc præcise intelligendum existimo. Sic ergo decima circiter angelorum pars cecidit.

Philosophus. — Omnes ergo qui prævaricati sunt, de uno choro fuerunt?

Theologus. — Nec hoc arbitror. Imo de singulis choris aliqui peccasse creduntur,

Ephes. VI, 12. præsertim quum Apostolus noster, quosdam eorum principes, quosdam autem potestates appellet. Et ad hoc sunt auctoritates et rationes quas forsitan introducam.

PHILOSOPHUS. — Quid de hominum numero putas?

THEOLOGUS. — Secundum Gregorium, tot sunt homines electi futuri, quot sunt angeli sancti. Tantus autem erit numerus reproborum, ut comparatione eorum, electi (qui tamen angelis pares putantur) *Matth.* XX, 16; XXII, 14. pauci vocentur, sicut scriptum est : Multi sunt vocati, pauci electi.

PHILOSOPHUS. — Numerus ergo hominum damnandorum multitudinem dæmonum incomparabiliter quasi excedet?

THEOLOGUS. — Sequi videtur ex prædictis, quod plures erunt homines reprobi, quam simul angeli sancti hominesque electi ac dæmones universi. Omnino enim apparet, quod plus quam in duplo excedet numerus hominum impiorum multitudinem hominum electorum : aliter comparatione eorum electi non essent pauci vocati. Quum ergo par sit hominum electorum ac angelorum pluralitas, ad minus tot exsisterent reprobi, quot sunt electi homines ac angeli sancti. Quumque multo plures putandi sint, quemadmodum comparatio illa insinuat, et dæmones ipsis angelis valde pauciores consistant, consequens fit plures futuros homines reprobos, quam sint angeli boni ac dæmones electique homines. Hæc tamen sic dixerim in quantum ex præinducta auctoritate consequitur, et Sanctorum dictis concordat. — Præterea, sicut in beatitudinis patria uniuscujusque Sanctorum felicitas alios quoque Beatos exhilarat, sic in inferno cujuslibet pœna alterius miseriam auget.

ARTICULUS XX.

De naturali scientia potestateque dæmonum.

THEOLOGUS. — Præterea, sicut prædixi, secundum divinum Dionysium in libro de A Divinis nominibus, naturalia dona, utpote acumen ingenii, scientiæ claritas, naturalis quoque potestas, in dæmonibus integra atque perfecta manserunt. Ideoque quæcumque de naturali angelorum scientia, virtute ac perfectione sunt dicta, de dæmonibus quoque accipi par est.

PHILOSOPHUS. — Utrum tanta est naturalis perfectio in dæmonibus, quanta philosophi attribuerunt intelligentiis?

THEOLOGUS. — Quidquid secundum veram philosophiam intelligentiis attribui B potest, hoc dæmonibus convenit quoad subtilitatem scientiæ, ac potestatis vigorem, et simplicitatem essentiæ; et multo amplius quibusdam dæmonibus naturaliter competit, præsertim Lucifero.

PHILOSOPHUS. — Qualiter hoc?

THEOLOGUS. — Secundum Peripateticos, ut ante jam claruit, numerus intelligentiarum compar est numero cœlorum, vel cœlestium motuum; secundum fidem autem christianam, innumerabilis est multitudo angelicorum spirituum : ideoque C sublimiorum ordinum angeli, qui semper Deo adsistunt, nec cœlos movent, neque ad corporalia ministerium vel habitudinem habent, incomparabiliter eminentiores perfectioresque sunt intelligentiis prout philosophi de ipsis locuti sunt. Ipsi equidem de eis locuti non sunt nisi in quantum hunc sensibilem mundum gubernant, et ad orbes cœlestes proportionem ac habitudinem sortiuntur, eisque influunt. Quum itaque, secundum prædicta, Lucifer omnium angelorum, etiam D stantium, altissimus fuerit; cogitari non potest quantum ejus naturalis dignitas seu perfectio, intelligentiæ summæ quæ secundum philosophos primo mobili præsidet, perfectionem excedat.

PHILOSOPHUS. — Adverto ex præinductis, inæstimabilem esse naturalem Luciferi perfectionem in scientia atque potentia.

THEOLOGUS. — Unde hoc elicis?

PHILOSOPHUS. — Secundum præhabita, singuli angeli specifice differunt. Quilibet ergo eorum, ascendendo ab infimo usque

ad summum, alium essentiali perfectionis gradu transcendit. Lucifer igitur tot essentialibus perfectionum gradibus infimum angelum excedit, quot sunt angelorum supposita, quæ omnem æstimationem exsuperant.

Theologus. — Laudo ingenium tuum. Et certe cum viro ingenioso et docili disputare jucundum est. Porro horum te volo tenacem habere memoriam, quoniam ad futura utilissima erunt. Veraciter namque dici non valet quanta sit Luciferi naturalis perfectio, industria, subtilitas, potestas, scientia. Ideo nunc homines tentare non sinitur ; sed in diebus filii perditionis solvendus est : de quo tibi plura dicere habeo.

Philosophus. — Nunc breviter de scientia dæmonum tracta.

Theologus. — In creatione angelorum concreatæ sunt eis species rerum, sicut et angelis sanctis. In ipsis ergo sunt species ordinis universi : ita quod ordinem rerum, virtutem stellarum, cursus cœlorum, vires herbarum, omniumque qualitatem naturalium rerum optime noverint; et eo subtilius, quo simplicioris essentiæ sunt, altiorisque perfectionis specificæ. Sicut igitur angeli per formas suas intelligibiles, particularia et ea quæ ipsis contingunt agnoscunt, in quantum illæ ab idealibus divinæ mentis deductæ sunt formis ; ita et dæmones naturali scientia, particularia eorumdemque proprietates et opera noscunt. Cordium vero intueri secreta, solius est Dei : quippe cui soli voluntas ad nutum paret atque subjicitur, et ab eo dumtaxat influxionem impressionemque sortitur. Dæmon ergo per speciem concreatam cognoscit rem et quæ in ipsa sunt. Sed antequam causa contingens actualiter operatur, non est in ea effectus ipsius, nec est determinata ad ipsum : ideo talia pure contingentia non noscit dæmon, nisi quum actu in causa sunt.

Denique alia est dæmonum naturalis cognitio non adeo certa, per signa, id est, ex quibus frequenter effectus consequi- A tur. Talia quoque per experientiam et longitudinem temporum, subtiliter indagant et sciunt. Quamvis etenim a rebus notitiam non accipiant, nec propter localem propinquitatem aliquid magis conspiciant, uti nec angelus ; hæc tamen experimentalis scientia temporum diuturnitate acuitur, quoniam in se ipsis comparationem argumentationemque faciunt.

Tertia etiam eis cognitio competit, non naturalis, sed per revelationem angelorum sanctorum, eorum videlicet quæ naturaliter sciri non possunt. B Talia autem eis angeli, prout decere sciunt vel Deus disponit, insinuant.

Triplici itaque acumine vigent scientiæ, videlicet subtilitate naturæ, experientia temporum, et revelatione supernorum spirituum.

Philosophus. — Quid de naturali eorum potestate censendum edisseris ? Possuntne naturalium rerum activas passivasque virtutes colligere, mutuo applicare, ac ea efficere quæ in naturali rerum potentia C continentur, seu quæ ex hujusmodi applicatione producuntur?

Theologus. — Propter naturalem suam industriam, propriæ quoque naturæ eminentiam, agere possunt in corpora inferiora, rerum semina congregare, eademque ad determinatam materiam applicare, et ea ad quæ se naturalis virtus extendit, producere. Insuper paulo ante pandebam quemadmodum in hominem agere atque imprimere queant.

Philosophus. — Si hæc ita se habent, D tunc multa miranda facere possunt, quoniam ut Avicenna testatus est, si agnosceret homo naturas virtutesque rerum, mirabiliora vere produceret, quam magica arte fieri possint.

Theologus. — Recte concludis. Denique verbo Avicennæ noster quoque Albertus concordat. Verumtamen de dæmonum potestate nolo jam in particulari profari, sed in communi dumtaxat. Postmodum autem in speciali inde diligentissime colloquemur, quando de divinatione et præ-

stigiis atque miraculis quæ dæmonum ope fiunt, inquiremus.

Philosophus. — Faciunt ergone dæmones in inferioribus istis corporibus, cuncta quæ complacent eis ?

Theologus. — Non quantum possunt nec quantum volunt, sed quantum permittuntur, efficiunt. Dixi enim superius qualiter angeli de ordine Virtutum eos coerceant, ne aliquid agant nisi prout divinæ providentiæ dispositio exigit vel permittit.

ARTICULUS XXI.

De prædestinatione atque præscientia Dei.

Theologus. — Denique, in præsentis editionis libro secundo, de Providentia et fato, et qualiter entibus necessitatem non ingerant, diligenter, ut nosti, o Philosophe, disputavimus. Præterea, de gratia justificationeque Dei, libro tertio disserebamus.

Philosophus. — Quæ illic dixisti, nunc reiterare non expedit : lucide enim itemque plenissime sunt digesta.

Theologus. — Quoniam igitur divina sapientia universa complectitur, imo cuncta et singula æternaliter tanquam præsentia intuetur, consequens est ut quidquid jam gratiæ et pietatis hominibus impertitur, ab æterno præstare decreverit.

Philosophus. — Etiam de minimis Dei donis hoc sentire oportet.

Theologus. — Ex dictis libro quarto de remuneratione, agnoscis hominum quosdam salvandos, quosdam autem damnandos.

Philosophus. — Paulo ante dicebas multos vocatos, paucos autem electos.

Theologus. — Hi igitur qui nunc per misericordiam et gratiam Dei in fide et caritate salvantur, qui a malis misericorditer eripiuntur, in bonis illuminantur, et Deo conservante, in bono consummantur, prædestinati dicuntur, et reproborum comparatione electi vocantur. Porro, qui juste
A relinquuntur et pereunt, præsciti appellantur et reprobi, ac odio habiti.

Philosophus. — Quid est prædestinatio? quid item præscientia ? et quæ insuper differentia horum ?

Theologus. — Quamvis sapientia ac scientia Dei, in se una ac simplicissima indivisaque sit, tamen propter varios rerum status ac diversos affectus, nomina multa sortitur. Dicitur enim præscientia seu prævidentia, respectu futurorum, sive bonorum sive malorum ; dispositio, respectu
B faciendorum ; prædestinatio, respectu salvandorum ; providentia quoque, respectu gubernandorum. Ab æterno itaque prædestinavit Deus quosdam homines, id est, elegit eos ut essent boni nunc per gratiam, et beati postmodum per gloriam, omnia media ad beatitudinem obtinendam necessaria præparando eis : et hoc, ex sua sola bonitate, liberrima voluntate, atque ineffabili pietate, quatenus in eis misericordia sua æternaliter reluceret. Quos juste derelinquere cogitavit, et propter
C peccata sua perire permittit, quatenus divina in eis justitia in æternum resplendeat : hos reprobasse ac odio habuisse describitur. Et licet præscientia Dei tam bonos quam malos respiciat, tamen quia electi ad vitam proprium nomen sortiti sunt, quoniam prædestinati vocantur, propterea modo communiter utuntur doctores nomine præscientiæ quoad malos, ut scilicet prævisi ad mortem, præsciti dicantur.

Philosophus. — Definitionem horum au-
D dire desidero.

Theologus. — Prædestinatio est præagnitio seu præparatio beneficiorum Dei quibus salvantur electi. Reprobatio autem seu præscientia, est prævisio culpæ malorum in præsenti, et præparatio pœnæ æternæ in futuro. Rursus, prædestinatio est præordinatio hominis ad felicitatem cœlestem. Itemque, prædestinatio est propositum finaliter miserendi. Et denuo, prædestinatio est præparatio gratiæ in via, et gloriæ in patria.

PHILOSOPHUS. — Prædestinatio igitur est A causa salutis et gratiæ.

THEOLOGUS. — Utique. Nullus enim viribus suis potest salvari ; et uti testatus sum, gratia quæ prædestinationis effectus est, non ex nostris meritis datur.

PHILOSOPHUS. — Estne ergo reprobatio seu præscientia causa damnationis indurationisque reproborum ?

THEOLOGUS. — Nequaquam. Nam licet Deus gloriosus et sanctus tam bona quam mala cognoscat, ejus tamen scientia bonorum dumtaxat causa censetur.

PHILOSOPHUS. — Quum prædestinatio ac præscientia seu reprobatio Dei, ab æterno in Deo consistant, nec ex rebus dependeant, præsertim quum aliud non sint nisi divina essentia, nullus quoque sua virtute vel meritis queat salvari : quæ est hæc divinorum æquitas judiciorum ? Vel certe cur Deus justus et bonus, rectus et sapiens, potius prædestinavit unum quam alium ?

om. IX, 20. THEOLOGUS. — O homo, tu quis es qui
id. XI, 22. respondeas Deo ? Vide ergo bonitatem et
severitatem Dei ; et time, perpendens quam
ebr. X, 31. sit horrendum incidere in manus Dei viventis.

PHILOSOPHUS. — Non mihi sufficit ista responsio : Deus enim nil sine ratione efficit legitima.

THEOLOGUS. — Responde mihi philosophica responsione. Nonne Deus est causa mundi et ordinis rerum ?

PHILOSOPHUS. — Quum secundum Aristotelem, ab ipso cœlum et terra dependeant, ordo quoque sit optimum in rebus, ac proprius sapientiæ divinæ effectus, hoc negari non valet.

THEOLOGUS. — Cur ergo in primordiali creatione, dum nulla præcesserant merita, Deus unam creaturam altera nobiliorem perfectioremque condidit ?

PHILOSOPHUS. — Adverto quo tendis, et propria responsione me capere niteris.

THEOLOGUS. — Ne eatenus superari erubescas, ut veritatem abscondas.

PHILOSOPHUS. — Secundum Platonem, divina voluntas omnium rerum prima est causa. Primæ autem causæ causam inquirere, est vocem propriam ignorare.

THEOLOGUS. — Ita est. Ergo tibi respondeo : Omnia agit Deus magnus atque ter- *Ps.* LXXXVIII, 8.
ribilis secundum propositum voluntatis suæ, quæ licet occulta imperscrutabilisque consistat, injusta tamen aut irrationabilis esse non potest. Denique, sicut Anselmus meus devotissimus doctor, in suo Proslogion pulchre disseruit : In omni
B opere Dei, misericordia justitiaque miscentur. Universæ equidem viæ Domini mise- *Ps.* XXIV, 10.
ricordia et veritas. Itaque tam bonus est Deus, ut justum sit eum misereri quibusdam ; et rursus tam justus est Deus, ut decens sit eum quosdam relinquere. Enimvero, quum secundum tuum Platonem, ideo Deus mundum creaverit, ut in rebus divina perfectio reluceret, decuit in quibusdam clementiam, in ceteris divinam ostendi justitiam. Cur autem potius istum quam illum elegerit, noli velle discutere,
C si non vis perire.

PHILOSOPHUS. — Quid amplius restat ? Voluntati divinæ quis valet resistere ? Si ergo vult quosdam perire, quis potest impedire ?

THEOLOGUS. — Voluntate antecedente vult omnes homines salvari. Neque mortem peccatoris desiderat, quoniam quantum in se est, cunctis sufficienter providit ad salutem. Voluntate autem consequente ac beneplaciti, quæ ubique semper impletur, solos electos vult effici sal-
D vos. Reprobos autem non vult hoc modo perire, nisi considerata eorum iniquitate.

PHILOSOPHUS. — Potestne igitur præscitus salvari, vel prædestinatus damnari ?

THEOLOGUS. — Nulli eorum libertas aufertur. Denique in sensu diviso, potest prædestinatus damnari, et præscitus salvari, non autem in sensu composito ; et est in talibus necessitas consequentiæ, non consequentis.

PHILOSOPHUS. — Nunc dialectica uteris.

Verumtamen, ut cerno, aliud non est nisi ut timeantur judicia Dei.

Rom. XI, 34. THEOLOGUS. — Utique. Quis enim cognovit sensum ejus? Aut quis valet cognosce-
Eccle. IX, 1. re si amore vel odio dignus finaliter invenietur ?

PHILOSOPHUS. — In præinductis nescio quid de Antichristo mihi locutus es. Quid A autem per Antichristum intelligas, prorsus ignoro.

THEOLOGUS. — De hoc specialem tractatum inducam. Interim autem paulisper pausemus. Tu vero tempore hujus pausæ, authenticam lege Scripturam; et quidquid in ea tibi obscurum inveneris, tempore opportuno inquirendo proponas.

LIBER SEXTUS

DIALOGION
DE FIDE CATHOLICA

LIBER SEXTUS

DE ANTICHRISTO ET FALLACIIS EJUS.

PROŒMIUM.

THEOLOGUS. — Dominus noster Jesus Christus, qui secundum divinam naturam universa creavit, atque per humanitatem assumptam omnia reparavit, inter multa quæ ingratissimis perfidisque Judæis loquebatur, hoc quoque eisdem vaticinatus est : *Ego* (inquiens) *veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Joann. v, 43.

PHILOSOPHUS. — Hæc propositio conditionalis est; nil igitur ponit.

THEOLOGUS. — In verbo inducto, hæc vox, *si,* non dubitative, sed certitudinaliter rite tenenda est. Certissime nempe Christus prædixit alium fore venturum, a Judæis pro Christo suscipiendum.

PHILOSOPHUS. — Non satis intelligo ista.

THEOLOGUS. — Christus in Evangelio
Matth. xv, 24. ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel : utpote, quoniam plebi Israelitarum primo atque præcipue missus erat. Illis autem in incredulitate manentibus, justa ad gentes transmigratio facta est. Itaque, dum Christus coram Judæis, verbis itemque miraculis se verum esse Messiam ipsis in Prophetis et lege promissum fateretur, et ipsi nihilo minus
A increduli permanerent, contestatus est eis : *Ego veni in nomine Patris mei,* videlicet a Deo missus, *et non accepistis me,* credendo in me; alius veniet, *in nomine suo,* utpote non missus a Deo, nec Dei, sed propriam gloriam quærens, *illum accipietis* tanquam verum Christum.

PHILOSOPHUS. — Quis erit iste alius ?

THEOLOGUS. — Is de quo ante jam dixi, quem Antichristum vocavi.

PHILOSOPHUS. — Vocabitur ita ?

THEOLOGUS. — Christus et Antichristus
B non sunt nomina propria, sed proprietatem quamdam insinuant. Sicut ergo Christus proprio nomine Jesus appellatur, et propter plenitudinem gratiæ quæ a Deo spiritualiter unctus est, Christus antonomastice dicitur, quamvis multi dicti sunt Christi; sic Antichristus proprium nomen, nescio quod, sortietur. Denique ipse ac ejus sequaces, non utique Antichristum, sed Christum, eum vocabunt. Nos autem eum Antichristum, id est Christo contrarium, dicimus. Et quamvis multi dicantur
C Antichristi, id est Christi adversarii, ipse tamen antonomastice Antichristus juste vocatur, quia vehementius Christo ac ejus Ecclesiæ adversabitur, quam unquam quispiam adversatur.

PHILOSOPHUS. — Quando hoc erit ? Præterea de ista materia plenius doceri cupio.

ARTICULUS I.

De adventu Antichristi testimonia Scripturæ authenticæ.

Theologus. — Novi ac veteris Testamentorum veritas docet, ante consummationem sæculi atque secundum Christi adventum, quemdam esse impiissimum superbissimumque hominem venturum, qui maximam hominum partem decipiet, et se verum esse Christum perhibebit.

Philosophus. — Cur hunc impiissimum, cur itemque superbissimum nominasti ?

Theologus. — Impius erit, quoniam contra Deum peccabit, ejusque cultum pro viribus destruet. Superbus denique erit, quoniam se Filium Dei jactabit. Et quia maximus erit Domini nostri Jesu, veri utique Christi, blasphemator ac hostis, ideo impiissimum eum ac superbissimum dixi. Unde et Antichristus per excellentiam rebellionis vocatur.

Philosophus. — Jam nunc pande Scripturas de eo profantes.

Theologus. — Nullus Evangelistarum de ipso conticuit. Porro verbum in præsentis exordio libri inductum, in Joanne est scriptum. Matthæus quoque evangelista de Antichristo verba Domini nostri Jesu Christi conscribens : *Orate,* inquit, *ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato,* id est tempore inconvenienti et nimium tardo ; *erit enim tunc,* id est tempore Antichristi, *tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro ; sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic ; nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Huic præterea verbo evangelistæ Matthæi Lucas et Marcus concordant. (*Matth.* XXIV, 20-24.) (*Luc.* XVII, 22. 23. *Marc.* XIII, 18-22.)

Denique beatissimus Paulus apostolus de Antichristi adventu ad Thessalonicenses

A contestatus est : *Nisi* (ait) *venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* id est Antichristus, *qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent.* (II *Thess.* II, 3, 4, 9, 10.)

B Demum in Apocalypsi Joannis multa de Antichristo descripta sunt, quæ congruis locis adducam.

Philosophus. — Verba allata plurimas mihi quæstiones et dubia gignunt. Primo equidem de tempore Antichristi interrogo, an scilicet ejus adventus præsciri queat. Secundo, quamdiu ejus persecutio et regnum durabunt. Tertio, de signis atque miraculis quæ per eum fienda sunt. Quarto, per quem modum mundum sibi subjiciet. Quinto, qualiter ejus adventus erit se-
C cundum operationem diaboli. Sexto, utrum verum Deum colet, an idola.

Theologus. — Antequam tibi ad ista respondeam, expediens reor ut veteris quoque legis testimonia de Antichristo annectam.

Philosophus. — Ita est.

ARTICULUS II.

Introductio testimoniorum veteris legis de adventu et fraude atque malitia Antichristi.

D

Theologus. — Quamvis de Antichristi adventu itemque fallacia, nec divinus David, nec Isaias, nec Jeremias, nec alii Prophetæ tacuerunt, nihilo minus sapientissimus Daniel, divinorum secretorum speculator, atque regnorum successionum ac temporum mundi summus descriptor, de eo plenius atque profundius scripsit.

Itaque quatuor regnis præcipuis (quorum ultimum atque fortissimum intelligitur Romanorum imperium) descriptis, de

Antichristo mox subjungens Propheta : A
an. vii, 8. *Considerabam,* inquit, *cornua,* id est decem regna in quæ ante Antichristi adventum dividetur regnum Romanorum, quemadmodum ait Apostolus : Nisi venerit discessio primum, id est separatio ab obedientia Romani imperii. Sequitur in textu : *Et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum,* id est Antichristus, primo parvus, utpote de ignobili tribu Dan, ex parentibus vilibus nasciturus, de medio eorum, id est in uno regnorum, quia in Babylone nascetur. Se- B quitur in textu : *Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus,* id est, Antichristus tres reges de decem regnis occidet primo, videlicet regem Africæ, Ægypti, et Æthiopiæ, prout exponitur in Historia scholastica : quo facto, alii septem se ei subjicient.

Sequitur in textu : *Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto,* id est, alta scientia erit in Antichristo, *et os loquens ingentia,* id est blasphemias ma-
Ibid. 11. gnas. *Adspiciebam propter vocem sermo-* C *num grandium quos cornu illud,* id est Antichristus, *loquebatur. Et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset cor-*
Ibid. 12. *pus ejus; aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas:* quia post diem judicii,
bid. 9, 10. de quo ante dixit Propheta, omnis cessabit
I Cor. xv, 4. prælatio, quum utique Christus tradiderit regnum Deo et Patri.

Dan. vii, 9-22. Sequitur in textu : *Post hæc volui discere de bestia quarta, et de cornu illo quod ortum fuerat ante quod ceciderant tria cornua,* id est de Antichristo. *Adspi-* D *ciebam, et ecce cornu illud,* id est Antichristus, *faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, donec venit Antiquus dierum,* id est æternus Judex, *et judicium dedit sanctis Excelsi,* quia Antichristus
I Thess. ii, . regnabit donec Christus eum spiritu oris sui occidat.

Consequenter in textu Propheta exponit se ipsum, et quæ præmisit planius resc-
Dan. vii, 23, 24. rat : *Bestia* (inquiens) *quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis,* ipsum videlicet præcedentibus : et est Romanorum imperium. *Et alius,* scilicet Antichristus, *consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus,* quia totius mundi principatum obtinebit, quemadmodum in Psalmo dicitur : Omnium inimicorum suorum dominabitur. Ps. x, 5, sec. Hebr. Subjiciet enim sibi Judæos, Sarracenos, Tartaros, et quod dolorosius est, Christianorum quoque quamplurimos. Unde in textu dicitur, *Tres reges humiliabit,* sicut Dan. vii, 24, 25. expositum est. *Et sermones contra Excelsum loquetur :* quia Dominum nostrum Jesum Christum, Unigenitum Dei, qui est I Cor. i, 24. virtus et sapientia Patris, totis viribus sine timore iniquissime blasphemabit; *et sanctos Altissimi conteret,* Dan. vii, 25. id est, veros Christianos interimet; *et putabit quod possit mutare tempora et leges,* propter ineffabilem sui cordis superbiam. *Et tradentur,* sancti videlicet, *in manus ejus, usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis,* id est, per tres annos cum medio dominium ejus durabit. Hebræus enim nomine temporis significat annum, et per pluralem numerum, annos duos. Sequitur in textu : *Et judicium sedebit, ut auferatur potentia* Ibid. vii, 26. ejus *et dispereat usque in finem,* quia Antichristo divina virtute perempto, omnes Christo deservient.

PHILOSOPHUS. — Nunc, precor te, revertere ad ordinem ; atque velut ab exordio, me de Antichristi principio, medio ac fine informes, nativitatem ejus, vitam et mortem describens.

THEOLOGUS. — Quatenus fundamento innitamur firmo ac stabili, primum authenticæ testimonia inducam Scripturæ.

PHILOSOPHUS. — Hoc sapientiale est.

ARTICULUS III.

Explanatio eorum quæ in Apocalypsi Joannis de Antichristo scribuntur.

THEOLOGUS. — Ecclesiam Domini nostri Jesu Christi tempore Antichristi præser-

tim conculcandam prævidens, beatissimus evangelista Joannes in Apocalypsi ita ex-
Apoc. xi, 1, 2. orsus est : *Datus est mihi calamus, et dictum est mihi : Metire templum et altare, et adorantes in eo :* id est, eos qui vere, utpote vita et fide, ad Ecclesiam pertinent, adscribe. *Atrium autem quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus* ad conculcandum ; *et civitatem sanctam,* id est Ecclesiam orthodoxam, *calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Sensus est : Eos qui in Ecclesia perseveranter fideliterque tempore tentationis non permanent, non metieris. Porro menses quadraginta duo, tres annos et medium complent, tantoque tempore manifesta Antichristi persecutio duratura describitur. Nempe, sicut maxima, ita quoque brevissima erit. Ideoque dictum est : Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

Præterea, contra Antichristi perfidiam Elias et Enoch ex paradiso terrestri venturi prædicaturique sunt, etiam tribus et
Ibid. 3. medio annis. Unde in littera subditur : *Et dabo duobus testibus,* id est Eliæ et Enoch, *meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta,* id est tribus annis cum medio, *amicti saccis,* id est humilibus vestibus.

Ibid. 7-12. Sequitur in littera : *Et quum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso,* id est Antichristus natus de humano semine, veniensque Satana cooperante, *faciet adversus eos bellum, et occidet eos.* Tandem equidem, Deo sinente, Antichristus Eliam et Enoch interimet. *Et corpora eorum jacebunt* insepulta *per tres dies et dimidium, et non sinent poni in monumentis,* præ Antichristi formidine. *Et inhabitantes terram,* id est terreni, quorum non est conversatio in cœlis, videlicet Antichristo adhærentes, *gaudebunt super illis,* id est de morte eorum, *quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos,* contra Antichristum ejusque sequaces efficaciter prædicando. *Et post tres dies et dimidium, spiritus vitæ a Deo in-*A *travit in eos,* quia post tantum tempus revivificandi creduntur, ut quidam exponunt. *Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum,* id est Antichristo credentes.

Insuper alio loco multa de Antichristo scripsit in Apocalypsi Joannes : *Vidi* (in- Apoc. xiii, 1.
quiens) *de mari bestiam ascendentem habentem capita septem.* Etiam alio loco plurima de eodem vaticinata comproban-
B tur. De quibus in ordinis dicendorum prosecutione sermo patebit.

ARTICULUS IV.

Præambulum et velut quædam professio ad intelligendum sapienter atque discrete ea quæ de Antichristo scribuntur.

Theologus. — Porro de Antichristo mul-
C ti inconsulte multa loquuntur. Sed adverte quia hoc valde periculosum temerariumque sit.

Philosophus. — Quum juxta præhabita, ipse iniquus et mendax futurus sit, cur tantum est discrimen de eo incerta disserere ?

Theologus. — Ne quum venerit, et ea quæ de ipso sunt scripta in eo non apparuerint neque exstiterint, non jam Antichristus, sed verus Christus esse putetur. Enimvero, quum totum processus sui ne-
D gotium aliud prorsus futurum non sit nisi palliatio ac simulatio, hinc maximam contra homines, præsertimque Christianos, apparentiam posset elicere, si scripta a Christianorum doctoribus de ejus adventu, vita et signis, in ipso nequaquam implerentur, nec essent. Diceret equidem Christianis : En ista et ista de me vestri dixerunt magistri. Quum igitur ista in me vera non sint, innotescit me non utique esse Antichristum, nec talem uti ipsi scripserunt.

PHILOSOPHUS. — Multum provide respondisti et rationabiliter valde. Sed pande A nunc plenius quid de eo certissime asseri queat.

THEOLOGUS. — Quidquid in Scriptura authentica de eo est scriptum : quæ jam paulo ante partim adducta sunt. Secundo, quidquid Romana Ecclesia de ipso concorditer adstruit.

PHILOSOPHUS. — Quæ sunt hæc ?

THEOLOGUS. — Quæcumque ex authenticarum testimonio Scripturarum veraciter consequuntur.

PHILOSOPHUS. — Ea quæ deinceps de Antichristo dicturus es, qua certitudine recipi jubes ?

THEOLOGUS. — Non alia dicam quam quæ scriptores catholici conscripserunt.

PHILOSOPHUS. — Nonne illa certissime vera sunt et indubitantissime suscipienda ?

THEOLOGUS. — Quemadmodum Augustinus testatur, nullius Sanctorum neque fidelium scripta recipienda sunt quia ipsi dixerunt, nisi auctorum Scripturæ cano- C nicæ, Apostolorum et Prophetarum. Porro alii, quantumlibet sancti et magni, non simpliciter recipiuntur, nisi in quantum Scripturis authenticis, scilicet Apostolorum et vatum, innituntur atque concordant. Itaque expositiones doctorum fidelium exponentium Scripturas canonicas de Antichristo profantes, quamvis probabiles atque catholicæ sint, non tamen adeo certæ sunt sicut Scripturæ ipsæ canonicæ. Cujus ratio est, quia sacra Scriptura variis potest modis exponi. Denique ali- D qua quæ quidam doctores de Antichristo intelligunt, alii de aliis quibusdam exponunt, quemadmodum intuentibus doctorum commenta super Danielem et Apocalypsim, elucescit. Simili modo igitur, ea quæ ego jam dicam in tantum certitudinaliter recipi volo, in quantum authenticæ Scripturæ concorditer consonant. Quæ vero a doctoribus tradita sunt et nunc alleganda, sapienter acceptanda sunt, itemque discrete.

PHILOSOPHUS. — Nunc de Antichristi adventus tempore eloquamur.

ARTICULUS V.

Utrum Antichristi adventus possit præsciri.

THEOLOGUS. — Quemadmodum super quartum Sententiarum S. Thomas ostendit, et habetur partim in littera, adventum Christi ad finale judicium signa quædam B præcedent. Nihilo minus adventus ille incertus dicitur, et tanquam fur in nocte venturus perhibetur. Nam ut scriptum est : Quum dixerint, Pax et securitas ; tunc repentinus eis superveniet interitus. Similiter Antichristi adventum signa quædam præcurrent, et tamen adventus ejus præsciri, nisi Deo revelante, non valet. Et hoc Gorra testatur super epistolam ad Thessalonicenses secundam. Communiter namque dicunt doctores, persecutionem Antichristi improvise mundo superventuram. Præterea, quum juxta evangelium Matthæi, mox post Antichristi persecutionem sol et luna obscurandi sint, et cito post hoc Christus ad judicandum venturus, sicut Rabanus et Thomas fatentur ; si Antichristi adventus præsciri valeret, tunc tempus quoque judicii ultimi præagnosci posset : quod Evangelio dissonat.

I *Thess.* v, 2.

Ibid. 3.

Matth. XXIV, 29, 30.

PHILOSOPHUS. — Quæ sunt signa quæ diem judicii, quæ itemque adventum Antichristi præcessura creduntur ?

THEOLOGUS. — Quamvis in Evangelio signa ponantur diem judicii præcursura, utpote pugnæ, terrores, pseudoprophetæ, abundantia impietatis, atque similia ; tamen, sicut S. Thomas edisserit, non est facile scire in speciali quæ erunt hæc signa post quæ fiet judicium. Signa namque in Evangelio posita de fine mundi, non jam dumtaxat ad ultimum Christi adventum pertinent, sed ad tempus quoque destructionis Jerusalem, et ad adventum quo Christus Ecclesiam quotidie visitat, quemadmodum in epistola ad Hesychium

adstruit Augustinus. Signa quippe prædicta, videlicet pugnæ, terrores, deceptiones, multiplicatio mali, ab exordio mundi fuerunt; nec aliquid horum ad finem mundi præcise pertinere videtur, secundum Augustinum, nisi dicatur quod tunc amplius inundabunt. Sed quoniam quantum tunc excrescent incertum est (non enim scitur secundum quam mensuram crescentia futurum denuntient Christi adventum), ideo ex eis præsciri non potest Christi adventus.

Verumtamen post Antichristi mortem, evidentia apparebunt mox futuri judicii signa, quæ boni advertent, mali vero parvi pendent. Unde ad reprobos respicit quod
I Thess. v, 3. dictum est : Quum dixerint, Pax et securitas; ad electos autem quod Dominus ait :
Luc. xxi, 26. Arescentibus hominibus præ timore, etc. Insuper, signa Antichristi adventum præ-
II Thess. ii, 3. cessura, sunt ut docet Apostolus, discessio, et aliæ tribulationes Ecclesiæ quas doctores circa verbum Apostoli ponunt.

Philosophus. — Si ex signis prædictis non queunt illa præsciri quorum sunt signa, cur signa vocantur ?

Theologus. — Idcirco signa dicuntur, quia nisi ipsa præcesserint, illa non venient quorum ipsa signa censentur. Non enim veniet Antichristus, nisi discessio præcat; nec Christus judicabit, donec omnia quæ dicta sunt fiant. Non tamen oportet ex his signis præsciri determinatum tempus adventuum prædictorum. Denique signa dicuntur, quia quantum in se est, satis insinuant instare adventum quem nuntiant.

ARTICULUS VI.

Objectio Philosophi contra præhabita.

Philosophus. — Videtur mihi in prædictis contradictio implicari.

Theologus. — Quare ?

Philosophus. — Ante dixisti, quod discessione facta revelabitur Antichristus. Er-
A go adventus ejus non erit occultus : quia discessio jam facta, sensui quoque patebit. Nunc autem paulo ante dixisti Antichristi adventum fore occultum ac improvisum.

Theologus. — Quemadmodum fassus sum, non est admodum tutum, omnia quæ de Antichristo futura creduntur, singulatim atque ad unguem pandere determinareque velle. Verumtamen hæc tua instantia solvitur. Adventus enim Antichristi intelligitur duplex : unus quoad nativi-
B tatem usque ad tempus quo manifeste prædicabit itemque desæviet : et iste occultus erit. Alius vero erit manifestus, dum aperte Dominum nostrum Jesum Christum blasphemabit, Ecclesiam persequens et fideles occidens : et hunc apertum ejus adventum, discessio illa de qua Apostolus loquitur, antecedet. Porro utrum occultum ejus adventum seu nativitatem ipsa præcedet, non invenio adeo clare a doctoribus determinatum. Videtur nempe venerabilis Beda super Apocalypsim,
C tradere quod discessio intelligenda sit manifestum Antichristi fore præcessura adventum. Quo dato, adventus ejus quoad suum initium omnino incertus consisteret.

Denique aliter dici potest, quod Antichristi adventus occultus erit, et persecutio improvisa, non quia præsciri non possit quantum est ex parte signorum eum insinuantium, sed propter negligentiam hominum, qui tunc maxime carnis erunt voluptatibus peccatisque dediti. Nihilo mi-
D nus aliqui poterunt ejus adventum satis perpendere, discessione completa : quemadmodum et primus Christi adventus occultus exstiterat, non quia signa non apparebant ipsum esse natum monstrantia, ex quibus merito debebant Judæi ejus pensasse adventum. Imo graviter peccabant quia ejus adventum ignorabant, quum videbant prophetiam Jacob de ab- *Gen.* xlix, 10.
latione regni a Juda esse impletam, hebdomadas quoque de quibus Daniel dixit, *Dan.* ix, 24.
finitas.

ARTICULUS VII.

Quod de Antichristi adventu quidam vicissim decepti sint.

Theologus. — Præterea scias in hoc nonnullos fuisse deceptos, quod Antichristum jam venisse vel de propinquo venturum esse dicebant. Unde B. Hieronymus in libro de Viris illustribus, de quodam Juda viro docto commemorat, quod Antichristum circa tempora sua venturum asseruit. Et certe, quid hoc de homine isto mirum est, quum beatissimus Antonius, S. Athanasio teste, putaverit hæresim Arianam Antichristi consistere præcursatricem atque novissimam? Sicut venerabilis ille Severus in libro de vita S. Martini : Existimare (inquit) possumus nunc de proximo Antichristum esse venturum. Non tamen dico S. Antonium aut Severum deceptum, quia non simpliciter sic affirmabant, sed verisimiliter taliter opinati sunt.

Philosophus. — Quid movebat tantos viros ad ita dicendum?

Theologus. — Magnitudo atque acerbitas persecutionis præsentem esse mundi occasum eis videbatur minari, utpote quia signa illa quæ Christus in Evangelio ponit, quæ et nunc sæpe prætacta sunt, adesse videbant.

Philosophus. — Quum juxta Apostolum, Antichristus non veniet nisi discessio a Romano imperio antecedat, mirum mihi videtur quod viri tam magni jam propinquum esse Antichristi adventum putaverint, præsertim quum ipsorum temporibus Romanum imperium tam vehementer viguerit.

Theologus. — Apostolus de discessione illa valde obscure locutus est, et ut ante jam fassus sum, quamvis nullus Christianorum de veritate verborum Apostoli ambigat, non tamen omnes verba ejus, nec sacras Scripturas, uniformiter concorditerque exponunt. Denique temporibus illorum virorum, non erat Romanum imperium in tanto vigore ut tempore Pauli apostoli.

A Philosophus. — Vellem quod præallegata verba Apostoli evidentius mihi exponeres.

Theologus. — Hoc convenit. Verumtamen scias nunc quoque, id est anno Domini 1432*, non modicum esse rumorem de Antichristi adventu. Nempe epistola quædam a quodam missa est, multa mirabilia de Antichristi jam (ut adstruit) nati ortu, vita et signis complectens. Sed et vir quidam famosus et doctus, prædicator egregius, Vincentius dictus, in sta- B tionibus suis Antichristum nunc natum publice prædicavit, atque de materia ista librum fertur compegisse quem multi viderunt.

* *alias* 1436, vide p. 479.

Philosophus. — Nova (ut dicitur) placent. Porro verba hæc meum inflammant affectum, et incitant animum. Vellem epistolam illam audire; et quid tu de his sentias opto agnoscere.

Theologus. — Epistolam illam scripto commendare, inconsultum videtur, et juxta multos ridiculosum. Tales equidem, ut C aiunt, multæ possunt confingi epistolæ, et utique sæpe confictæ sunt.

Philosophus. — Non affirmando, sed recitando, eam commemora, quatenus ex ea argumentandi occasionem eliciam.

Theologus. — Copiosam tibi inquirendi itemque arguendi materiam alias offeram.

Philosophus. — Quid tu putas et sentis?

Theologus. — Universis hinc inde pensatis, sapientialius atque honestius reor, nec leviter credere, nec pertinaciter ea negare, sed Deo totum committere, seque D ad exspectandum diem novissimum indesinenter aptare.

Philosophus. — Nonne ex verbis Apostoli tui inductis, tibi videtur necdum instare Antichristi adventum, præsertim quum discessio nondum appareat?

Theologus. — Dixi tibi, si retines, non æqualiter a singulis verba exponi Apostoli. Insuper quoque ostendi non tam evidens esse, utrum discessio illa nativitatem Antichristi, an certe revelationem ipsius, præcedet.

Philosophus. — Nunc de Apostoli verbis effemur. A

ARTICULUS VIII.

Explanatio verborum Apostoli de Antichristi revelatione.

Theologus. — In secunda quam beatissimus Paulus apostolus Thessalonicensi-
II *Thess.* ii, 1, 2. bus scribit epistola, hortatur eosdem ne instare existiment diem Domini, id est diem novissimum. Denique de dilatione B
diei illius eos certificans, duo tangit quæ illum præcedent : primum est discessio ; secundum, Antichristi revelatio. Ait ita-
Ibid. 3. que : *Quoniam nisi venerit discessio primum,* non veniet Dominus ad judicium.

Philosophus. — Nunc palam hæc verba explana.

Theologus. — Ista discessio, secundum Glossam et testimonium Gorræ ac aliorum, tripliciter potest intelligi. Primo, de discessione gentium a Romano imperio : quod juxta prætacta, in decem regna di- C
videtur atque deficiet antequam veniat Antichristus. Secundo intelligitur de discessione sive inobedientia particularium Ecclesiarum a Romana Ecclesia per schismata varia : quæ etiam diem Domini anteibit. Tertio, de discessione non omnium, sed quorumdam, a fide catholica. Hæ tres discessiones ante Antichristum venturæ creduntur.

Ibidem. Sequitur in textu : *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* id est Antichristus, qui antonomastice dicitur ho- D
mo peccati, propter plenitudinem omnis culpæ, et quia quasi homagium peccato
Ibid. 4. efficiet. *Qui* Antichristus *adversatur* omni veritati, *et extollitur supra omne quod dicitur Deus :* vel falsa opinione, ut dæ-
Ps. xcv, 5. mones : omnes enim dii gentium dæmonia ; vel gratiæ adoptione, ut sunt homines sancti. Istis se præferet Antichristus ; et nedum istis, sed demum extolletur supra id *quod colitur* Deus, id est supra verum Deum, qui est unus in essentia, et trinus in personis : quem solum decet latria, et cui nil vere potest esse æquale. Ecce quanta superbia impii hominis, non solum supra sanctos, sed etiam supra Deum extolli.

Philosophus. — Utrum superbior erit Antichristus Lucifero ?

Theologus. — Hoc videtur, et a multis conceditur. Ille quippe dicebat : Similis *Is.* xiv, 14.
ero Altissimo. Iste vero extolletur supra Deum.

Philosophus. — Secundum præhabita, maxima inerit Antichristo scientia : ergo sciet Deum esse immensum, et per consequens se non esse Deo majorem.

Theologus. — Quod dictum est, Extolletur supra Deum, non ita accipio, quod se Deo dicet majorem. Si enim hoc diceret, manifeste deciperet. Erit autem summus hypocrita, pessimusque sophista : ideoque nequaquam se Deo dicet majorem, sed ejus unicum Filium. Et forte, sicut Dominus noster Jesus Christus se Deo Patri æqualem consubstantialemque verissime docuit, sic et iste se Deo Patri falsissime æqualem adstruet. Quod tamen non admodum certum videtur, quia nec certum habeo quod dicet Deum in personis trinum, vel saltem dualem, quemadmodum Macedonius dixit : quod tamen dicere compelleretur, si se Deo Patri consubstantialem fateretur atque æqualem. Porro Judæi Christum exspectant venturum, non verum Deum, sed purum hominem, licet sanctissimum.

Philosophus. — Quomodo ergo extollitur supra Deum ?

Theologus. — Hoc de omni superbo, potissime quoque de Antichristo elatissimo, dici potest, eo quod propriam gloriam quærat, magis suam quam divinam volens fieri voluntatem. Antichristus præterea Dominum nostrum Jesum Christum, qui utique verus Deus est et verus homo, non in una natura, sed in una persona, apertissime blasphemabit. Et quod nos de illo, hoc ipse et sui de Christo nostro audebunt asserere.

II *Thess.* II, 4. Deinde ait Apostolus : *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* Veniet namque Antichristus in Jerusalem, dicens se Christum in lege Judæis promissum ; et mox credent ei Judæi, templum quod destruxerunt Romani ædificantes, in quo Antichristus sedebit, adorari se faciens ut verum Messiam.

Ibid. 6. Sequitur : *Et nunc quid detineat,* id est, retardet Antichristi adventum, *scitis,* o Thessalonicenses, videlicet quia nondum discessio facta est ; *ut reveletur* nihilo minus Antichristus *in suo tempore,* a Deo utique præordinato, in quo, Deo juste permittente, omnem suam impiissimam voluntatem sine ulla resistentia impleturus cognoscitur. Cujus facti typus Apostoli tempore, in Nerone Christianos persequente, *Ibid.* 7. præcessit. Ideo subdit : *Nam mysterium jam operatur iniquitatis :* id est, diabolus per servum ac filium suum Neronem et principes ejus, operatur mysterium iniquitatis, id est occultam et mysticam iniquitatem, persecutionis Antichristi præfigurativam.

Sequitur : *Tantum ut qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat.* Quid hic dicere velit Apostolus, Augustinus se nescire fatetur. Quod nihilo minus in Glossa sex modis exponitur. Primo sic : Hoc restat (antequam Antichristus appareat) tantum, id est : qui tenet nunc, id est, persona quæ jam Romanum tenet imperium, teneat illud donec Romani potestas imperii de medio fiat, sive deficiat. Secundo sic : Hoc restat antequam Antichristus reveletur et veniat, id est : qui tenet nunc, id est persona tenens fidem catholicam, teneat ipsam fidem donec ipsa fides de medio fiat, id est, infirmetur et refrigescat, non tamen prorsus occumbat, quoniam fides christiana nunquam, statu isto durante seu mundo, penitus auferetur, sed tempore Antichristi magis quam ante minuetur. Tertio sic : Qui tenet, id est, res quæ Antichristi adventum retardat, teneat, id est, illum retardet, donec res ista de medio fiat, id est, tollatur et cesset.

A Hæc vero res, est accessus ad fidem, quæ ante Antichristi adventum cessabit, ita ut ad fidem nullus accedat.

Quarto sic : Qui tenet, teneat : id est, occulta iniquitas, seu mysterium iniquitatis quæ nunc Antichristi adventum retardat, differat illum, donec ipsa de medio fiat, id est, ut homines peccare non erubescant, quia ut dicit Glossa, ante Antichristi adventum non amplius erubescent homines adulterari et furari, quam manducare et ambulare. Quinto sic : Hoc restat B priusquam Antichristus adveniat, ut qui tenet, id est, qui fidem habet, teneat, id est, in ea persistat, donec mysterium iniquitatis de medio fiat, id est, occulti fictique mali manifeste de Ecclesia exeant. Sexto sic : Hoc restat, etc., ut qui tenet, id est accessus ad fidem, quo per misericordiam et gratiam Dei aliqui ad fidem accedunt, teneat, id est, retardet Antichristi revelationem, donec iste accessus de medio fiat, id est, malus a fide recedat, atque evidenter innotescat. Tunc quippe C omnes ad Christum non pertinentes, manifeste a fide discedent.

Philosophus. — Diligentissime de apostolicis disseruisti sermonibus ; et dictis rite pensatis, longe (ni fallor) adhuc adventus deest Antichristi.

Theologus. — Noli inconsulte et tanquam ex abrupto quidpiam definire.

Philosophus. — Quid ergo tibi videtur ?

ARTICULUS IX.

D *Quæ sunt ex quibus videtur nondum instare Antichristi adventus.*

Theologus. — Discessionem jam nunc sex modis expositam, Antichristi revelationem, id est apertam persecutionem ac prædicationem, esse præventuram, apostolica palam protestatur sententia. Ait enim : *Quoniam nisi venerit discessio primum,* II *Thess.* II, 3 *et seq.*
et revelatus fuerit homo peccati, id est mendacissimus atque falsissimus Antichristus, etc. Sic ergo discessio revelationem

ejus præcedet. Sed utrum nativitatem quo- A que ejus præveniet, superius discussi, idque ex verbis venerabilis Bedæ deduxi, quod potius intelligendum sit discessionem hanc apertum Antichristi adventum præcessuram. Quo concesso, non sequeretur propterea longe esse Antichristi nativitatem seu occultum adventum, quoniam nondum est impleta discessio. Quum enim inter ortum Antichristi ejusque revelationem, triginta credantur anni intermedii esse venturi, infra tempus tantum discessio ista posset impleri, præsertim B quum jam magna ex parte videatur impleta. Nam tria illa cornua de quibus ante jam sermo est habitus, scilicet regnum Africæ, Ægypti, et Æthiopiæ, diu a Romano imperio abscisa sunt. Denique nunc hæreses oriuntur et schismata, et nec summo Pontifici, neque Romano imperatori, debita exhibetur reverentia vel obedientia a subjectis. Non tamen ex his scire quis valet natum aut cito nasciturum perditionis filium, quia hæc atque similia mala sæpe in Ecclesia orta sunt, etiam C magis quam modo.

Philosophus. — Suntne alia ex quibus elici queat propinquum vel remotum fore Antichristi adventum ?

Theologus. — Communiter tradunt doctores quod ante Antichristi adventum, Terra sancta, in qua Dominus noster Jesus Christus natus, conversatus et passus est, quam nunc Sarraceni legem tenentes Mahometi occupant, Christianis reddetur, Sarracenis devictis atque expulsis. Nempe ipse quoque Mahometus et ejus sequaces, D propriam legem asserunt Christianorum gladio destruendam. Sicut enim gladio invaluit, sic gladio desinet. Licet autem omnipotenti gloriosoque Deo nil prorsus impossibile sit neque difficile, tamen humano modo loquendo, talis Sarracenorum destructio non videtur de facili neque celeriter posse compleri, præsertim quum jam in Terra sancta fortiores habere munitiones ac propugnacula contra Christianorum invasionem dicantur, quam hactenus. Insuper multi (ut fertur) Tartarorum legem illam ubertim accipiunt : et sic non apparet admodum fini propinqua. Sunt etiam alia multa scripta quæ per revelationem manifesta dicuntur, ex quibus consequens est non adhuc propinquum esse Antichristi adventum.

De quibus omnibus nihil omnino determino, nec incerta pro certis recipio ; quidquid vero in Scriptura canonica de ipso conscribitur, certissime credo et teneo. Porro, quando veniet, quid ad me ? Non est meum nosse tempora vel momen- *Act.* I, 7. ta quæ Pater posuit in sua potestate. Utinam ego interim taliter vivam, ut me Dominus paratum inveniat, sive ad mortem naturalem, sive ad Antichristi persecutionem, sive ad extremum judicium. Curiosas autem et inutiles quæstiones vanis supervacuisque relinquo. Antichristum esse venturum certissime scio ; quando veniet, prorsus ignoro.

Philosophus. — Vere sapienter respondes, et sobrie multumque discrete. Sed quod tibi adhuc de præsenti materia deesse videtur, supplere digneris.

ARTICULUS X.

De nativitate Antichristi, et loco ac genere, et quomodo dæmon descendet in ipsum.

Theologus. — Porro, quemadmodum Glossa ait super Apostolum, et Beda super Apocalypsim inducit, Antichristus in Babylone nascetur. Gorra tamen dubium asserit, an in Babylone Chaldææ aut Ægypti. Et videtur ei magis putandum quod in Babylone Ægypti nascetur, quoniam illa plurimum populosa est ; Babylon vero Chaldææ destructa est.

Philosophus. — Cur in Babylone nascetur ?

Theologus. — Babylon interpretatur confusio. Homo ergo peccati qui totum mundum confundet atque turbabit, et a vero Christo tantos avertet, non immerito in Babylone nascetur. Denique, sicut Jerusalem

tenet speciem regni cœlestis, sic Babylon regni terreni. Ideoque in ea princeps hominum terrenorum nascetur, quemadmodum scriptum est : Recedentes a Deo in terra scribentur. Denique nascetur de tribu Dan.

Jer. xvii, 13.

PHILOSOPHUS. — Quis est iste Dan?

THEOLOGUS. — Patriarcha Jacob duodecim habuit filios : quibus quum moriens benediceret, de tribu unius eorum, videlicet Judæ, prophetavit Christum gignendum; de alterius quoque progenie, utpote Dan, innuebat nasciturum Antichristum, quemadmodum scriptum est : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Et hujus signum est quod Joannes in Apocalypsi ceteris tribubus Israel non connumerat tribum Dan : nil enim de ea profatur.

Gen. xlix, 17.

Præterea, quia se Christum fatebitur, ea quæ de Christo sunt scripta, sibi adscribet. Ideoque verisimile est quod se de tribu Judæ ortum testabitur. Et denuo, quia de Christo ait Propheta quod de virgine prodiet, propterea aliqui dicunt quod se Antichristus de virgine natum edisseret, nec invenietur patrem habere in terris. Nihilo minus de parentum concipietur seminibus. Sed mox anima corpori ejus infusa, descendet in eum diabolus. Et sicut Magister Sententiarum enarrat libro secundo, tunc Lucifer solvetur : et ut opinor, ille occupabit possidebitque eum ex utero matris; cujus virtute, industria et operatione, puer gignetur, adolescet, aletur, et in singulis usque in finem dirigetur. Unde tota ejus vita erit peccatum, et secundum doctores, sicut in Christo a conceptionis suæ instanti erat plenitudo Spiritus Sancti, omniumque divinorum dona charismatum, sic quod tota ejus vita exstitit sanctitas pura ; sic in istum descendet spiritus nequam, eritque universa ipsius vita iniquitas atque fallacia.

Is. vii, 14.

PHILOSOPHUS. — Quid utique meruit puer ille, ut sic nondum discretionis tempus sortitus, possideatur impleaturque dæmone? Præterea, si a nativitatis suæ primordiis dirigetur a dæmone, erit quasi instrumentum diaboli, nec magis sua malitia sibi imputanda videbitur, quam dæmoniacis atque phreneticis.

THEOLOGUS. — Subtiliter arguis, quoniam præinducta tibi admirationem efficiunt. Verumtamen auditis quæ restant, vehementius (ni fallor) miraberis, et fortius quoque objicies. Ideoque ad hoc respondere differo, donec posterius convenientiori respondeam loco.

PHILOSOPHUS. — Hanc dilationem æquanimiter fero. Porro quæ in hoc disseruisti articulo, certa omnino sunt? authenticæ testimonio Scripturæ innixa?

THEOLOGUS. — Quod dixi Antichristum in Babylone gignendum, non legisse recordor in Scriptura canonica ; sed neque agnosco unde id per Scripturam canonicam queat probari. Præterea, quod dixi eum de prosapia Dan nasciturum, quamvis a doctoribus per Scripturam probetur, auctoritates tamen illæ quæ ad hoc inducuntur, aliter accipi valent. Id equidem quod paulo ante induxi de libro Geneseos, Fiat Dan coluber in via, quidam doctorum, quos et Nicolaus de Lyra super Isaiam assequitur, non jam de impio Antichristo, sed de sancto Samsone exponunt.

PHILOSOPHUS. — Quomodo potest hoc fieri?

THEOLOGUS. — Hoc mirum non est : nam in sacra Scriptura per leonem sæpe Christus, interdum autem designatur diabolus. Nempe de Christo Joannes : Vicit, ait, Leo de tribu Juda; et de diabolo Petrus : Circuit, inquit, tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. Sunt namque in leone fortitudo et feritas. Dicitur igitur Christus leo propter fortitudinem, dæmon propter feritatem. Sic et Samson colubro comparatur, itemque cerastæ : nam et ipse adversarios Israel pia fraude decepit, quemadmodum in libro Judicum legitur. Et Antichristus etiam illis similis appellatur, propter infectiones mortiferas impiasque fallacias quibus populum fallet. Amplius autem, quod dixi Joannem in Apocalypsi ideo non connumerare tribum Dan tri-

Apoc. v, 5. I Petr. v, 8. Judic. xvi.

bubus ceteris, quia de ea prodiet Antichristus, ab aliquo posset negari. Eadem quippe ratione de tribu Ephraim diceretur gignendus, quoniam nec illam commemorat.

Philosophus. — Cur non computat eam cum tribubus aliis?

Theologus. — Quoniam principium idololatriæ de populo exstitit. De ea enim
III *Reg.* xii, 28. erat Jeroboam primus rex Israel, qui duos aureos vitulos fecit : a cujus peccato decem tribus usque ad captivitatem suam non recesserunt. Hanc causam quidam assignant; nec reprobo eam. Sed ipsa quoque de tribu Dan reddi potest. Ut enim
Judic. xviii, 30, 31. in libro Judicum scribitur, idolum Michæ mansit in tribu Dan usque captivitatem ipsorum, ab eo utique tempore quo vastaverunt Lais : quod diu ante Jeroboam tempore fuit. Unde elucescit tribum Dan prius ad idololatriam declinasse, quam genealogiam Ephraim. Sed ad hoc satis rationabiliter dici posset, quod quamvis tribus Dan primo idololatra fuerit, non tamen eatenus ceteros ad idololatriam induxit sicut progenies Ephraim.

Philosophus. — Qua ergo certitudine recipi jubes quæ de loco et genere Antichristi dixisti?

Theologus. — Non tali nec tanta ut recipienda est Scriptura canonica, sed probabiliter tantum, quoniam doctores catholici taliter aiunt, et Scripturæ divinæ concordare videntur. Hæc autem ideo fassus sum, quoniam ut supra ostendi, periculosum est de Antichristo multa asserere quæ per Scripturam authenticam non probantur aperte; et ut agnoscatur qua discretione utendum est in his quæ de filio perditionis traduntur.

ARTICULUS XI.

De progressu et vita atque adventu Antichristi in Jerusalem.

Theologus. — Quemadmodum tradidi, non omnia scire valemus quæ homo pec-
A cati usque ad suam revelationem seu manifestam in Christum blasphemiam aget. Tempus tamen ipsius a nativitate usque ad tricesimum annum, in quo persecutio ejus ebullire incipiet, nominatur ipsius occultus adventus, quamvis fortassis non omnino tunc otiosus a fallacia, doctrina et signis exsistet. Sed tempus quo aperte se Christum prædicabit Christianosque interimet, revelatio ipsius vocatur. Hoc porro certum est, quia interim inhabitator ejus diabolus instruet eum, atque ad mox
B futura mala agenda disponet. Quum ergo in loco quo natus fuerit, aut circiter, vel alibi, manifeste prædicare exorsus exstiterit, multosque sibi discipulos fecerit, atque exercitum ingentem ac robustum collegerit; veniet tandem in Terram sanctam et in Jerusalem, tanquam in ea redemptionis humanæ operaturus mysteria.

Quumque urbem Jerusalem obtinuerit, Judæi ei adhærebunt, quibus dicet se verum esse Messiam ipsis promissum. Qui credentes in ipsum, ædificabunt templum
C a Romanis olim destructum, et in illo sedebit Antichristus, ostendens se suis, id est, adorandum se exhibens, tanquam sit Deus, Dei Unigenitus, verusque Christus. Circumcidet se quoque, ut dicunt doctores, ut Judæos alliciat, et legem Mosaicam approbare se fingat. Plebs vero Hebraica familiarius, ut ait Haymo, Antichristo adsistet. Verumtamen prædicantibus Enoch et Elia, qui ex ipsis salvandi fuerint, convertentur ad Christum. De quo postmodum loquar.

D Præterea, de hoc an Antichristus luxuriosus erit, doctores diversimode sentiunt. Nam in Scholastica historia fertur quod propter sanctitatis simulationem, quatenus efficacius fallat, castus futurus sit. Alii adstruunt quod lubricus erit in abdito, sed castus in publico. Id vero quod in Daniele scriptum est, Et erit in concupi- *Dan.* xi, 37.
scentiis feminarum, de Antichristo quidam intelligunt : quod tamen necessarium non videtur, quoniam ut alii probant, capitulum illud mixtim intelligitur de Anti-

christo et Antiocho. Quod non attendens, A Porphyrius calumniatur Prophetam.

ARTICULUS XII.

De modis quibus Antichristus gentes seducet.

Theologus. — Bonum est quod omnia appetunt, nec potest aliquid diligi nisi sub ratione alicujus bonitatis, vel exsistentis, vel apparentis. Quum igitur secundum præhabita, Antichristus impiissimus sit futurus, non poterit tot adipisci B fautores, nisi propter bonitates quasdam apparentes et fictas.

Denique in Apocalypsi ita de Antichristo ait beatissimus Joannes : *Vidi* (inquiens) *aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.* Quod eleganter exponens sanctus atque venerabilis Beda : Agni (ait) cornua præfert Antichristus, qua draconis venena latenter infundat, quoniam per sanctitatis hypocrisim, eam quam in se veraciter Dominus habuit, sin- C gularem sibi inesse sapientiam mentitur et vitam. Itaque duo cornua Antichristi duobus Agni similia cornibus, sunt sapientia atque vita. Sicut enim Christus, etiam ut homo, a principio in omni scientia et sanctitate erat perfectus ; sic Antichristus, auxiliante diabolo, magnam habebit scientiam, et vitam secundum apparentiam valde religiosam, et in his duobus cornibus plurimos fallet. (Apoc. xiii, 11.)

Denique juxta doctores, sex modis infelices seducet : sapientia verborum, simula- D tione virtutum, testimonio Scripturarum, ostendendo illas verificari in ipso, operatione miraculorum, promissione divitiarum, et terrore persecutionis. His modis multos decipiet, quemadmodum in Apocalypsi scriptum est : *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum, et misit eas in terram,* id est in errorem. Malos equidem trahet per munera, bonos per tormenta, simplices per doctrinam, plurimos vero per signa atque miracula. Itaque Antichristus docebit novam legem esse malignam. Nam ut in Daniele habetur : *Contra principem principum,* id est Dominum nostrum Jesum Christum, *consurget.* Et in tantam se superbiam eriget, ut leges et cærimonias, vel temporum cursus, mutare conetur. Porro, ut in Daniele prophetatum agnoscimus, Antichristus dominabitur thesaurorum argenti et auri. Inveniet nempe, duce diabolo, thesauros absconditos, quibus ditabit avaros, quorum falsam prosperitatem aliis pro exemplo ad fallendum ostendet. (Ibid. xii, 4.) (Dan. viii, 25.) (Ibidem.)

Philosophus. — Miror vehementer cur Deus tantam permittet inesse potestatem homini impio ad fallendum.

Theologus. — Fidelis Deus non permittit nos unquam tentari ultra quam ferre valemus. Sed de hoc postmodum evidentius colloquemur. (I Cor. x, 13.)

Philosophus. — Secundum omnia præostensa, miracula sunt quasi quædam fidei christianæ sigilla. Si ergo Antichristus miracula faciet, robur fidei prorsus dissolvitur. Denique quod commune est bonis et impiis, esse non potest sufficiens argumentum divinæ veritatis. Si igitur Antichristus miracula aget, argumentum fidei ex miraculis sumptum invalidum exstat.

Theologus. — Horum responsio specialem requirit articulum.

ARTICULUS XIII.

De signis et prodigiis quibus Antichristus homines fallet.

Theologus. — De Antichristo loquens Apostolus : *Cujus est* (inquit) *adventus in omni virtute* humanæ potentiæ, *et signis et prodigiis,* id est in parvis et in magnis mirabilibus. Faciet enim diabolica ope portenta magna : ut volare in aere, ignem de cœlo descendere, arbores repente florere, atque similia. Denique minora quoque efficiet, ut cæcos videre, surdos audire, claudos ambulare. (II Thess. ii, 9.)

PHILOSOPHUS. — An concedis ipsum miracula esse facturum ?

THEOLOGUS. — Ratio miraculi dupliciter assignatur. Uno enim modo miraculum, secundum Augustinum, vocatur quidquid arduum vel insolitum, supra spem aut facultatem admirantis apparet. Et sic ea quæ naturali ordine cursuque rerum non fiunt, dicuntur miracula : et constat talia multa Antichristum facturum, sicut et magi Pharaonis et Simon magus. Secundo et proprie, miraculum dicitur quod omnem naturæ facultatem prorsus excedit, sic quod in rebus creatis non est aliqua virtus talium activa, sed solum obedientialis potentia, qua Deo creatori natura creata in cunctis deservit et paret quæ contradictionem non implicant : ut sunt virginem parere, mortuos suscitare, cordis arcana cognoscere, futura penitus contingentia ac indeterminata certo præscire. Et talia non poterit Antichristus veraciter facere, sed in præstigio tantum.

PHILOSOPHUS. — Ea quæ malis quoque conveniunt, divinam veritatem sufficienter non comprobant. Si ergo Antichristus cæcis visum, surdis auditum, etc., restituet, languores curabit, et similia faciet ; indignum videtur quod in Evangelio talia de Christo ad fidem firmandam narrantur.

THEOLOGUS. — Multa sunt quæ fidem stabiliunt cum circumstantiis certis et aliis quibusdam sibi conjunctis, quæ tamen secundum se et sine relatione ad alia, unde accepta, ad fidei robur nequaquam sufficiunt. Verbi gratia, ut quod de Domino nostro dulcissimo Unigenito Dei Patris Jesu Christo legitur, quia dæmones expulit, cæcos illuminavit, paralyticosque curavit, et alia multa, secundum se et unde ad fidei firmitatem non sufficiunt : quia et mali talia, Deo permittente, facere queunt, et per naturalem scientiam medicinæque artem effici valet ut languores quidam curentur, quos Christus et sancti ejus discipuli miraculose curasse leguntur. Imo, ut cito ostendam, A operatione diaboli talia multoque insuper mirabiliora effici possunt. Verumtamen, si præinducta Christi opera cum certis circumstantiis accipiantur, et cum comparatione ad alia quæ ad ipsum respiciunt, scilicet quod solo imperio ista peregit, sine operatione alicujus naturalis virtutis vel a dæmone vel alias occulte adhibitæ ; tunc ista fidem satis corroborant.

Præterea, quod Christiani multi multa signa fecerunt, quæ tamen magica arte B vel naturali virtute fieri possunt, fidem quidem confirmat, si credamus eos talia per divini invocationem nominis operatos, et non per secretas fallacias. Nos ergo qui certissime, imo experimentaliter, scimus quales fuerint et sint qui in nostra lege signa ista fecerunt, per ea in fide instruimur. Agnoscimus namque, quod tu quoque et cuncti àgnoscere valent qui secundum Christi legem religiose vivere volunt, quod veri atque perfecti Christiani humillimi sint, Deum summe amantes, C veritatis zelatores, nil magis quam cum dæmone communionem aut fœdus habere vitantes, totam spem suam in Deo vero et vivo figentes, et ei soli pura absolutaque mente semper pro viribus vacare optantes : qui etiam arduam vitam ducunt, ut taliter vivendo Deo placere prævaleant. Ideoque Salvator in Evangelio ait : Si quis voluerit voluntatem ejus facere, *Joann.* VII, 17.
cognoscet de doctrina mea an ex Deo sit. Veraciter enim qui christiformiter vivit, experimentaliter sapit christianæ san- D ctitatem doctrinæ.

PHILOSOPHUS. — Multa jam mihi pulchra dixisti. Sed dicere aliquis posset Christum et ejus discipulos, non divina virtute sed magica ista fecisse, sicut et vos de aliis et Antichristo asseritis ; nec fuisse eos veraciter sanctos, sed hypocritas et simulatores atque maleficos. Nam et pessimi homines magnam sæpe sanctitatem confingunt et simulant.

THEOLOGUS. — Ut tibi plane respondeam, latius loquar.

ARTICULUS XIV.

Responsio Theologi ad objectionem Philosophi de miraculis Antichristi.

Theologus. — Non omnium est fides, et
II Tim. II, 19. novit Dominus qui sunt ejus. Porro Scri-
Act. XIII, 48. ptura sacra fatetur : Crediderunt, inquiens, quotquot præordinati fuerunt ad vitam æternam. Unde et visis interdum magnis Christianorum miraculis, quidam credebant, quidam ea magicæ arti adscribebant. Nec enim exterius facta ad fidem B salutarem sufficiunt, nisi et Deus per gratiam interius agat. Itaque quemadmodum, o Philosophe, arguis, sic est, profiteor. Sed quum Averroes tuus dicat, Operatio arguit formam : quid amplius tibi facere possum, quam quod te ad christianæ experientiam vitæ remitto ? Sicut nempe operatio arguit formam, sic vita fidem, et conversatio legem. Verumtamen, licet de quibusdam miraculis argui queat quemadmodum arguisti, non tamen de omnibus quæ Christus et sui fecerunt, quippe quæ C a solo Deo fieri possunt.

Philosophus. — Si in lege tua signa facta sunt soli Deo possibilia, de talibus fateor argumentum meum nil omnino procedere.

Theologus. — Vi argumentationis, et ut palem effers in foro contentioso, verum est ea signa ad fidem probandam non esse idonea, quæ malis quoque possibilia sunt atque communia. Sed habet fides catholica testimonium divini sigilli, quoniam ea Christus et sui egerunt, quæ nisi a Deo D fieri nequeunt. Unde Salvator in Evan-
Joann. XV, 22, 24. gelio : Si, inquit, non venissem, et opera non fecissem quæ nullus alius facere potest, peccatum non haberent. Et nihilo
Ibid. XIV, 12. minus denuo ait : Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.

Philosophus. — Quæ sunt illa ?

Theologus. — Multa et vere innumerabilia. Quis enim jam numerat quot in nomine Christi a Christianis præcipuis mor- A tui suscitati sunt ? quoties sancti viri cordium aliorum secreta noverunt, et futura penitus indeterminata certissime prædixerunt ? Sunt autem et alia multa valde miranda, ut penetratio dimensionum et suscitatio mortuorum brutorum.

Philosophus. — Vellem de his in speciali plenius informari.

Theologus. — Nondum istud optasti, quando proposui de Christianorum miraculis specialem tractatum inducere. Itaque post pauca implebo quod cupis.

ARTICULUS XV.

De miraculis vel potius mirabilibus magorum Pharaonis.

Theologus. — Quatenus de Antichristi miraculis dicta atque dicenda minus homines moveant, et fallacia esse patescant, introducendum opinor in primis Scripturam authenticam, cujus utique testimonio pateat quam mira quamque stupenda, magica arte, aut certe ut clarius loquar, diabolica ope, fieri queant.

Philosophus. — Quæ prorsus sunt hæc ?

Theologus. — Quum populum suum olim Israeliticum, Deus benedictus et sanctus de terra Ægypti ad terram repromissionis seu Chanaan introduceret, Moysenque et Aaron ad Pharaonem tanquam tanti negotii exsecutores transmitteret, signa magna concessit eis efficere, quatenus si Pharao rex Ægypti verbis non crederet, signis saltem fidem adhiberet.

Itaque primum signum Moysis fuit, quod eo jubente, frater ejus Aaron virgam in Exod. VII, 9, 10.
terram projecit, quæ protinus est versa in colubrum. Porro, viso hoc signo, vo- Ibid. 11, 12.
cavit Pharao sapientes suos, magos atque maleficos ; feceruntque ipsi per incantationes suas Ægyptiacas et arcana quædam similiter, et projecerunt virgas suas, quæ in dracones conversæ sunt. Itaque in hoc primo signo assimilati sunt magi Pharaonis, Moysi servo Dei viventis.

Insuper percussit Moyses virga aquas Ibid. 20, 21.

A fluminis, quæ mox in sanguinem versæ sunt, et fuit cruor in omni terra Ægypti; pisces quoque mortui sunt, et flumen *Exod.* VII, 22. computruit. Feceruntque malefici regis incantationibus suis similiter. — Post hæc *Ibid.* VIII, 6, 3. eduxit Deus per manum Moysis ranas inæstimabilis numeri, quæ operuerunt terram Ægypti, intrantes domum regis, atque reliquias cibariorum edentes, et strata Ægyptorum implentes. Et in hoc denique tertio comparati sunt Pharaonis malefici *Ibid.* 7. miraculo Dei : fecerunt quippe similiter. B — Præterea, Deo per famulos suos agente, *Ibid.* 17. versus est pulvis terræ in sciniphes. Et *Ibid.* 18, 19. in hoc quoque similiter agere cupiebant magi Pharaonis; nec poterant, sed defecerunt in isto, dicentes : Digitus Dei est hic.

PHILOSOPHUS. — Miror quod sciniphes, quæ utique minutissima animalia sunt, producere non valebant, qui ranas utique et dracones produxerant.

THEOLOGUS. — Quemadmodum Augustinus fatetur : Poterant prorsus dæmones, quorum auxilio Pharaonis malefici prædicta egerunt, sciniphes facere magis quam C dracones, si a Deo permissi fuissent. Multa equidem possunt, quæ tamen facere, Deo prohibente vel angelis, nequeunt.

PHILOSOPHUS. — Quæ erant alia prodigia per manum Moysis in terra Ægypti?

THEOLOGUS. — Decem potissime plagis percussit Deus Ægyptum, quarum nunc tres positæ sunt. Aliæ vero in Exodo de- *Ibid.* X, 22, 23. scribuntur : inter quas una erat, quod tribus diebus et noctibus densissimæ tenebræ fuerunt in terra Ægypti. Porro apud filios Israel lumen radiabat diurnum. D

PHILOSOPHUS. — Quomodo potuit esse hoc?

THEOLOGUS. — Per omnipotentiam Dei sol radios super terram Hebræorum expandit, quos a terra Ægypti retraxit.

ARTICULUS XVI.

De fallacibus signis Simonis magi.

THEOLOGUS. — Quemadmodum a mundi principio Sancti quidam fuerunt qui veri Christi designabant ac præfigurabant personam, ut Abel, Joseph, Samson, et alii; sic et pessimi quidam homines Antichristi figuram et typum portasse videntur. Denique in Antichristo tanquam in principe et fonte malitiæ, tria mala concurrent. Primum erit falsa doctrina : et quoad hoc, ejus personam hæresiarchæ figurant, ut Manichæus, Arius, Pelagius, Nestorius. Secundum erit mirabilium operum efficientia : et quoad hoc, Simon magus ejus præsertim fuit typus. Tertium erit persecutio orthodoxæ Ecclesiæ : et quoad hoc, figuræ Antichristi fuerunt tyranni, et maxime Nero, qui primus inter gentiles principes persecutus est Christianos : de quo ait Apostolus, Nam mysterium nunc operatur iniquitatis. *II Thess.* II, 7.

PHILOSOPHUS. — Quæ sunt illa mirabilia Simonis magi?

THEOLOGUS. — Ea diligenter adverte, quia plurimum conferunt ad intuendam Antichristi fallaciam. Et quamvis in Scriptura canonica non habeantur, tamen a sanctis viris exquisite conscripta sunt.

Igitur Apostolorum temporibus fuit in Judæa quidam nomine Simon, maximus magus, qui in typo blasphemiarum Antichristi venturi, se primam esse virtutem dicebat, sibique credentes immortales fore, et omnia sibi possibilia esse. Insuper, ut in libro Clementis legitur, dixit : Adorabor ut Deus, divinis honorabor honoribus, et quidquid voluero, facere potero. Denique, ut refert S. Hieronymus, addidit : Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego sapientia Dei.

Hæc ergo tam impius magica arte miranda effecit : serpentes æneos fecit moveri, statuasque æreas atque lapideas ridere vel loqui, canes cantare. Præterea ad principem Apostolorum beatissimum Petrum dicere ausus est : Ego tibi ostendam divinitatis meæ potentiam, ut repente adores me; ego sum prima virtus, volare possum per aera, novas arbores facere, lapides in panem mutare, in igne sine læsione du-

rare. Dixit quoque ad suum imperium falcem messuisse, seque Dei virtutem exsistere.

Itaque, quum Petrus apostolus Sancto Spiritu plenus, contra hunc disputasset, atque ipsius fallacias detexisset, et maximis miraculis fulgens, populum a Simone avertisset, cernens se Simon confusum, Romam profectus est, quatenus ibi divinum sortiretur honorem. Romani nempe omnium coluerunt portenta deorum. Qui Simon a Nerone imperatore tam reverenter susceptus tamque vehementer dilectus est, ut eum putaverit totius vitæ suæ ac salutis et Romanæ urbis custodem. Quibus auditis, Petrus ab Antiochia Romam accessit, illicque prædicationi insistens, maximam populi partem Christo adeptus est.

Interea, ut Leo Papa testatur, dum quadam vice Simon ante Neronem staret, subito ejus est immutata effigies, eatenus ut jam senior jam adolescentior appareret. Quo viso, Nero hunc esse verum Dei filium credidit. Cui Simon : Ut certissime (inquit) scias, o optime imperator, me verum esse filium Dei, decollare me jube, et post tres dies resurgam. Præcepit igitur Nero carnifici ut eum decollaret : qui Simonem se decapitare existimans, decollavit arietem. Porro Simon magica arte illæsus disparuit, atque arietis membra clam colligens, tribus se abscondit diebus. Sanguis autem occisi arietis congelatus permansit. Tertia itaque die se Neroni Simon ostendens : Fac, inquit, sanguinem meum effusum extergi, quoniam ut spopondi, en ego qui paulo ante truncabar, tertia die surrexi. Nero quoque conspiciens eum obstupuit, verumque eum Dei filium esse disseruit. Interdum præterea, exsistente Simone cum Nerone in domo, dæmon in specie Simonis foris loquebatur ad populum. Propterea eum Romani in tanto habebant honore, quod ei imaginem statuerunt, hunceque titulum superposuerunt : Simoni deo sancto.

Postremo Petrus et Paulus apostoli ad Neronem ingressi, universa hujus male-
A ficia detegebant, Petro dicente quia sicut in Christo erant natura divina et humana, sic in mago hoc ipso duæ forent substantiæ, utpote hominis et diaboli.

Denique, testantibus Marcello et Leone, Simon ad Petrum dixit : Ne diutius hunc inimicum meum sustineam, mandabo angelis meis ut de eo me vindicent. Cui Petrus : Ego, ait, angelos tuos non paveo, imo ipsi me timent. Ad quem Nero respondit : Non metuis Simonem, qui divinitatem suam rebus affirmat? Ad quem
B Petrus : Si in eo divinitas est, dicat quid nunc cogito ; et ne mentiri aut fingere quidpiam audeat, cogitationem meam primo auribus tuis infundo. Cui Nero : Accede, inquit, et quid cogitas pande. Accedensque Petrus ad imperatorem ait : Jube mihi hordeaceum panem afferri. Quem allatum benedixit, abscondit, et dixit : Dicat nunc Simon qui se deum facit, quid cogitatum, quid factum. Simon respondit : Petrus potius dicat quid cogitem ego. Et Petrus ait : Quid cogitat Simon me scire
C docebo, dum quod cogitaverim fecero. Mox Simon indignatus clamavit : Procedant canes magni, et devorent eum. Protinusque apparentes nigerrimi canes, impetum fecerunt in Petrum. Quibus quum Petrus panem benedictum obtulisset, fugerunt. Tunc Petrus Neroni dicebat : Ecce factis ostendi me scire quid contra me cogitaverit Simon, et qui se angelos contra me exhibiturum asseruit, canes produxit. Tunc Simon respondit : Audite me, Petre et Paule : si vobis hic nil facere valeo, venie-
D mus ubi me de vobis ulciscar ; ego vobis jam parcam.

Post hæc intumescens superbia Simon, se mortuos posse suscitare jactabat. Itaque, juvene quodam defuncto, vocaverunt Romani Petrum et Simonem, hoc concorditer decernentes, ut qui mortuum suscitare non posset, mortem subiret. Itaque Simon ad præsentem accedens defunctum, fecit quod mortuus caput agitare est visus. Quo facto universi clamabant, et Petrum lapidare volebant. Petrus autem

impetrato silentio dixit : Si revixerit mortuus, A surgat, ambulet, manducet, loquatur ; sin autem, sciatis esse phantasma quo mortui caput movetur. Separatur igitur Simon a lecto, et puer permansit immobilis. Petrus vero a longe stans clamabat, et dixit : Adolescens, in nomine Jesu Christi Nazareni crucifixi, surge. Statimque surrexit et ambulavit. Quumque populus Simonem magum lapidare vellet, prohibuit Petrus, dicens : Satis est ei quia se superatum cognoscit. Magister enim noster nos docuit, quatenus pro malis bo- B na reddamus.

Tunc Simon ad domum cujusdam Marcelli discipuli Petri, canem magnum ligavit, Marcelloque dixit : Nunc enim videbo an Petrus ad te ingredi poterit. Postmodum venit Petrus, signoque crucis facto, canem solvit : qui omnibus blandiens, solum persecutus est Simonem magum, quem apprehendens in terram dejecit, et eum strangulare incepit. Porro Petrus accurrens cani præcepit ne eum occideret. Canis ergo Simonem non læsit, sed vesti- C menta ejus penitus dilaniavit, ut nudus omnino diffugeret. Ideoque populus et maxime pueri cum cane Simonem insecuti sunt, ac de civitate tanquam lupum fugarunt.

Cujus pudoris opprobrium Simon magus non ferens, per annum latuit. Quo elapso ad Neronem revertens, in ejus denuo amicitiam venit. Convocans igitur Simon populum Romanum, se adstruit a Galilæis nimis offensum, atque ob id urbem quam hactenus protexit, velle relin- D quere, ac cœlos conscendere, quoniam jam diutius in terra non dignaretur manere. Unde statuta die, turrim excelsam ascendens, se inde dejecit, volareque orsus est, lauro coronatus. Dixit præterea Paulus ad archiapostolum Petrum : Meum est orare, tuum vero imperare. Videns quoque Nero Simonem in aeris alto volantem, ait Apostolis : Hic homo verax est, vos fallaces. Petrus demum ad Paulum : Erige, inquit, caput tuum, et vide. Quumque Simonem volantem prospiceret, ait Petro : O Petre, quid cessas? perfice quod inchoasti : jam namque Christus nos vocat. Tunc Petrus : Adjuro (inquit) vos, angeli Satanæ, ne eum amplius in aere feratis, sed sibi ipsi dimittatis. Mox ergo a dæmonibus dimissus corruit, confractisque cervicibus exspiravit, et profundissimum inferni quo Antichristus quoque submergetur, damnatus introiit. Denique impii hujus Simonis magi interitus in tantum Neroni displicuit, quod Petrum et Paulum divinos apostolos interfecit.

Philosophus. — Multa mihi miranda de Antichristi miraculis et Simonis magi fallaciis disseruisti. Sed quomodo tot et tanta sine subsidio divino effici queant, non video, hincque doceri desidero, præsertim de hoc quod paulo ante dixisti, loco Simonis decollatum arietem. Non enim video quomodo dæmon exteriores ludificare valeat sensus, quum sensus sit virtus passiva, et moveatur ab exteriori objecto, circa quod, secundum Aristotelem, non errat nec fallitur.

ARTICULUS XVII.

Qualiter subsidio ac operatione diaboli seu magica arte, effici queant quæ Antichristus facturus est, et præcessor typusque ejus Simon magus peregit.

Theologus. — Universa proinde quæ in superiori libro de naturali perfectione, scientia ac potestate tam angelorum quam dæmonum, tam diffuse tamque diligenter induxi, ob hoc potissime dixi quod nunc sciscitaris, utpote quomodo cuncta prædicta ope diaboli fieri possint. Ideoque de naturali scientia atque potentia dæmonum præostensa, jam solerter rememorari oportet.

Philosophus. — Partim (ni fallor) recordor. Porro, ubi nutabit memoria, suggeres ipse.

Theologus. — Pandebam, si retines, quemadmodum in dæmonibus naturalia

remanserunt integra, et quod propter dignitatem suæ spiritualis naturæ dominium habent, in quantum divinitus permittuntur, in corporalem naturam, transmutando movendoque eam, et influendo in corpora inferiora etiam humana. Unde et in potentias sensitivas, quoniam organicæ sunt, imprimere possunt; in intellectum autem, quia immaterialis est, directe non imprimunt, sed indirecte, in quantum circa phantasmata aliquid agunt.

Denique opinandum non est inferiorum materiam obedire dæmonibus quoad primam inchoationem formarum vel eductionem immediate, sed quoad motum localem. Agnoscendum est itaque, quod nullam virtutem aut formam naturalem, nec substantialem nec accidentalem, dæmones introducere possunt in inferiora hæc corpora, nisi adminiculo naturalis agentis, quemadmodum artifex non nisi per ignem decoquit escam. Igitur, sicut Magister Sententiarum ex verbis Augustini libro secundo determinat, et Thomas pulchre declarat, potest dæmon per naturalem applicationem agentium et passivorum, effectus multos producere præter consuetum ordinem cursumque naturæ, accelerando videlicet opus, aut alio modo, propter vehementiam ac multiplicationem activitatis rerum congregatarum, habilitatemque passivorum.

Ideo quæ in potestate naturæ non sunt, agere nequeunt, ut mortuos suscitare, nisi in præstigio tantum : quod tamen diu permanere non solet. Habent namque diaboli naturalem naturam subtilissimam valde, et subito moventur, atque naturales rerum virtutes, quas utique optime norunt, celerrime applicant. Sic ergo magi Pharaonis virgas projiciendo, dracones produxerunt, ranasque fecerunt magicis artibus, quæ quidquid agunt et possunt, a dæmone sortiuntur.

Omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in hujus mundi corporeis latitant elementis, quæ Deus originaliter

A indidit eis : quoniam quæcumque nascendo ad oculos nostros procedunt, ex istis seminibus ducunt originem, incrementa ac distinctiones atque figuram. Itaque soli Creatori altissimo Deo deservit ad nutum hæc sensibilium rerum corporalis materia. Porro nec bonos angelos neque aversos fas est credere creatores; sed pro vivacitate sui sensus, atque subtilitate ac mobilitate suæ naturæ, semina rerum nobis occultiora noverunt, eaque per congruas elementorum temperationes spargunt, et

B taliter gignendarum rerum accelerandorum quoque effectuum occasiones ministrant. Sed nec boni hæc, nisi in quantum Deus jubet, nec mali, nisi in quantum ipse permittit, efficiunt.

Constat itaque quoniam quo spirituales substantiæ, sive bonæ sive malæ, viciniores causas effectuum producendorum ab elementis contrahere queunt, eo mirabiliores in operationibus talibus celeritates apparent. Non ergo miremur si Antichristus ejusque sequaces, quorum erit adven- II *Thess.* II, 9.

C tus secundum operationem itemque industriam dæmonum, languores curare, cæcos illuminare, paralyticos curare, atque similia facere queant suis temporibus; quippe quum in rebus naturalibus virtutes magnæ multæque sint talium operativæ effectuum. Nam per artem humanam talia quoque vicissim ab expertis medicis fiunt.

PHILOSOPHUS. — Satis, ut reor, hæc tua responsio dictis philosophorum et Avicennæ concordat. Aiunt equidem, quia si quis

D herbarum et lapidum atque naturalium vires rerum cognosceret, nimium mira et quæ æstimantur impossibilia produceret.

THEOLOGUS. — Ita est prorsus. Et quo dæmones, præsertimque Lucifer, omni exstant humana scientia clariores, tam in cœlestium notitia motuum ac influentiarum, tam in experientia itemque scientia naturalium virium; eo in suis effectibus, dum a Deo permittuntur, efficaciores mirabilioresque videntur. Quæ autem in po-

testate naturæ non sunt, ut fassus sum, non utique possunt.

Philosophus. — Satis prorsus inclyte respondisti, et nunc dicta superioribus consonant. Jam igitur, precor, edissere mihi qualiter sensus humanos eludere valeant, ita ut statuæ videantur ridere, loqui, et futura prædicere; quomodo etiam Antichristus facere poterit ignem de cœlo descendere.

Theologus. — Multa mirabilia, nedum fallaciter seu phantastice, verum etiam realiter, Antichristus et sui facturi sunt. B Verumtamen, quum ridere et loqui atque prædicere, actus animales vitalesque sint, non utique a statuis vere produci valebunt, sed a dæmonibus per statuas. Palam est enim quia a vetustissimo tempore et nunc quoque, dæmones per idola præstant responsa : et hoc agere valent, quemadmodum in corporibus humanis obsessis, aut certe assumptis aeriis, loquuntur et vaticinantur. Nam et angeli sancti et mali, per corpora assumpta, uti in libro præcedenti deduxi, manducare, ambulare, C loqui, ceterosque actus vitales efficere valent : quamvis, ut illic ostensum recordor, non proprie neque univoce ista eis atque hominibus competant.

Præterea, sicut super Apocalypsim Beda insinuat, impossibile dæmoni non est, quod Antichristus diabolica ope ignem descendere faciat, non phantastice, sed vere. Nam ut canonica fatetur Scriptura,
Job i, 16. Satan domos ac pueros sancti Job, igne quem produxit combussit. Faciet insuper suos (ut fertur) discipulos variis linguis D profari, quemadmodum et veri Christi
Act. ii, 4, 6. Apostoli omnium linguis locuti sunt. Nempe ut dicunt doctores, in omnium conspectu suorum faciet ignem descendere, et suos linguis variis loqui, tanquam Spiritus Sanctus super eos descenderit sicut et super Apostolos Christi.

Philosophus. — Magna tentatio. Sed quomodo poterit talia ?

Theologus. — Antea fassus sum quia ad experientiam cernimus interdum ex ho- A minis ore obsessi diversas voces sonare, ipsumque (ut videtur) obsessum lingua effari quam ante non didicit. Sic quoque per famulos Antichristi, qui prorsus implebuntur flatu diaboli, diversæ poterunt voces formari ; et multo minus mirabile exstat, si incantationibus Simonis magi dæmones per canum ora, cantantium sonos formabant.

Denique de præstigiis illusionibusque magorum, sciendum quod formæ quæ in ipsis videntur, sunt tantummodo in sensu : et taliter decipere valet diabolus sensus humanos dupliciter : primo, ut ex thesauro imaginationis species ad exteriores sensus deriventur et refluant, sicque uniantur organis tanquam si res forent præsentes, quemadmodum etiam in somno contingit. Secundo, ex immutatione organi, per quam judicium sensus de facili fallitur : sicut habenti gustum infectum, cuncta apparent amara. Hoc denique facere possunt diaboli virtute naturalium rerum : quemadmodum ad cujusdam evaporationem fumi, trabes domus moveri videntur. Imo vicissim contingit unum arte magica falli, quum tamen alius adstans decipi nequeat, propter vires herbarum vel lapidum quas apud se gerit.

Pari modo fieri valuit ut Simon magus loco sui arietem decollandum adduxerit, quem tamen alii in propria forma non videbant. Sicut in Vitaspatrum * descri- * i. e. Vitis Patrum
ptum est de quodam qui conjugem suam in speciem equæ mutatam putabat, eamque ad sanctissimum virum Macarium attulit. Quem fratres videntes, indignati sunt adversus eum quod equam adduxerit : nam et ipsi a dæmone adhuc decipi poterant. Porro vir divinus atque perfectus Macarius a dæmoniacis phantasiis falli nequibat : quod tamen gratiæ, non naturæ, prærogativa fuerat. Ideoque fratres vehementer redarguens : Vos, inquit, equinos oculos habetis : nam illa mutata non est a sui ipsius figura, sed eis mutata apparet qui nondum dæmonibus per omnium passionum victoriam dominantur.

ARTICULUS XVIII.

Quod Lucifer tempore Antichristi solvetur, et in eo operabitur.

Theologus. — Quamvis dæmones in caliginoso hoc aere habitent, quidam tamen opinantur Luciferum propter peccati sui magnitudinem, ex quo cecidit, in infernum detrusum. Alii asserunt eum in inferno religatum, ex tempore quo a Christo victus est; vel in deserto, vel in crucis patibulo. Ipse nempe, ut dicunt, primum parentem tentavit et vicit, sed a Christo quem tentare præsumpsit, est victus.

Rationabile autem videtur quod nunc in inferno ligatus asseritur, ita ut egredi nequeat ad homines impugnandos, usque Antichristi adventum, quoniam in Apoca-
Apoc. xx, 7. lypsi legitur : *Quum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes.* Quod utique tempore Antichristi continget. Nam per mille, intelligendus est numerus perfectus annorum in quo complendus est numerus electorum. Insuper, sicut Magister Sententiarum in libro secundo testatur : Sive in inferno demersus religatusque sit, sive non, credendum est tamen non eum nunc habere tantam potestatem tentandi, quantam Deo permittente, tempore Antichristi habebit, quem ex utero matris (ut fertur) implebit, inhabitabit et diriget.

ARTICULUS XIX.

Quod in speciali scire non possimus quæ, quanta, et qualia signa atque prodigia Antichristi tempore fient.

Theologus. — Ex apostolicis dictis co-
II *Thess.* II, 9. gnoscimus, adventum Antichristi secundum operationem Satanæ esse in omni virtute, in signis, itemque prodigiis. Sed quoniam, secundum Augustini doctrinam, difficile, imo impossibile nobis sit scire, quid dæmones per naturam possint, nec
A possint propter Dei prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur; ideo determinate scire nequimus, quid Antichristus cum suis acturus sit. Non enim scimus limitem atque mensuram industriæ potestatisque dæmonum; nec etiam scimus quæ et quanta sit vis in naturalibus rebus. Ideoque securum non arbitror, multum velle in particulari determinare quæ, quanta, et qualia ab Antichristo et ejus sequacibus fient : ne forte si tunc aliter evenerit quam modo
B prædicatur, quisnam in errorem labatur.

Philosophus. — Res præsentialiter objectæ, fortius movent. Tanta ergo prodigia actu exhibita, multum movebunt intuentes ut Antichristo adhæreant.

Theologus. — Ita est prorsus. Tanta enim erit persecutionis ac seductionis illius acerbitas, ut in errorem mittantur, si *Matth.*
fieri potest, electi : et hoc ante jam di- xxiv, 24.
ctum est. Qui enim firmissime in fide stabiliti non fuerint, movebuntur et cadent. Quorum nihilo minus multi post
C Antichristi interitum denuo surgent, quemadmodum postmodum introducam.

ARTICULUS XX.

Quam mira quamque stupenda ab Antichristo fieri ope Luciferi possint, si Deus permiserit.

Theologus. — Porro, ne Antichristi mendacia signa homines fallant aut moveant, intendere scireque expedit quam ineffa-
D biliter magna, operatione Luciferi effici possint.

Philosophus. — Hoc mihi pande.

Theologus. — Omnia quæ in præcedenti libro de Lucifero tam studiose induxi, ob hoc potissime commemoravi, ut opportuno loco, id est modo, ostenderem quam admiranda atque secreta Lucifer facere possit, et per filium suum Antichristum forsitan faciet. Recordarisne ergo, o Philosophe, quid illic de naturali excellentia, scientia et virtute Luciferi dixerim ?

Philosophus. — Dixisse te memini Luciferum ante casum, omnium angelorum fuisse altissimum, et per consequens omnibus naturaliter potentiorem sapientioremque ad agendum. Insuper adjecisti novem esse angelicos ordines, atque in quolibet innumerabiles spiritus contineri : quippe quum in infimo ordine tot ad minus contenti sunt angeli, quot jam in universo mundo sunt homines, eo quod singulis hominibus singuli præsideant angeli : qui tamen omnes de infimo choro sunt. Porro, secundum præinducta, quo in cœlis ordo est altior, eo plures comprehendit in se angelicos spiritus. Præterea addidisti probabile esse, et id pulchre probasti, singulos angelos a singulis specifice esse distinctos, ita ut tot sint ibi species quot individua.

Theologus. — Bene et compendiose resumis. Sed quid tibi ex his sequi videtur?

Philosophus. — Tu magis conclude. Adverto tamen, ni fallor, quo tendis.

Theologus. — Quum specifica distinctio secundum essentiales perfectiones pensanda sit, sequitur Luciferum tot essentialium perfectionum gradibus infimo angelo naturaliter esse excellentiorem, quot in toto sunt simul angeli boni et mali. Et quoniam, secundum divinum Dionysium, in dæmonibus naturalia integra remanserunt, quantum Lucifer ceteros angelos excellit in natura specifica, tantum quoque in his quæ naturaliter angelis competunt, et ad naturam specificam proportionabiliter consequuntur, ut sunt scientia, sapientia, potestas, experientia, industria.

Philosophus. — Secundum hoc, excellentia Luciferi in omni scientia atque potentia magna est nimis, et super inferiorum ordinum angelos quasi incomparabilis.

Theologus. — Rite concludis. Denique, si angelos quispiam adstruat non differre specifice, sed unius ordinis exsistentes, nihilo minus palam est creaturam illam angelicam quæ secundum essentialem perfectionem superbenedicto Creatori immen- A soque Deo vicinissima itemque simillima condita est, inæstimabilem habere in naturalibus donis eminentiam, quemadmodum etiam Scriptura dicit de Lucifero : Tu Cherub, signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia et decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. (Ezech. xxviii, 14, 12, 13.) Itaque, quum juxta præhabita, secundum Augustinum, tanto angeli, tam boni quam mali, mirabiliora efficere valeant, et secretius celeriusque ea producant, quo est in eis natura simplicior, virtus mobilior, ac sensus vivacior, elu- B cescit Luciferum tam stupenda tamque miranda, si Deus permiserit, posse producere, ut nullatenus ea vel scrutari, vel scire, aut etiam discutere, valeat homo. Quum ergo, ut creditur, Lucifer in adventu Antichristi solvendus sit, et eumdem in omnibus possessurus ac adjuturus, mirum non est si valde miranda Antichristus efficiat, præsertim quum tunc laxanda sit diabolorum potestas.

Philosophus. — Utile est ista præscire, eo quod jacula præcognita facilius devi- C tentur. Verumtamen terribilis erit ista tentatio.

Theologus. — Dici non potest quam terribilis erit.

ARTICULUS XXI.

Utrum in tantum laxanda sit Antichristi temporibus potentia dæmonum, ut quidquid naturaliter possint sine prohibitione exsequi, si eis placuerit, valeant.

D Theologus. — Superius ex beatissimi Augustini sententia patuit, non posse ab homine sciri quid dæmones per naturalem virtutem atque industriam possint, nec tamen propter prohibitionem valent. Ideoque, licet certum servemus majorem futuram in Antichristi persecutione dæmonum potestatem ad tentandum, nocendum, seducendumque homines, quam modo sit, imo quam unquam exstiterit (venient nempe, ut Daniel ait, dies quales non fuerunt ex eo tempore quo super terram (Dan. xii, 1.)

gentes esse cœperunt); ignoramus tamen in quanta mensura tunc dæmonum virtus laxanda solvendaque sit.

Denique non opinor quod tunc Lucifer et angeli ejus facturi sunt omnia quæ si permitterentur, utique facerent. Possent enim, si Deus permitteret, omnes Christianos occidere, saltem corporali morte, omnes fontes, cibos ac potus inficere; imo et Eliam et Enoch, quorum eis prædicatio onerosissima erit, mox quum prædicare exorsi fuerint, diversis ac variis modis occidere. Imo horum enim majora difficilioraque facient : hæc tamen insuper peragere nequaquam valebunt. Nunquam enim Christiani in toto deficient ; neque ante præfinitum tempus aliquid facere Eliæ et Enoch Antichristus valebit. Porro, si vicissim legatur quod tunc dæmones sine coertione acturi sint cuncta quæ poterunt, intelligendum est hoc non simpliciter, sed comparative, quoniam scilicet multa quæ nunc operari non sinuntur, tunc sine prohibitione efficient.

ARTICULUS XXII.

De adventu et prædicatione Enoch et Eliæ.

Theologus. — Miratus es ante, o Philosophe, cur Deus sapientissimus et vere piissimus, tam graviter passurus sit Ecclesiam persequi tempore Antichristi. Respondique tibi, quoniam fidelis Dominus nunquam tentari nos sinit supra id quod posse nos ferre cognoscit. (I Cor. x, 13.)

Philosophus. — Sicut ergo tentatio illa gravissima erit, sic nisi præcipuum dederit Deus contra eam subsidium, non video quin tunc permittat fideles tentari ultra quam sustinere valet humana fragilitas.

Theologus. — Sapientia cuncta sapienter disponit, et Deus gloriosus et sanctus in numero, pondere, itemque mensura, universa constituit. (Sap. viii, 1. Ibid. xi, 21.) Itaque Deus benedictus et fortis, qui solus in omnibus operis sui rationem cognoscit, non semper A uniformiter suis succurrit. Nempe vicissim Sanctos suos ante mortem mirificat, interdum in morte, quandoque post mortem; quosdam quoque ante mortem, in morte et post mortem signis divinis mirificavit. Potissime autem in morte Sanctos suos præclaris mirificavit miraculis, temporibus tyrannicæ persecutionis impiorum. Aliter namque fides christiana in ipsis persecutionibus eatenus nequaquam invaluisset nec aucta fuisset, imo prorsus exstincta jam fuisset. Tempore denique Antichristi B omnia ista vel omnino, vel in magna parte deficient, quoniam Ecclesia tunc non coruscabit miraculis ut interdum, sicut plenius pandam.

Nihilo minus Deus in illa persecutione suis sufficienter succurret, quamvis non tam copiose sicut vicissim subvenit. Nam et omnia quæ in christiana lege ab ejus exordio facta sunt, contra illam persecutionem fidelibus proderunt qui præteritorum signorum sapientialiter memores fuerint. Insuper specialia quoque solatia C dabit tunc Deus Ecclesiæ orthodoxæ.

Philosophus. — Quæ erunt illa?

Theologus. — Mittet Deus fidelibus suis ex paradiso terrestri duos efficacissimos ac fidelissimos testes, qui contra Antichristi perfidiam publice prædicabunt : videlicet sacratissimos viros Enoch et Eliam, qui nondum mortis debitum persolverunt, sed propterea in alia vita servantur, quatenus tempore a Deo disposito Antichristo resistant.

Philosophus. — Qui et quales fuerunt D hi viri?

Theologus. — De hoc te postmodum plenius certificabo. Nunc vero Scripturæ sacræ testimonia ponam, quæ de testibus istis, aut uno eorum, loquuntur.

Per os Malachiæ Deus benedictus et adorandus vero Israeli, id est populo in Christo credenti, spopondit : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus,* (Malach. iv, 5.) id est dies judicii, quem Antichristus præcedet, et contra eum mittetur Elias. Præterea, in Evange-

Marc. IX, 11. lio Christus dixit : *Elias, quum venerit, restituet omnia.* Quia ut propheta Malachias concinit : Ipse convertet corda patrum ad filios, perducendo infideles Judæos ad fidem catholicam, quam quum acceperint, corda patrum, id est sanctorum antiquorum Prophetarum et Patriarcharum ac aliorum, convertentur ad filios, diligendo eos tanquam fideles, quos ante propter infidelitatem nequaquam amabant. Quo peracto, filii etiam diligent patres. Ideo adjecit Propheta : Et corda filiorum ad patres. Judæi namque et Christiani, saltem pro parte pari, tunc in Christum religiose credent. (*Malach.* IV, 6.)

PHILOSOPHUS. — Ex his non nisi de uno teste probasti.

THEOLOGUS. — De ambobus in Apocalypsi scriptum est : *Dabo duobus testibus meis,* id est Eliæ et Enoch, *et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Nam tribus annis cum medio contra Antichristum prædicaturi dicuntur. *Hi sunt duæ olivæ,* Spiritu Sancto unctæ, *et duo candelabra,* id est ceteris lumen fundentia. (*Apoc.* XI, 3, 4.)

PHILOSOPHUS. — Unde nosti quod hæc verba de Enoch quoque sumenda sint, quum nomen ejus non explicetur locis prædictis?

THEOLOGUS. — Quoniam hi soli duo translati leguntur, et mortis debitum necdum solverunt : quod eos utique exsolvere opus est. Denique cur ceteris omnibus derelictis antiquissimis viris, hi duo translati leguntur, nisi ut opportuno tempore redeant, atque ministerio suo peracto, viam universæ carnis introeant?

PHILOSOPHUS. — Quando venturi sunt?

THEOLOGUS. — Sicut Joannes Baptista primum Christi adventum prævenit, sic isti secundum. Denique contra Antichristum prædicabunt, et ut Beda fatetur, contra mox sævituram Antichristi persecutionem prædicaturi sunt. Et sic apparet quod ante Antichristi revelationem prædicationem incipient ; sed quanto tempore, non determinat. Propterea alii adstruunt quod inter occultum Antichristi adventum et apertum, id est inter nativitatem ejus et manifestam prædicationem ac persecutionem ipsius, venturi sunt, et multi Judæorum credent eis. Tandem Antichristus eos occidet, et aiunt quidam quod in Jerusalem. Unde constat quod per aliquod tempus Elias et Enoch, et ipse quoque Antichristus ejusque discipuli, simul prædicabunt.

Porro verba Apocalypsis, *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ,* etc., quidam doctorum ad litteram de Elia et Enoch intelligunt ; testantes quod eis ab Antichristo occisis, corpora eorum insepulta jacebunt tribus diebus tribusque noctibus cum media, quoniam propter metum Antichristi, nullus ea sepelire præsumet ; et inimici eorum interim de eorum nece vehementer gaudebunt. Sed post triduum diemque mediam resurgent, et audientibus Antichristi fautoribus, vox de cœlo tonabit : Elias et Enoch, ascendite huc. Sicque, metuentibus eorum adversariis, in cœlum in nube ascendent. Licet autem superficies verborum præinducti capituli Apocalypsis huic assertioni satis concordet, non tamen adeo certum videtur an verba illa tam litteraliter tamque simpliciter de Elia et Enoch accipi congruat, tum quia Beda et alii quidam litteram illam aliter exponunt, tum quia admodum certum non habeo quod hi duo viri sanctissimi ante communem resurrectionem suscitandi sint, quamvis certissimum sit hoc Deo facillimum esse. (*Apoc.* XI, 8 *et seq.*)

ARTICULUS XXIII.

Quomodo Elias restituet omnia.

PHILOSOPHUS. — Dixisti jam ante quod Elias cuncta restituet. Ergo omnes credent ei. Sed huic præinducta non consonant, quoniam habitum est quod Judæi familiarius Antichristo consentient, et quod de Eliæ interitu multi gaudebunt.

THEOLOGUS. — Hanc quæstionem mallem ab alio determinari quam a me. Ha-

bet nempe difficultatem præcipuam propter sacræ auctoritates Scripturæ : quæ licet secundum veritatem concordent summe, difficile tamen est modum concordationis earum ostendere. Quædam namque verba Scripturæ canonicæ insinuare videntur quod detecta falsitate Antichristi per Eliam et Enoch, omnes saltem Judæi convertentur ad Christum : et hoc quidam doctores aperte dicunt super verba Malachiæ atque Marci inducta. Et Salvator inquit : Fiet unum ovile et unus pastor. Magis quoque videtur quod Antichristo quoque occiso, omnes homines christianam amplecturi sunt fidem : quia ex tunc, ut fertur, dolus et fraudulentia dæmonum prorsus deficient, et quoniam tunc manifeste patebit Antichristi nequitia.

Malach. IV, 6 ; *Marc.* IX, 11. *Joann.* X, 16.

Verumtamen huic obviare videtur quod in Evangelio legitur : Sicut erat in diebus Noe, sic erit in adventu Filii hominis. Ex quo verbo et eis quæ sequuntur, elucescit quod post Antichristi interitum usque circa consummationem sæculi, quidam maligni pessime vivent, edentes, bibentes, nubentes, itemque dicentes, Pax et securitas ; et quum talia dixerint, repentinus eis superveniet interitus. Præterea dictum est quod Judæi Antichristum primum suscipient, et cum eo Jerusalem introibunt, ac templum quod a Romanis destructum est, reædificabunt. Quomodo ergo omnes Eliæ credent? præsertim quum prædicatio ejus, Antichristi manifestum sit præcessura adventum.

Matth. XXIV, 37. *Ibid.* 38, 39. I *Thess.* V, 3.

PHILOSOPHUS. — Quid ergo pro horum concordia et determinatione respondes ?

THEOLOGUS. — Quæstiones quæ sine periculo ignorantur, et cum discrimine determinantur, sapientialius est pie dubitare, quam temerarie solvere. Nihilo minus plura dici possent. Primo quippe, quod dictum est, Elias restituet omnia, sic accipi potest quemadmodum sumitur quod de Christo cantatur, Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum : quum tamen multo plures sint maledicti et reprobi, quam benedicti vel benedicendi, et innumerabiles sint multitudines, non utique magnificantium, sed condemnantium Christum. Hæc ergo universalitas, non pro singulis generum, sed pro generibus intelligenda est singulorum. Sic quoque dictum videtur : Fiet unus pastor et unum ovile. Præterea, verisimile est quod Judæi facilius credent Eliæ, quam Pagani vel Tartari, eo quod in lege sua de eo testimonium efficax habeant ; et fieri poterit ut qui ejus prædicationi non consenserunt propter fraudem aut metum Antichristi, Antichristo occiso, convertantur ad Christum, ut se doleant non consensisse Eliæ.

Ps. LXXI, 17. *Joann.* X, 16.

Denique dicere cogimur, quod ex quo, Antichristo occiso, non statim veniet ad judicium Christus, ideo quidam de Antichristi ministris, in sua perdurabunt malitia, et quum dixerint, Pax et securitas, id est, licet princeps noster mortuus sit, nos tamen pacem habemus et securitatem ; tunc superveniet eis improvisus repente interitus. Videtur præterea mihi quod isti tam obstinati famuli fallacissimi Antichristi, de eis præsertim populis erunt qui nec Christiani nec Judæi ante fuerunt. Communiter namque dicunt doctores, quod Judæi et Christiani pari tunc religione Christo deservient, nec alia erit fidelium persecutio post Antichristi interitum, imo sævitia dæmonum ex tunc inchoabit deficere.

Hæc, o carissime ac studiosissime Philosophe, non determinando neque simpliciter asserendo tradiderim, sed in quantum canonicæ concordant Scripturæ, atque ut aliis occasionem subtilius indagandi exhibeam.

PHILOSOPHUS. — Quantum in præsenti materia judicare prævaleo, rationabiliter respondisti, eorumque demum quæ sibi dissonare videbantur verborum, idoneam ostendisti concordiam. Verumtamen de isto magno Elia, et ipso insuper Enoch, historiam cupio audire authenticam.

THEOLOGUS. — Non alia tibi dicam de eis, quam quæ in canone continentur.

ARTICULUS XXIV.

Testimonium Scripturæ canonicæ de Enoch et Elia.

Theologus. — In Genesi ita de Enoch
Gen. v, 24. testatur Scriptura veritatis : *Ambulavit* Enoch *cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quod doctores exponunt : Vixit religiose ac sancte, et non inveniebatur, quia tulit eum Dominus, id est, in terrestrem transtulit paradisum. Porro eum fuisse prophetam, ex Judæ apostoli comprobatur epistola, in qua habetur :
Judæ 14. *Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch.* Aliud mihi non occurrit de eo testimonium Scripturæ canonicæ evidens, nisi quæ in Apocalypsi leguntur : ubi tamen nomen ejus nusquam exprimitur.

Philosophus. — Sufficit ei Moysis prophetæ veteris legis, et inde novæ legis Apostoli testimonium tantum, ita ut merito Christiani itemque Judæi, ei concorditer, dum cum Elia redierit, crederent.

Theologus. — Eum cum Elia contra Antichristum venturum, ipse quoque Christi discipulus Nicodemus in suo evangelio scripsit.

Philosophus. — Nunc de Elia prosequere.

Theologus. — Hoc de ipso, in tertio li-
III *Reg.* xvii, 1. bro Regum circa exordium, scribitur : *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad, ad Achab,* qui erat rex Israel : *Vivit Dominus Deus Israel in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Denique tantus hoc
Jacob. v, 17. verbum effectus secutus est, ut teste Jacobo apostolo illo sanctissimo, Dominus Deus non pluerit annos tres et menses
III *Reg.* xvii, 6-16. sex. Interim vero corvi eum (Deo, cui universa hæc obediunt dum vult, præcipiente) nutriebant, deferentes atque portantes eidem mane et vespere panem carnesque. Bibit quoque de torrente Carith. Quo jam siccato, a Domino missus est ad pauperem viduam, quæ ipsum mirabiliter pavit :
A quia toto quo eum nutriebat tempore, non defecit hydria suæ farinæ, nec demum imminutus est lecythus olei ejus, donec Deus auctor naturæ pluviam dedit.

Post hæc regi Achab apparuit, pluviam- III *Reg.* xviii, 1 *et seq.*
que spopondit, atque congregata Israelitarum caterva, ignem de cœlo descendere, ac bovem quem obtulit, consumere procuravit. Nihilo minus, juxta ordinem litteræ, forte et rerum, ante hæc puerum *Ibid.* xvii, 17-23.
mulieris hospitatricis suæ suscitavit a mortuis, matrique vivum restituit quem
B de ipsius gremio mortuum tulit. Post hæc apparuit ei angelus, et dedit ei ad ve- *Ibid.* xix, 5-8.
scendum subcinericium panem, atque ad potandum præstitit aquam : quibus acceptis, ambulavit in fortitudine cibi ac potus illius, nihil aliud sumens quadraginta diebus et totidem noctibus, usque ad montem Dei Horeb. Post hæc unxit Eliseum *Ibid.* 19-21.
prophetam pro se; prædixitque regi Ocho- IV *Reg.* i, 16.
ziæ quod moriturus esset propter malitiam suam. Ante tamen, quum ipse in *Ibid.* 9-12.
monte sederet, et rex Israel ad eum quin-
C quagenarium principem ac viros quinquaginta cum eo misisset, jubente Elia, ignis de cœlo descendit, eosque devoravit. Quod alteri quoque quinquagenario cum viris suis contigit, quoniam simili modo consumpti sunt.

Postremo, volente Deo Eliam transfer- *Ibid.* xi, 1-11.
re, quum ipse eum ministro suo Eliseo ad Jordanis fluenta venisset, pallio suo aquas percussit : quibus mox ac repente divisis, transierunt ambo per siccum. Quumque simul proficiscentes colloquerentur, ecce
D currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum, id est altum locum, videlicet paradisum terrestrem. Spiritus vero Eliæ *Ibid.* 15.
requievit super Eliseum.

Philosophus. — Multa mihi de hoc divinissimo atque potentissimo viro sacro Elia dixisti. In omnibus equidem istis, licet multa admirer, duo tamen præcipue propter compendium sciscitor. Primum, quid meruerunt, et quid fecerunt duo quinquagenarii illi cum suis, ut eos ignis,

A Elia impetrante, consumeret? Itemque de equis igneis curruque igneo dubito quid et quales exstiterunt.

Theologus. — Rex qui misit eos, idololatra erat, et viri quos per duas vices misit, ejus errori communicabant. Denique tot misit, non propter Eliæ reverentiam, sed ut si venire negaret, per violentiam eum adducerent. Porro, secundum textus tenorem, vocabant eum hominem Dei, non vere, sed irrisorie. De equis autem igneis curruque igneo, palam quod angelico ministerio formata fuerant et mota corporalia illa. B

Philosophus. — Certe, licet Antichristi rabies dura ventura sit contra Catholicos, quia tamen tales tantique viri contra ejus perfidiam a Deo mittentur, non mediocriter, imo sufficienter Deus suis succurret. Nempe in ore duorum talium testium merito stabit omne verbum. *Deut.* XIX, 15.

Theologus. — Tibi consentio.

ARTICULUS XXV.

Utrum Christi Ecclesia tempore persecutionis Antichristi miraculis fulgebit.

Theologus. — Quum S. Gregorius dicat, Pensemus quæ erit mentis humanæ illa tentatio, quando pius martyr corpus tormentis subjicit, et tamen ante ejus oculos tortor miracula facit; videtur quod Antichristo regnante, sui dumtaxat, et non Ecclesia, miracula agent : et hoc communiter dicitur. D Aliqui tamen asserunt etiam Eliam facturum vera miracula contra Antichristi mendacia signa : et hoc Nicolaus de Lyra sæpius ait. Quibus consonare videtur quod in Apocalypsi dicitur. Quum namque dixisset, Dabo duobus testibus meis, videlicet Enoch et Eliæ; post pauca adjecit : *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum.* Quamvis hoc ipsum spiritualiter intelligi melius possit. *Apoc.* XI, 3. *Ibid.* 5.

Rationabilius vero apparet, quod usque ad Eliæ mortem et Enoch, Ecclesia, et maxime divinus Elias, qui utique Ecclesiæ membrum est, miracula faciet. Occisis autem Elia et Enoch, nulla prorsus miracula a fidelibus fient. Cui Beda super Apocalypsim consonat. Qui etiam vel narrat vel asserit in eadem, Eliam et Enoch tribus annis cum medio contra mox venturam Antichristi persecutionem prædicaturos; quibus occisis, tantumdem duraturam Antichristi vastationem. Unde secundum hoc, Antichristus in regni et revelationis suæ exordio eos perimeret, quum secundum præinducta ipse tribus dumtaxat annis cum medio regnaturus scribatur. Nam in textu habetur : *Quum finierint testimonium suum,* scilicet prædicationem contra Antichristum, *bestia quæ ascendit de abysso,* id est Antichristus, *faciet adversus eos bellum.* Et sic Ecclesia toto tempore manifestæ Antichristi persecutionis careret miraculis. *Apoc.* XI, 7.

C Alii vero fatentur Antichristum post Eliæ et Enoch martyrium multo breviori tempore regnaturum. Tamen quidquid dicatur, quemadmodum ostensum recordor, dicere cogimur, quod saltem ad tempus aliquod, simul contra se invicem fortissime prædicabunt, utrisque maximo adhærente exercitu. Sed prævalebit Antichristi exercitus contra sanctorum exercitum quoad præsentem vitam, quoniam occidet eum pro parte, sicut et Antichristus Eliam.

Porro Antichristus primo in benignitate et signis venturus perhibetur, et tunc a Judæis suscipietur. Ad quorum conversionem venient Elias et Enoch, moxque filius perditionis in apertam persecutionem consurget. Fortassis enim Antichristus signa atque prodigia faciet ante trium annorum et medii tempus, congregans sibi plurimos, ex quibus quidam salvandi. Eum, Elia (qui utique tanquam ignis veniet) prædicante cum Enoch, relinquent : quo facto, Antichristus desæviet.

ARTICULUS XXVI.

De Gog et Magog.

Theologus. — Per Gog et Magog, quidam Antichristi exercitum intelligere volunt, qui in fine mundi cum principe suo vastabit Ecclesiam. Unde, quum Gog interpretetur tectum, Magog quoque, detectum; possunt per Gog, occulti Ecclesiæ inimici qui eam latenter persequuntur, intelligi, per Magog autem, æmuli manifesti. Quidam Judæi, per Gog et Magog, decem tribus Israel quæ ultra montes Caspios captæ clausæque sunt, accipere volunt : quas cum rege suo Messia in Jerusalem esse venturas, itemque Christi Ecclesiam destructuras, affirmant.

Philosophus. — Quæ sunt illæ decem tribus ?

Theologus. — Tempore filii Salomonis
III *Reg.* xii, 16-19. divisum est regnum Israel, solaque tribus Juda adhæsit Roboam filio Salomonis.
Ibid. 21. Sed et tribus Benjamin, propter loci vicinitatem, cum populo Juda eidem adhæsit; et quoniam in tribu Juda mansit cultus divinus, Levitæ quoque regibus de Salomonis prosapia adhærebant. Ceteræ tribus Jeroboam filium Nabat secutæ sunt, nec unquam ad reges Judæ reversæ sunt.

Philosophus. — Ante me docuisti duodecim fuisse tribus Israel, ex duodecim filiis Jacob exortas. Si ergo tribus Juda, tribus quoque Benjamin, et insuper tribus Levi, Roboam ejusque posteritati parebant, non nisi novem tribus remanserant, et non decem sed novem captæ dicendæ sunt.

Theologus. — Tribus Levi a Deo ad altaris ac templi obsequium præelecta est,
Num. xviii, 20; *Josue* xiii, 33. nec ipsi inter ceteros filios Jacob hereditatem sortiti sunt in terra promissionis, sed Dominus Deus Israel erat hereditas ipsorum, quoniam de oblationibus Domini sustentabantur. Et loco ipsorum progenies Joseph in duas partita est tribus, videlicet in tribum Manasse et Ephraim, quæ
A ambæ Jeroboam, qui de genere Ephraim exstitit, adhæserunt.

Philosophus. — Nunc responsionem tuam prosequere.

Theologus. — Hic ergo Jeroboam primus rex Israel, seu decem tribuum (quæ propter pluralitatem suam nomen sibi Israel vindicabant), videns se regem electum, pavensque ne populus rediret ad III *Reg.* xii, 27-28.
Roboam, fecit duos vitulos aureos. Nam secundum legem Moysis, populus Hebræorum in templo quod in Jerusalem erat,
B oblationes facere tenebatur. Jerusalem vero tunc in tribu Juda fuit, habitavitque in ea rex Roboam. Eam ob causam timebat Jeroboam, si populus suus in Jerusalem oblationes faceret atque offerret, quod ad regem de genere David denuo rediret. Propter hujusmodi causam duos vitulos aureos fecit; et exinde idololatria illa non recessit a tribubus decem, donec tandem a Salmanasar rege Assy- IV *Reg.* xvii, 6; xviii, 11.
riorum translatæ sunt, nec unquam reversæ.

C Legitur demum in chronicis, quod ad petitionem Alexandri Magni montes Caspii sic sibi conjuncti clausique sunt, ut egredi nequeant, saltem in magno catalogo. Et si possent, non tamen permitterentur ab his sub quorum ditione perdurant. Alii adstruunt, quod si permitterentur ab eis quibus subduntur, propter montium conclusionem non impedirentur. Hi ergo Antichristo in maximo numero adhærebunt, Ecclesiamque vastabunt.

D

ARTICULUS XXVII.

De acerbitate et brevitate persecutionis Antichristi, ac de discipulis ejus.

Theologus. — Quanto præterea tribulatio ista gravior, tanto quoque brevitate moderatior erit. Cujus causam S. Gregorius tradens : Quia, inquit, superbos et infirmos nos adspicit Deus, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breviavit, profecto ut et superbiam terreat

de adversitate, et infirmitatem refoveat de A brevitate. Nempe ut ubertim jam dictum est, aperta persecutio et imperium hominis peccati, non nisi tribus annis et medio
Apoc. XVII, 10. stabit. Nam ut ait S. Joannes : *Quum venerit, oportet illum breve tempus manere.* Persecutio autem tyrannorum ac hæreticorum sæpe longissima exstitit.

Igitur Antichristus omnia illa amarissima atque immanissima tormentorum genera fidelibus inferet, quæ unquam crudelissimi tyranni Nero, Domitianus, Diocletianus, Maximianus, et compares, intulerunt; B præsertimque Christianis in Terra sancta et in Jerusalem compertis. Nihilo minus ante patientium oculos signa magna efficiet. Ideo sancti qui tunc constantes exstiterint, præclarissimi martyres erunt, tanto utique prioribus excellentiores martyribus, quo persecutio illa durior fuerit. Alii equidem martyres in maximis persecutores suos confutabant miraculis; istis
Matth. XXIV, 22. vero continget oppositum. Propterea, *nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro,* Christo testante. C

II Cor. XI, 14. Porro, sicut Satanas se transfigurat in angelum lucis, sic quoque ejus ministri in ministros se lucis transformant. Unde discipuli Antichristi per mundum discurrent, prædicabunt, multosque pervertent, credere eis nolentes horribiliter cruciabunt, ut quasi implere videantur quod de Christi Apostolis prophetatum
Ps. XVIII, 5. itemque impletum agnoscimus, In omnem terram exivit sonus eorum, etc. Facient quoque in nomine magistri sui atque Luciferi signa multa. Nec sinent Scripturam sacram a Christianis vere exponi, nec D Christi fidem prædicari ; sed veros Christianos velut excommunicatos habebunt,
Apoc. XIII, 17. nec in venditionibus neque in emptionibus aliisque usibus eis communicantes, nisi habeant characterem bestiæ, id est Antichristi imaginem, seu signum aliquod vel oris vel operis, quo ad ipsum pertinere noscantur. Antichristus namque, ut dicitur, imaginem suam faciet adorari, et suo omnes charactere insigniri.

ARTICULUS XXVIII.

De simulata morte, resurrectione et ascensione Antichristi.

Theologus. — In Apocalypsi ait Joannes : *Vidi de mari bestiam ascendentem,* Apoc. XIII, 1-3.
habentem capita septem, id est Antichristum et ei obedientes reges terrenos ; *et dedit illi draco,* id est Satanas, *virtutem suam. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum, et plaga mortis ejus curata est.* Ubi Beda aliique doctores testantur, quod Antichristus imitatione veri capitis nostri Jesu Christi, se quasi occisum ac resurgentem confinget, ac demum adorandum præbebit, atque in aera, cunctis cernentibus, dæmonibus eum ferentibus, evolabit. Quorum omnium, uti præhabitum est, in Simone mago typus præcessit fallaciæ.

Philosophus. — Cur se secundum apparentiam occidi faciet ?

Theologus. — Ut quasi Prophetarum videatur implere scripturas quæ regem Messiam pro mundi salute passurum erudiunt, ac per hoc verus esse Christus putetur. Per triduum enim se velut defunctum abscondet, et tertia die tanquam resurgens parebit.

Et subdit Joannes in littera : *Admirata est universa terra,* id est terreni et Antichristi ministri, *post bestiam.* His nempe visis, mirabuntur populi, et adorabunt laudabuntque. Ait autem S. Joannes evangelista : *Et adoraverunt draconem, qui* Ibid. 4.
dedit potestatem bestiæ. Ipsi dicent se adorare Deum : sed quia eum adorabunt qui potestatem Antichristo præstabit, qui utique non Deus, sed Satanas erit ; ideo Joannes, non ad eorum verba sed opus respiciens, Adoraverunt (inquit) draconem, id est, Satanam adorabunt. Ponit namque, more prophetico, pro futuro præteritum, propter prophetiæ certitudinem. Et simili modo Antichristum bestiam vocans, quandoque eum adorabunt qui veraciter Christus non est, sed bestia potius, quia sancta

calcabit Ecclesiæ, ejusque sacramenta irreverentissime conculcabit ; ideo subdit : *Et adoraverunt bestiam, dicentes, Quis similis bestiæ?* Ipsi dicent : Quis similis Christo? aut quis eum vincere potest? Sed eum qui bestia est, Christum vocabunt, et purum ac bestialissimum subtilissimumque simulatorem atque hypocritam pessimum, pro Dei Filio adorabunt.

Philosophus. — Quum Antichristus in tanto potentatu venturus sit, quis eum occidere audebit ?

Theologus. — Se sponte occidi secundum apparentiam (ut arbitror) faciet, ut id quoque quod de Domino nostro Jesu
Is. LIII, 7. Christo ait Propheta, Oblatus est quia ipse voluit, in se verificare appareat et sua morte implere, sicque mundum redimere. Verumtamen in speciali modos hypocrisis ejus exprimere impossibile reor.

ARTICULUS XXIX.

De infelici morte Antichristi.

Theologus. — Denique, de Antichristo
II *Thess.* II, 8. fari orsus Apostolus ait : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Quod dupliciter potest intelligi. Primo, interficiet eum spiritu oris sui, id est virtute Spiritus Sancti a se procedentis : qui spiritus oris
Is. XI, 4. Domini dicitur apud Isaiam, Spiritu labiorum suorum interficiet impium, id est hominem peccati, videlicet Antichristum. Secundo, Spiritu oris sui, id est sola potentia visionis suæ. Nam Daniel de eo prædi-
Dan. VIII, 25. xit : *Sine manu,* id est humana virtute, *conteretur,* scilicet Antichristus. Alii asserunt quod Christus per Michaelem Ecclesiæ principem, eum occidet. Multi quoque testantur quod Antichristus cœlitus fulminabitur, et non solum ipse, sed et magna insuper pars sui exercitus cum ipso occidetur atque peribit. Occidetur autem, ut creditur, in monte Oliveti, in papilione solii sui : de quo loco Christus ascendit.

Quo cum suis occiso, ceteri qui vel pœnarum horrore atque terrore, aut alias per
A simplicitatem, ab ipso Antichristo subversi sunt, et quibus Deus misereri dignabitur, pœnitebunt. Ut enim ex Daniele pro- *Dan.* XII, 11, 12.
pheta colligitur, post Antichristi interitum quadraginta quinque dies pœnitentiæ concedentur. Quo tamen occiso, aliqui de ejus ministris non pœnitebunt, sed ut paulo ante ostensum est, gaudebunt edentes et *Matth.* XXIV, 37, 38.
nubentes, quemadmodum in diebus Noe fuit. Quantum præterea temporis fluet post illos dies quadraginta quinque pœnitentiæ usque ad secundum Christi ad-
B ventum, ignoratur.

Philosophus. — Sciturne saltem in communi, an magnum erit an breve?

Theologus. — Christus in Evangelio ait quia statim post dies illos sol obscurabi- *Ibid.* 29-31.
tur, etc., et dies judicii erit. Unde constat quod valde modicum erit. Quum enim illi *I Thess.* V, 3.
obstinatissimi servi Antichristi dixerint, Pax et securitas ; tunc superveniet eis repentinus interitus. Et tunc Dominus Jesus illustratione adventus sui destruet Antichristum, et omnia membra ejus, dicens :
C Ite, maledicti, in ignem æternum. *Matth.* XXV, 41.

ARTICULUS XXX.

Responsio Theologi ad objectiones Philosophi de Antichristo.

Philosophus. — Nunc quoniam usque ad consummationem Antichristi disputatio nostra de ipso perducta est, respondere complaceat ad objectiones quas dudum formabam.

D Theologus. — Interrogasti in primis, si rite recordor, quid utique puer ille meruerit, ut sic ex utero matris occupetur et inhabitetur impleaturque a dæmone.

Philosophus. — Hoc primum quæsivi et quæro. Videtur enim mihi pœnam præcedere culpam.

Theologus. — O altitudo divitiarum sa- *Rom.* XI, 33.
pientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus !

Philosophus. — Tam incomprehensibilia consistere nequeunt, ut injusta exsistant.

Injustum autem videtur, ante culpam, tantam A pœnam infligere ut est ab exordio possideri a dæmone. Præterea, ut dicis, *Rom.* II, 11. non est apud Deum personarum acceptio. Cur ergo unum hominem præ aliis universis tam immisericordissime derelinquit?

Theologus. — Moderate itemque reverenter nos loqui in tam alta materia congruit.

Philosophus. — Hoc mihi efficacissime persuasisti, dum de prædestinatione et reprobatione disputabamus.

Theologus. — Si profunde intenderes, non solum de Antichristo, sed de aliis plu- B rimis, simili modo sciscitari atque arguere posses.

Philosophus. — Quomodo ?

Theologus. — Non miraris cur quidam infantes de christianis nascuntur parentibus, quidam de paganis ; cur eorum qui de christianis gignuntur, quidam ante Baptismum decedunt, et aliqui non ; cur insuper Deus unum hominem in tam enormissima peccata labi sinit, magis quam alterum ?

Philosophus. — Hæc dubitationem meam C augent, non solvunt. Rogo autem ut pro viribus tuis respondeas, meque informes.

Theologus. — Meminisse ergo te decet, quemadmodum dixi electionem seu prædestinationem divinam non esse ex meritis, quoniam prima infusio gratiæ ante omne meritum exstat. Reprobatio autem et odium Dei seu induratio, ex demeritis hominum oritur : non quod aliquod in Deo exsistens ex rebus creatis causetur ; sed quoniam Deus præcognoscit in se ipso mala quorumdam, ideo eos in se ipso se- D cundum suam justitiam discernit justissime deserendos, nunc quidem a gratia, et demum a gloria.

Porro quod asseris, pœnam non debere præcedere culpam, verum est de pœna et culpa ejusdem ordinis. Nam pœna sensus, propriam personalemque non prævenit culpam. Sed pœna damni et originalis infectio puerorum, ex alieno peccato proveniunt, de quo ante studiose disserebamus. Porro illa possessio seu impletio Antichristi a dæmone, non imputabitur ei in culpam, nec propter eam merebitur pœnam, donec sponte discretionem sortitus, maligno consentiat. Dæmon quippe primum non coget eum ad malum consensum, sed inclinabit dumtaxat. Imo piissimus Deus deputabit ei angelum sanctum ad custodiam, qui etiam, secundum S. Thomam super secundum Sententiarum, a malis quibusdam retrahet eum. Sed ipse Satanam protinus audiet, et ad omne se malum derivabit. Et dicunt doctores, quod quum ad tantam superbiam venerit ut se Deum dicat, extollens se *II Thess.* II, 4. utique super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ; tunc angelus bonus eum ex toto relinquet, et ipsum non nisi ad accusationem habebit.

Philosophus. — Cur tamen puerum illum Deus tam dire præ ceteris deseret ?

Theologus. — Quis cognovit sensum Al- *Rom.* XI, 34. tissimi ? Cur Deus animam Christi tam incomparabiliter præ omnibus creaturis elegit ? Nonne utriusque est ratio compar, scilicet quia Deo sic placuit ? Et voluntati ejus quis resistet ? Quæ etsi occulta sit, injusta tamen consistere nequit. Quum igitur quæris, cur sic eum Deus præ ceteris tradit et deserit in manus diaboli : dico, Prænoscit Deus superbiam ejus, atque cetera mala ventura. Et si denuo sciscitaris, cur eum ad tantum lapsum prolabi sinit magis quam reliquos : hujus alia causa non est nisi voluntas divina, quæ est omnium rerum prima causa : quæ nec insipiens esse potest nec injusta, quum sit ipsa divina sapientia, bonitas pura, atque sanctitas prima. Si autem interroges, cur Deus gloriosus hominem aliquem ad tantam blasphemiam, superbiam atque malitiam cadere deserat : breviter dico, quatenus divina justitia in rebus reluceat, et saltem in uno singulariter clareat ad quantam defectuositatem omnis creatura, præsertimque rationalis, descenderet, nisi divinæ providentiæ pietas atque clementia eam conservaret. Quid equidem habet creatura sibi ipsi relicta, nisi deficere et in

nihilum tendere? Et quid habet de se voluntas humana, nisi ad omne malum esse proclivem, semperque in deteriora labi atque corruere, nisi Dei benignitas ac clementia eam dignetur protegere?

Enimvero nec tantam malitiam Antichristi Deus omnipotens permitteret, nisi maxima inde bona elicere nosceret, utpote quia per ejus malitiam multi coronabuntur. Sed et insuper propter peccata hominum, secundum Apostolum, mittet Deus reprobis Antichristum : quia videlicet non crediderunt veritati, sed magis consenserunt falsitati atque vanitati. (II *Thess.* II, 11.)

Ex his denique elucescit, quod licet Antichristus erit quasi instrumentum diaboli, non tamen excusatur a culpa, quia est instrumentum animatum ac rationale; nec erit sicut obsessi a dæmone sive phrenetici, sed integræ mentis erit, atque sponte peccabit.

PHILOSOPHUS. — Dubiis atque instantiis meis satisfactum adverto; idque simul perpendo, quia ad horum notitiam plurimum conferunt quæ superius de prædestinatione et reprobatione divina allata sunt.

THEOLOGUS. — Satisne fatigavimus nos cum Antichristo isto maledicto?

PHILOSOPHUS. — Satis. Et sicut intelligo, ideo tanta de ipso ejus detegendo fallacias disseruisti, quoniam pro viribus tuis viam ei præcludere cupis. Nam doli præcogniti melius repelluntur.

THEOLOGUS. — Conspicit Deus desiderium servuli sui, et zelum quem pro fide ejus complector. Ego interim facere cupio quod in me est; Deus vero benedictus et fortis, optime universa disponet.

PHILOSOPHUS. — Quod tibi restare videtur, adjunge.

THEOLOGUS. — Vicissim testatus sum christianam fidem per veterem legem potissime comprobari. Consequenter ergo id ipsum ostendendum opinor.

LIBER SEPTIMUS

DIALOGION
DE FIDE CATHOLICA

LIBER SEPTIMUS

DE PROBATIONE FIDEI CHRISTIANÆ EX LEGE ET PROPHETIS, ET DE JUDÆORUM ERRORIBUS.

PROŒMIUM.

THEOLOGUS. — Loquens Christus Judæis: *Scrutamini* (inquit) *Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Joann. v, 39.

PHILOSOPHUS. — Quæ sunt istæ scripturæ?

THEOLOGUS. — Hoc Christus post resurrectionem apparens discipulis aperuit dicens: Oportet omnia impleri quæ scripta sunt de me, in lege, Prophetis, et Psalmis. (Luc. XXIV, 44.) Quod enim jam factum de Christo Evangelium narrat, hoc in ipso fuisse implendum Scripturæ illæ commemorant. Istud vero argumentum de Christi fide et lege per veteris auctoritatem Scripturæ, fortissimum est: tum propter omnia illa ex quibus ostenditur legem antiquam a Deo tributam; tum quia prophetiæ de rebus pure contingentibus atque humanis, non nisi secundum divinæ scientiæ præintuitum certitudinem habent, nec esse possunt nisi a Deo, cui soli cuncta futura, quantumcumque contingentia ac indeterminata, certissime et præsentialiter atque æternaliter patent. Denique, ut Josephus ait (Ant. Jud. lib. X in fine.): Ex talium prophetiarum implementis evidentissime innotescit Deum de actibus humanis providentiam habere et curam, et per consequens judicium ac remunerationem.

PHILOSOPHUS. — Quid ergo in hoc tractatu probare intendis?

THEOLOGUS. — Jesum Nazarenum quem colimus, esse verum Christum in Scripturis illis promissum. Item, ea quæ de ipso Evangelia canunt, per easdem Scripturas ostendam esse veracia; præterea, Antichristum de quo locuti jam sumus, non esse Christum, nec sibi vere competere quæ de Christo sunt vaticinati Prophetæ. Insuper quoque adducam quæ Judæi Christianis ex lege objiciunt, et quæ Antichristo apparentiam facere possunt. Dixi nempe in superiori libro, dum modos fallaciarum Antichristi quibus mundum seducet distinxi, per auctoritatem sacræ Scripturæ antiquæ eum plurimos decepturum. Ea namque quæ Judæi de Christo prophetata cognoscunt, nec tamen in ipso Domino nostro Jesu Nazareno impleta existimant, Antichristus quasi ad litteram in se impleri ostendet.

PHILOSOPHUS. — Grandem tibi laborem indicis, sed salubrem et utilem tam tibi quam aliis, et maxime mihi. Nunc ergo Deus te doceat, ut efficaciter prosequaris.

ARTICULUS I.

Probatio declarans Christum venisse, ex prophetia sanctissimi Jacob patriarchæ.

Theologus. — Quum jam morti propinquans sanctus Jacob filiis suis benediceret, inter ceteras suas præclarissimas pro-
Gen. XLIX, 8-12. phetias, de filio suo Juda ejusque sobole excellentissimas inseruit vaticinationes. Quumque regale sceptrum atque ducatum Judæ super fratres suos spopondisset, prophetavit hunc principatum non esse tollendum a Juda, donec Christus veniret. Nam etsi vicissim videatur ablatus, hoc non diu duravit : imo spes recuperandi permansit, recuperatusque est.

Ibid. 10. Sic igitur ait : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Sed jam ad oculum lucet quod a Judæis ablatum est regnum, sceptrum, ducatus et principatus, a tempore nativitatis Jesu, quem nos Christum fatemur. Ipse namque sub Herode Ascalonita est natus, qui erat primus regum alienigenarum in terra Juda. Hic enim Herodes Idumæus exsistens, Romanorum auxilio Antigonum regem de Machabæorum genere natum, cepit atque occidit. Porro, ab illo tempore usque ad præsens, fluxerunt plus quam mille quadringenti et triginta anni, nec unquam interim readepti sunt sceptrum neque ducatum; nec est spes reparandi, quum videantur jam tantum elongati ut tunc. Ablatio ergo sceptri tanto tempore jam transacto, evidens signum est Christum regem venisse.

Denique, ex auctoritate inducta duæ rationes sumuntur Judæorum errorem ostendentes. Ipsi quippe exspectant in adventu Messiæ toti mundo dominari, omnibusque temporalibus atque terrenis bonis repleri. Secundum hoc ergo sceptrum non utique tolleretur ab eis, sed potius augeretur ac roboraretur : cujus tamen oppositum Jacob prædixit. Præterea, aut ista regni ablatio quæ secundum vaticinium
A Jacob, signum fertur adventus Messiæ, jam facta est, aut futura. Si facta est, habetur intentum. Si vero futura est, restat adhuc alia ablatio regni atque ducatus a Juda, quam sit ista. Sed quæ poterit major esse quam ista ? Ipsi quoque non dicunt aliam futuram, quoniam post istam captivitatem existimant se toti mundo principaturos in sæculum.

Philosophus. — Quum ista probatio tam evidens sit, quid respondent ad eam ?

Theologus. — Dicunt quidam eorum au-
B ctoritatem prædictam non de Christo, sed de Nabuchodonosor rege accipiendam atque sumendam esse. Ille namque cepit IV Reg. XXV, 1-7.
Jerusalem, et transtulit Judam, regemque eorum excæcavit, filiosque ipsius peremit; et ex inde regnum eorum defecit. Hæc autem responsio falsa est, quoniam post captivitatem Babylonicam habuerunt duces et principes, scilicet Zorobabel, qui de tribu Juda descendit, Esdram, Nehemiam, et Machabæos. Si autem dicant, quod licet in Judæis fuerunt duces et
C principes, non tamen de tribu Juda, de qua loquitur Jacob : hoc jam patuit falsum de Zorobabel, qui fuit filius Sala- Matth. I, 12.
thiel, filii regis Juda. Idemque quoque probatur : nam a principio tribus regia et sacerdotalis conjunctæ fuerunt. Ideo, sicut Machabæi eorumque posteri, de tribu sacerdotali descenderant, ita de regia, utpote de tribu Juda. Non ergo a tempore Nabuchodonosor a Juda est ablatum dominium.

Alii quidam confingunt quod de Jero-
D boam intelligenda sit : nam ejus tempore, III Reg. XII, 15-19.
decem tribus recesserunt a Roboam filio Salomonis. Hæc autem evasio nulla est, quoniam post illam regni scissuram, reges Juda, saltem multi, potentes et inclyti ac justi fuerunt : quemadmodum de Ezechia, Josaphat, Josiaque patet, qui famosissimi erant. Non ergo ex tunc ablatum est a Juda sceptrum regale. Imo reges Juda omnino justiores nobilioresque erant regibus Israel. Insuper ista dicentes aiunt quod Jeroboam constitutus sit rex super Israel

in Silo. Nam ubi nostra S. Hieronymi translatio habet, Donec veniat qui mittendus est; Hebraica veritas habet, Donec veniat Silo : quod est nomen loci. Istud autem dictum est falsum, quoniam tertio Regum dicitur quod in loco qui Sichem vocatur, dereliquerunt decem tribus Roboam, adhærentes Jeroboam. Sichem vero a Silo satis est distans. *II Reg.* XII, 25.

Amplius autem ambæ evasiones supradictæ, per translationem Chaldaicam efficacius destruuntur. Nam ubi nos habemus, Donec veniat qui mittendus est; illa continet, Donec veniat Messias.

PHILOSOPHUS. — Quæ est illa translatio Chaldaica? et a quo facta est? et si ipsa ad probandum contra Judæos idonea est?

THEOLOGUS. — Libri veteris Testamenti primo in puro Hebræo conscripti sunt. Multifarie multisque modis translati sunt. Hæc autem translatio Chaldaica, a Jonatha filio Oziel facta censetur : qui tantæ auctoritatis est apud Hebræos, quod ei contradicere nullus præsumpsit. Ideoque ejus translatio efficax est ad probandum contra Judæos. Ipsa nempe ubertim declarat et quasi exponit ea quæ in Hebræo obscura fuerunt.

At vero, quod præinducta auctoritas non nisi de Christo accipi queat, ex sequentibus verbis sancti Jacob ostenditur. Quum enim dixisset, Non auferetur sceptrum, etc., donec veniat qui mittendus est; de eodem mittendo subjunxit, *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.* Super quæ Rabbi Moyses, Hebræorum maximus doctor : Quum venerit, inquit, rex Messias erit cingulans asinum suum, et equitans super eum, ut cum humilitate se ducat. Hæc autem nec Nabuchodonosor neque Jeroboam competunt, quorum uterque superbissimus fuit. Et licet Nabuchodonosor pœnituerit, istud tamen sibi non convenire certum est. Quod item sequentia verba prophetica pandunt. Sequitur enim : *Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores.* Quæ omnia utique Christo conveniunt, et in ipso completa consistunt. *Gen.* XLIX, 11. *Ibid.* 12.

ARTICULUS II.

Quod primus regis Messiæ adventus jam præteritus sit, ex Danielis prophetæ vaticiniis.

THEOLOGUS. — Quemadmodum in Daniele conscriptum est, angelus Gabriel Danieli pro peccato populi sui oranti et misericordiam efflagitanti, apparuit, et eum de reædificatione templi, præsertim vero de spirituali redemptione per Christum fienda, edocuit; eumque vehementer mœrentem consolans, ait : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt; et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Ex his aperte ostenditur Christum venisse. *Dan.* IX, 21-27. *Ibid.* 24-26.

PHILOSOPHUS. — Verba præinducta mihi omnino obscura sunt, nec quidquam mihi per ea probas, nisi ipsa primo exponas. Primo nempe, quid hic signet hebdomas, et quantum tempus septuaginta hebdomades contineant, nescio.

THEOLOGUS. — Omnia quæ ad præinductæ auctoritatis explanationem prosunt, exprimere nimis foret prolixum. Ea ergo in quibus omnes conveniunt, breviter tangam; atque illa quæ mihi ad ostendendum necessaria non sunt, derelinquam.

Primo igitur scire oportet, quod in sacra Scriptura hebdomas sive hebdomada quandoque accipitur pro tempore septem dierum; interdum vero, pro tempore sep-

tem annorum, ut una hebdomada septem annos continet : et hoc modo eam accipi hic omnes fatentur. Denique, quoniam textus ait, Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, Beda et alii multi, istas hebdomades exponunt de annis lunaribus. Est autem annus lunaris brevior anno solari undecim diebus. Itaque constat quod si prædictæ septuaginta hebdomades annorum multiplicentur per septem, resultant anni solares quadringenti septuaginta quinque, anni vero lunares quadringenti nonaginta.

Præterea diversa opinio est a quo tempore computatio ista hebdomadarum inchoanda exsistat : an scilicet a tempore quo destructum est primum templum in Jerusalem ; an a primo anno Darii regis Persarum et Medorum, quando videlicet Danieli Gabriel ista prædixit; an a reditu a captivitate Babylonica, vicesimo anno Artaxerxis regis, a quo Nehemias ejusdem pincerna, missus est reædificare Jerusalem. *II Esdr. II, 1 et seq.* Quæcumque autem opinionum istarum præeligatur, semper habetur intentum. Nam secundum omnes et singulas, prædictum tempus impletum est per mille trecentos annos. Igitur Beda a vicesimo anno Artaxerxis regis hos annos computare incipiens, ostendit ab illo tempore usque ad Christi passionem, quadringentos nonaginta annos lunares fluxisse.

Quibus impletis, adducta est justitia sempiterna, id est ipse Christus sol justitiæ, Dominus justus noster; et tunc impleta est visio et prophetia, quemadmodum Joannes, Veritas, ait, per Jesum Christum facta est, *Joann. I, 17.* quia ipse in se Prophetarum eloquia verificavit atque implevit. Et infra hoc tempus, unctus est Sanctus Sanctorum, id est Dominus noster Jesus Christus gloriosus, de quo divinissimus ipse David cecinit : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Ps. XLIV, 8.* Nam interim vere secundum humanitatem suam unctus est oleo gratiæ singularis atque gloriæ specialis. Et tunc consummata est prævaricatio, quemadmodum in Evange- A lio Christus dixit Judæis : Implete mensuram patrum vestrorum. *Matth. XXIII, 32.* Christi namque occisio, omnium præcedentium peccatorum consummatio fuit. Tunc insuper est deleta iniquitas ex parte Christi occisi. Ipse est enim Agnus Dei delens facinora mundi. *Joann. I, 29.* Porro quæ sequuntur de occisione Christi, apertissime pandunt quod mox circa tempus præscriptum passio ejus consummari debeat, et quod occidentes eumque negantes, ejus amplius populus non forent.

B Denique quid post Christi occisionem populo Judæorum esset venturum, Propheta ostendit. Quum enim dixisset, Post hebdomades sexaginta duas (supple, et septem, et unam, quam post dividit in duas partes) occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est; protinus addidit : *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo,* *Dan. IX. 26, 27.* id est, urbem sacram Jerusalem et templum destruet Titus cum gente Romana; *et finis ejus vastitas, et post finem belli, statuta* C *desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium.* Una hebdomada septem continet annos. Christus autem prædicavit tribus annis cum medio : in cujus temporis fine defecit hostia et sacrificium, quia ipse in novissima Cœna sacrificium novæ legis instituens, veteris Testamenti umbras finivit, et figuras implevit.

Itaque, quum hæc omnia jam de facto cernamus impleta, nam tempus illud ela- D psum est, civitas et templum destructa sunt, sacrificia et hostiæ atque incensa desierunt; nuncque insuper, post devastationem illam factam per Titum, amplius quam mille et trecenti anni fluxerint : ex hoc evidenter clarescit, hanc Judæorum devastationem ac dispersionem, perpetuam illam itemque finalem eorum esse destructionem de qua post præinducta Daniel scripsit : *Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* *Ibid. 27.*

Porro, si dicant hanc ipsorum captivi-

tatem in qua nunc sunt, non esse desolationem prædictam perpetuam, necessario sequitur ut post istam, aliam hac majorem præstolentur ac diuturniorem. Hanc autem non præstolantur, neque futuram fatentur. Quæ enim major poterit esse ista? Hanc rationem Rabbi Samuel in epistola ad Rabbi Isaac pulchre prosequitur; eamque eatenus reputat, ut ad Rabbi Isaac loquens, dicat : Certe, domine mi, non video evasionem contra populum, scilicet christianum, Judæos hoc modo arguentem. Et denuo : Heu! inquit, domine mi, non est excusatio seu evasio consona. Et hoc dixit, quia jam, scilicet quando ipse epistolam illam edidit, sunt mille anni, videlicet a devastatione Judæorum facta per Titum. Hæc autem ratio nunc fortior est. Modo enim currit annus Domini 1432*.

*alias 1436, vide p. 479.

Philosophus. — Quum inter Hebræos tot docti post destructionem templi præscriptam exstiterint, et nunc quoque (ni fallor) exsistant, propter adductam prophetiam imo crederent, nisi eam aliquo modo solvere possent. Quid ergo ad rationem istam respondent?

Theologus. — Veritatem tibi dico in Christo, non mentior, quia posteriores Judæi qui post Christum fuerunt, propter rationem istam et alias multas, textum frequenter corruperunt ; sæpissime quoque eumdem valde abusive et extorte exponunt, quemadmodum postmodum pandam. Denique quidam eorum, propter prædictas rationes et compares, christiani sunt facti.

Licet etiam præinductæ auctoritates eos ad fidem vicissim inclinent, tamen ob alia quædam Prophetarum eloquia quæ ipsi nimis litteraliter capiunt (quæ cito adducam), avertuntur a fide : et etiam ob alias causas. Quarum una est altitudo et incomprehensibilitas eorum quæ fides comprehendit catholica, quæ rationem prorsus excedunt : ut est trinitas personarum in una simplici Deitate, et ea præsertim quæ circa Eucharistiam credimus. Secunda causa est, quoniam dum christiani fiunt, omnia temporalia quæ habebant,

A quoniam per usuras adepta injuste erant, eos oportet relinquere, sicque paupertatem quam valde abhorrent, incurrere, maxime quum in lege Moysis, temporalium eis affluentia sæpius promittatur. Tertia causa est, quoniam quod a pueritia inest, et per consuetudinem habitumque impressum est, difficulter deletur. Ipsi autem ab exordio pueritiæ discunt nomen Domini Jesu et Virginis Matris ejus blasphemare, atque pro Christianorum ac Romani destitutione imperii exorare : ideoque dif-
B ficillime assuescunt oppositum. Verumtamen tibi ostendam quid ad instantiam et prophetiam præinductas respondeant.

ARTICULUS III.

Disputatio contra solutionem rationis prædictæ, quam Judæi quidam assignant, et improbatio erroris eorum quo se putant in adventu Messiæ omnibus regnis mundi dominaturos.

C Theologus. — Simpliciores Judæorum in suorum dictis doctorum se amplius fundant quam expedit. Nempe quum ipsi cæci sint et duces cæcorum, igitur quidam post Christi longe adventum, præinductam Danielis prophetiam aliter sunt conati exponere, nedum indoctos, sed se ipsos quoque fallentes. Dicunt ergo, quod præfatæ septuaginta hebdomades, non continent tempus determinatum neque præcisum usque ad Christum ducem ejusque passionem, sed exprimunt tempus inter primi
D atque secundi templi destructionem, dicentes :

Matth. xv, 14.

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, id est, præcisæ sunt, *super populum tuum,* o Daniel, *et super urbem sanctam tuam,* priusquam videlicet compleatur perfecta ipsorum captivitas per Romanos inducta, *ut consummetur prævaricatio,* id est, a prævaricatione sua, per prædictam captivitatem correcti, desistant ; *et deleatur iniquitas,* scilicet Judæorum, per tolerantiam captivitatis istius, *et impleatur*

Dan. ix, 24.

visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum, non utique cito post tempus præfatum, sed tandem tempore a Deo disposito : ut sit sensus, quod post hujus captivitatis terminum, implebuntur visio et prophetia, atque ungetur Sanctus sanctorum, id est arca Dei ac vasa sanctuarii, quæ captivitate ista finita, a Christo quem exspectant, recuperanda existimant. Hic ergo Propheta sanctus non explicat captivitatis durationem istius, neque tempus præcisum usque ad Christum ducem.

Hanc responsionem adscribit quidam ex nostris Rabbi Salomoni, Hebræorum doctori posteriorum. Hæc autem ejus expositio, nec textui nec rationi concordat. Primo, quoniam dum aliquid ad aliud referri ordinarique dicitur, tunc omnia quæ sub eodem contextu ac similis ordinis forma ad illud consequi referuntur, parem et indistinctam concomitantiam habent ad illud. Ut si dicam : Deus misertus est huic peccatori, ut a peccato liberatus, gratia impleatur, Deo fideliter famuletur ac omnibus mundi voluptatibus reluctetur ; necesse est omnia hæc similiter consequi ad impensionem misericordiæ Dei, præsertim si postea determinatio temporis fiat ad ultimum sine quo priora impleri non possunt. Quum dixit Gabriel Danieli, Septuaginta hebdomades, etc. ; mox subjunxit sub uno contextu ac simili forma : ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Adductio autem justitiæ sempiternæ, et visionis ac prophetiæ impletio, non est nisi per Christum, ut omnes concorditer dicunt. Omnia ergo prædicta, post tempus septuaginta hebdomadarum uniformiter concomitantur, quia tempus illud ad ista ordinatur. Ergo septuaginta hebdomades tam bene continent tempus determinatum usque ad Messiæ adventum, ejusque passionis mysterium, id est visionis ac prophetiæ impletionem, sicut ad consummationem prævaricationis, fi-

A nem peccati deletionemque culpæ, maxime quum postea determinetur tempus ad ultimum horum, id est ad Christum ducem, quum additur : Scito ergo, et animadverte : *Dan.* IX, 25. Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt. Constat ergo quod prædicta Judæorum expositio, non sit nisi purum figmentum ad evadendum instantias Christianorum.

Præterea, in consequentibus Daniel de-

B terminat tempus passionis Christi, quum ait : Et post hebdomades sexaginta duas *Ibid.* 26. occidetur Christus. Ergo infra præscriptum tempus septuaginta hebdomadarum, unctio, passio, ac visionum impletio, implendæ erant.

Adhuc autem, finis peccati et iniquitatis deletio esse non potest, nisi per adventum et meritum passionemque Christi. Alioqui adventus Christi in mundum ad salutem humanam non utique necessarius foret : quod est apertissime contra vati-

C cinia Prophetarum, maxime Isaiæ, qui ait de Christo : Vere languores nostros ipse *Is.* LIII, 4; tulit, et peccata nostra ipse portavit; item- I *Petr.* II, 24. que : Deus posuit in eo iniquitatem om- *Is.* LIII, 6. nium nostrum ; et alia multa. Si ergo post septuaginta hebdomades finis peccati et iniquitatis deletio esse debuit, per consequens et passio Christi, seu visionum impletio, quum unum sine alio esse non queat.

Amplius autem, pœnam Deus non infligit ante culpam. Sed Daniel palam os-

D tendit propter negationem occisionemque Christi, urbem delendam, templum destruendum, perpetuamque desolationem introducendam. Nam quum dixisset, Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus ; repente adjunxit : Et non erit *Dan.* IX, 26. ejus populus qui eum negaturus est, id est Judæi non credentes eidem. Cujus incredulitatis pœnam insinuans : Civitatem, *Ibidem.* inquit, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, id est Titus et Vespasianus cum suis. Quum ergo pœnam cer-

namus impletam, clarissime constat culpam ejus, id est Christi occisionem, esse præteritam. — Alias quoque multas rationes satis idoneas introducit Nicolaus de Lyra super Danielem, atque in quadam quæstione contra errorem prædictum.

Enimvero elucescit patenter ex his, quam cæco seducantur Judæi errore, opinantes se in adventu Messiæ, temporali potestate et regno sublimandos, totique orbi principaturos, quum ex præinducta prophetia lucidissime patet, quod in adventu Christi, propter incredulitatem atque malitiam suam, excæcandi, dispergendi, et usque in finem dissipandi consisterent. Quod ex aliis quoque Prophetis posse probari, cito (Deo præstante) clarebit.

ARTICULUS IV.

Prosecutio declarans Christum venisse, ex vaticinio Danielis, et improbatio Judæorum dicentium quod Messias eorum venturus destruet Romanorum imperium.

Theologus. — Apud Danielem scriptum
Dan. II, 31-33. est quemadmodum Nabuchodonosor vidit statuam quadriformem magnam atque terribilem, cujus caput aureum fuit, pectus et brachia de argento, venter et femora ærea, tibiæ porro ferreæ erant. Per hanc statuam designata sunt quatuor principalia mundi regna sibi succedentia, sicut
Ibid. 36-40. Propheta exponit. Nam per statuæ aureum caput, designatum est regnum Chaldæorum; per pectus et brachia argentea, regnum Persarum, quod sibi regnum Chaldæorum subjecit; per ventrem et femora ærea, regnum Græcorum; per tibias ferreas, Romanorum imperium, quia cuncta regna domavit, instar ferri omnia metalla domantis.

Ibid. 34. Sequitur autem in textu : *Abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et comminuit eos.* Per lapidem istum, omnes etiam ipsi Hebræi Christum intelligunt. Quum ergo cernamus huic (quem Christum fatemur) Domino Jesu Nazareno subditum esse Romanum imperium, quod in exordio nascentis Ecclesiæ tamdiu rebellavit eidem, innotescit in Domino Jesu prophetiam hanc esse impletam, et per consequens ipsum verum exsistere Christum. Siquidem *lapis* iste *qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Quemadmodum Dan. II, 35.
etiam Isaias decantat : A finibus terræ audivimus laudes, gloriam Justi, id est Christi. In omnes enim mundi plagas diffusa est fides christiana, resonantque ubique laudes divinæ. Is. XXIV, 16.

Philosophus. — Quid ad ista respondent Judæi ?

Theologus. — Exspectant istud implendum in Messia quem exspectant; dicuntque nondum esse impletum, quia Romanum imperium necdum exstat destructum.

Philosophus. — Quomodo improbas eos ?

Theologus. — Ex præostensis patescit destructionem seu comminutionem Romani imperii a Christo, non debere corporaliter accipi, sed quoad spirituale imperium conversionemque moralem, immutationem videlicet legis ac fidei, et obedientiam sanctam. Ostensum est enim, in adventu Messiæ auferendum a Judæis sceptrum atque civilem ducatum, et legem Mosaicam in legem christianam transferendam, ipsos quoque Judæos obstinandos et dispergendos : et hæc omnia postea clarius comprobabo.

Nihilo minus ex eisdem Danielis sacrosanctis eloquiis id ipsum evidenter ostendam. Nempe quemadmodum prædicta regna jam præallegato descripsit loco, sic quoque hæc ipsa septimo describens capitulo, aliqua addit de Antichristo et die novissimo. Itaque, postquam tria regna descripsit, de Romano imperio eadem dicit quæ modo sunt dicta, sub aliis verbis. Sic equidem ait :

Post hæc adspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta, id est Romanum Dan. VII, 7.
imperium, ut Judæi quoque fatentur, *terribilis atque mirabilis, et fortis nimis,*

dentes ferreos habebat, comedens atque comminuens. Et post, in eodem loco, sanctus Daniel se ab angelo testatur edoctum
Dan. VII, 23, 24. sic sibi dicente : *Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, majus omnibus regnis, et devorabit universam terram.* Porro decem ipsius cornua, decem reges ejus erunt (in quos Romanum imperium dividetur, secundum præostensa in libro præcedenti). Et alius consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit, scilicet de illis decem regibus præ ceteris potentiores. Hæc autem in libro præcedenti, de Antichristo exposui, et quod ipse, diviso Romano imperio, discessione videlicet facta, primo sibi subjiciet tres reges de illis decem : quos communiter dicunt doctores, regem Africæ, Æthiopiæ, et Ægypti. Sed an hoc bene disserui, an potius de Christo ista intelligi debeant, consequentia verba Pro-
Ibid. 25. phetæ explanant, dum dicitur : *Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges.*

Philosophus. — Quid concludis ex his ? Palam est enim non de Christo, sed de Antichristo, hæc esse sumenda, ut plenius docuisti.

Theologus. — Constat ex his, quod post Romani destructionem imperii, regnum unum potentissimum erit : quod utique non bonum nec pium, sed impium et crudelissimum erit, quippe cujus rex, id est Antichristus, Deum blasphemabit, ejusque conteret sanctos.

Philosophus. — Hoc clare consequitur.

Theologus. — Sed Judæi affirmant Romanum imperium a suo Messia esse destruendum, nec ejus imperium unquam deinceps terminandum neque vincendum. Hujus autem oppositum Propheta aperte prædixit, asserens post Romanum imperium venturum esse Antichristi dominium, Christo prorsus contrarium. Ideoque oportet veri Christi seu regis Messiæ imperium, Antichristi præcessisse dominium, ipsumque cum Romano imperio sibi A subjecto subsistere, ac postmodum dispertito Romano dominio in decem cornua, Antichristum venire. Si enim Christus venturus est post destructionem Romani imperii, et illius adventum potentissimi regis prædicta cornua, id est reges, sibi subdentis, nequaquam verum erit dictum Judæorum, quod Messias adveniens Romanum regnum corporaliter conteret.

Philosophus. — Non cerno quid pro eis respondeam, nam ex omni parte eos concludis.

B Theologus. — In præinductis vaticiniis Danielem populi sui et regni destructionem prophetasse, Josephus demum doctissimus Judæorum historiographus innuit. Quum enim dixisset propheta Daniel, *In* Dan. II, 44.
diebus illis, scilicet vigente Romano imperio, *suscitabit Deus regnum cœli,* id est militantis Ecclesiæ angelicam vitam in terra ducentis, qualis utique est verorum vita Christianorum, maxime perfectorum, in carne sine carne viventium, *quod comminuet universa regna hæc, et ipsum* C *stabit in æternum ;* super hoc Josephus dixit : Significavit etiam Daniel regi Nabuchodonosor de lapide, id est Christo, quod mihi non placuit indicare, videlicet destructionem Judaici regni tempore Christi.

ARTICULUS V.

Demonstratio quod Christus jam venit, ex prophetia Aggæi.

D Theologus. — Quum post reditum Hebræorum de Babylonica captivitate reædificaretur templum Domini in Jerusalem, prophetavit Aggæus propheta, et dixit :
Hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc Agg. II, 7, 8, 10.
unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes ; et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus.

PHILOSOPHUS. — Quid probas per hæc ? A

THEOLOGUS. — In præinducto Prophetæ vaticinio, tria tanguntur ex quibus Christum venisse ostenditur. Primum est quum ait : *Adhuc unum modicum,* id est breve tempus, *est;* et addit : *et veniet Desideratus cunctis gentibus;* per quem Desideratum universi Christum intelligunt. De
Gen. XXII, 18. quo ad Abraham loquens Deus : In semine (inquit) tuo benedicentur omnes gentes
Ibid. XLIX, 10. terræ. De quo Jacob : Ipse (ait) erit exspectatio gentium. Quum ergo Aggæus suis temporibus prophetaverit, Christum post unum modicum esse venturum, constat eum jamdudum venisse : alioqui tempus illud quo Propheta ista prædixit, usque ad præsens, non utique modicum dici posset, sed multum longumque.

PHILOSOPHUS. — Respondere possent Judæi, quod tempus quod in se valde est longum, Deo atque æternitati comparatum, sit modicum, et sic loquatur Propheta.

THEOLOGUS. — Hoc quoque respondent, præsertim quum de Deo testentur Scriptu-
Ps. LXXXIX, 4. ræ : Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit.

PHILOSOPHUS. — Quid objicis eis ?

THEOLOGUS. — Promissio consolatoria de Christo prædicta, populo facta est quoad tempus futurum. Itaque, quamvis mille multique anni per comparationem ad æternitatem sint pauci, simpliciter tamen dici unum modicum nequeunt, præsertim dum in eis exspectatur res vehementer desiderabilis ac necessaria : imo tunc modicum tempus longum videtur, potissime quoad eos qui promissum exspectant. Adventus autem Messiæ regis a veteribus sanctis vehementissime desiderabatur. Si ergo Propheta prævidisset Christi adventum usque ad præsens vel longius differendum, non utique jam simpliciter dixisset : Adhuc unum modicum.

PHILOSOPHUS. — Quantum temporis fluxit a promissione ista prophetica usque ad primum Christi adventum ? et item, quantum a primo Christi adventu usque ad præsens ?

THEOLOGUS. — Ab illa promissione usque ad Christum quadringenti anni fluxerunt. Nunc vero circiter anni 1436* elapsi sunt post ejus nativitatem. * Cf. tom. I, p. L, lin. 8.

PHILOSOPHUS. — Consentio tibi.

THEOLOGUS. — Secundum, quod in prophetia ista tangitur, et quo Christum venisse ostenditur, est quod ait : *Veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* In hoc ergo quod primo asserit Christum venturum, et consequenter domum illam gloria adimplen- B dam, clarissime innuit domum illam glorificandam præsentia Christi. Christus igitur domo illa nondum destructa advenit. Nunc autem domus illa destructa est a Tito atque Romanorum exercitu, plus quam per mille trecentos triginta* annos. Ergo Messias jam venit. * sexaginta

Tertium insuper quo idem probatur, est quod subjungit Propheta : *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ.* Palam est autem quod Aggæus de domo seu templo tempore suo ædificato C locutus sit, quoniam ad illius constructionem Judæos de Babylone reversos induxit. Hæc autem excellentia domus secundæ ultra gloriam primi templi a Salomone constructi, in nullo alio consistere potuit neque fuit, nisi per hoc quod ipse Christus sua præsentia eam illustrare dignatus est, dum a Matre in ea oblatus est, et Luc. II, 22.
duodecim habens annos, in templo inventus est in medio doctorum, sæpeque demum in eo prædicavit et docuit. Ibid. 42, 46. Matth. XXVI, 55.

PHILOSOPHUS. — Unde declaras quod non D in aliis major exstiterit gloria domus secundæ quam primæ ?

THEOLOGUS. — Hoc Esdras Judæorum princeps, propheta et scriba, fatetur, dicens quod ædificata domo secunda, seniores qui viderant domum primam uberrime I Esdr. III, 12, 13.
flebant, eo quod nullius esset reputationis comparatione templi prioris, aliis nihilo minus junioribus vehementer gaudentibus de reparatione templi ; nec poterat quisquam discernere inter voces lugentium et voces lætantium. Denique status

populi sub templo secundo, nullius quasi erat momenti respectu status sub Salomone.

Quidam tamen Judæi respondere ad ista feruntur, quod domus secunda diutius stetit quam prima, et sic ejus gloria amplior fuit. Sed dato quod domus secunda magis duraverit, secunda tamen duratio amplior, modica fuit, quemadmodum ex libris Regum aliisque Scripturis faciliter valet deduci. Præterea, concesso quod multa fuisset, non tamen ob hoc sequeretur simpliciter verum esse quod major fuisset gloria domus secundæ, quam primæ. Si namque durationis excessus tantam excellentiam faceret, tunc phœnix homine multo nobilior esset, quippe quæ quingentis annis vivere perhibetur. Imo lapis et ferrum, humana natura excellentiora consisterent. Denique in eadem specie loquendo, homo longioris vitæ, licet injustus, homine brevis vitæ et justo major et excellentior foret. Adhuc autem, multa notabilia quæ in templo primo exstiterant, defuerunt secundo : ut arca fœderis, divina responsa, ignis continuus in altari, unctio regum, atque Doctrina et Veritas : de quibus apud Judæos plenius scribitur. Quorum dignitatem et gloriam, durationis excessus recompensare non posset. Ideoque secundi templi gloria nullo modo excellentiæ primi templi posset præferri, nisi per hoc quod Christus sua præsentia, doctrina et operatione, clarificavit templum secundum.

Insuper templum secundum frequenter contemptibiliter conculcabatur : ut tempore Nabuchodonosor; per Antiochum regem, in templo Dei, Jovis statuam collocantem; postmodum per Pompeium ducem Romanorum; demum quoque per Herodem Ascalonitam; et tandem a Tito prorsus dirutum est. Quomodo ergo gloria ejus primi templi gloriam vicit? nisi quia Christus in eo vere apparuit, quemadmodum a Malachia dictum est : Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam ; et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.

(*I Mach.* I, 57. — *Malach.* III, 1.)

PHILOSOPHUS. — In verbis Prophetæ præallegatis, unum mihi dubium oritur, qualiter scilicet in Christi adventu Deus commoverit cœlum et terram. Cœlum enim indesinentem atque perpetuum motum sortitur. Terra vero, quum sit centrum universi, immobilis conquiescit.

THEOLOGUS. — Nato Domino nostro Jesu Christo, stella ceteris clarior in superioribus fulsit, et ad adorandum infantulum Jesum reges perduxit. Eodem quoque nato, apparuit angelus Dei pastoribus, factaque est cum eo multitudo cœlestis exercitus Deum laudantis : et sic cœli, id est spiritus angelici habitantes in cœlo, commoti sunt operatione, admiratione et loco. Insuper tunc terra, id est, incolæ ejus commoti sunt. Tunc nempe edictum ab imperatore Romano exivit ut describeretur universus orbis; et ibant singuli ad loca sua natalia, Romanis se subditos profitentes. Circa eadem quoque tempora factus est in Judæa tam vehemens terræ motus, teste Josepho primo libro de Bello Judaico, quod circumjacentes provinciæ arbitrabantur nullum in terra illa vivum relictum. Alia etiam multa similia inveniuntur de ista commotione descripta, quæ desero.

(*Matth.* II, 1, 2. — *Luc.* II, 9, 13, 14. — *Ibid.* I, 3.)

ARTICULUS VI.

Demonstratio quod Christus jam venit, ex testimonio Amos prophetæ.

THEOLOGUS. — Denique Amos propheta : *Super tribus* (inquit) *sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum : pro eo quod vendiderit pro argento justum.* (*Amos* II, 6.)

PHILOSOPHUS. — Hanc mihi prophetiam declara.

THEOLOGUS. — Verbum istud propheticum eruditissimus ille Rabbi Samuel, in epistola sua quam in Arabico fertur scripsisse, clarius allegat, et ait : Super tribus sceleribus Israel convertam vel transferam, et super quartum non transferam

eos. Sensus igitur est, quod Deus glorio- A
sus et æternus, tribus peccatis Israelis, licet gravissimis, propitiatus sit, eosque converterit; sed super quartum facinus, propter enormitatis suæ excessum, non propitietur eis, sed usque in finem eos desolatos relinquat.

Philosophus. — Quæ sunt ista peccata? et propter quod eorum ait Propheta eos non esse convertendos?

Theologus. — Horum peccatorum tria, esse venditionem Joseph a fratribus suis, idololatriam, et occisionem Prophetarum, B
Judæi quoque concedunt. Sed quum his tribus eorum peccatis Deus misertus sit, eosque in terram promissionis post ipsa reduxerit, ut plenius pandam, restat ut quartum peccatum assignent pro quo in tantam desolationem prostratos se cernunt. Nam si hoc tribus illis non esset enormius, nequaquam Deus justus et sanctus propter ipsum eos tam diu tamque miserabiliter reliquisset. Porro, quum Propheta hoc peccatum dicat venditionem justi pro argento, fatemur hoc quartum C
peccatum, quod vendiderunt Jesum justum, eumque emerunt et occiderunt. Siquidem ab eo tempore nunc usque, sine conversione et reductione, in pœnam tanti piaculi sunt dispersi.

Si vero asserunt non de Christo vendito, sed de Joseph, quartum debere peccatum intelligi, compellantur alia tria facinora ante Joseph venditionem ostendere, quia Propheta hoc peccatum, scilicet justi venditionem, quartum appellat. Hoc autem facere nequeunt, quum certissimum sit D
idololatriam seu adorationem vituli aurei, Prophetarum quoque interitum, post Joseph venditionem peracta. Oportet ergo de Christi venditione accipi ista. Præterea, Joseph venditio non erat pejor idololatria Prophetarumque nece. Sed propter peccatum quartum dicit eos Propheta finaliter deserendos. Hoc ergo peccatum ceteris omnibus gravius est, etiam incomparabiliter : quod esse non potest nisi de Christi venditione et morte.

ARTICULUS VII.

Explanatio quod rex Messias jam venit, ex vaticinio Osee.

Theologus. — Osee propheta, qui in libro suarum visionum, Judæorum excæcationem tempore Christi denuntiat, gentiumque illuminationem verbis et factis prædicit, deinde hanc finalem Judæorum captivitatem clare prophetans : *Dies,* inquit, *multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod,* id est veste sacerdotali, *et sine theraphim,* id est imaginibus in quibus dæmones dare responsa solebant, ut quidam exponunt. Hæc autem omnia cernimus modo impleta. Non enim habent regem aut principem proprium, sed alienis subduntur. Sunt demum sine sacrificio et sine altari, quoniam extra Jerusalem nec habere possunt altare nec sacrificare. (*Osee* III, 4.)

Insuper, de finali eorum conversione ad Christum, detecta videlicet Antichristi perfidia per Eliam et Enoch, vaticinans sacer Propheta : *Post hæc,* ait, *revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum,* id est, ad verum Messiam, Christum regem Dominum Jesum, convertentur. Quod enim per David in hoc loco intelligitur Messias, ex translatione Chaldaica apud Hebræos authentica constat. Quæ habet : Post hæc revertentur filii Israel, et quærent cultum Dei sui, et obedient Messiæ, filio David regi suo. Addit quoque continuo vates Osee : *Et pavebunt ad Dominum et ad bonum ejus, in novissimo dierum,* id est, reverenter deservient Deo, ejus beneficia recolendo. (*Ibid.* 5.)

Philosophus. — Quomodo exponunt ista Hebræi?

Theologus. — Referunt hæc ad Christum quem opinantur venturum, putantes se modo Christum fideliter præstolari nasciturum, nec debere credere natum.

Philosophus. — Unde hoc destruis eosque confundis?

Theologus. — Si modo filii Israel non A essent per incredulitatem aversi a Deo ejusque Christo, nequaquam dixisset Propheta : Post hæc, scilicet post longam hanc captivitatem, revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David, id est Christum regem suum. Quomodo enim post revertentur ad Deum, si interim, durantibus scilicet longævæ captivitatis istius diebus, non essent recedentes atque aversi ab eo? Nam ad ea revertimur a quibus recessimus. Præterea, ea quæ quærimus, in prospectu non B habemus, sed quæ non videmus, aut certe amisimus; quæ autem præsentia, si amabilia sunt, non utique quærimus, sed magis amplectimur. Quum ergo dicat Propheta, Quærent David, id est Messiam regem suum, elucescit quod verum Messiam durante captivitate amiserunt, eumque postea quærent : non tamen præsentem in terris conspicient, sed fide et opere eum requirent. Unde patere opinor, quod is quem primo pro Christo recipient, quem nos Antichristum vocamus, non utique erit C verus Messias : quippe quem non tam quærent, quam amplectentur et cernent.

At vero sancti qui ante Christi adventum fuerunt, non minus crediderunt in Christum, quamvis venturum, quam Christiani nunc in Christum natum credentes. Quum ergo Judæi jam Christum exspectant venturum, si Christus nondum est natus, sed (ut ipsi credunt) nascetur; tunc ipsi modo non minus credunt in Christum, quam crediderunt Patriarchæ itemque Prophetæ. Quod si ita est, D quomodo ait Propheta, Post hæc, scilicet dies multos desolationis, revertentur ad Dominum filii Israel, et quærent Christum regem suum? Imo, si Christus necdum advenit, tunc ipsi sunt modo non solum fideliter, sed etiam valde constanter conversi ad Dominum, et quærent jam veraciter Christum quem postmodum amplectentur et cernent præsentem. Sed quum hæc Prophetæ verbis non consonant, palam est Christum venisse, Judæos incredulos captivosque esse, et in fine mundi convertendos exsistere.

Philosophus. — Ut perpendo, verba Prophetarum Christiani profunde, sollicite et diligenter nimis adspiciunt : sed et mihi allatæ rationes plurimum placent.

ARTICULUS VIII.

De obstinatione et excæcatione Judæorum in primo Christi adventu, ex Isaiæ eloquiis: in quo Judæorum error aperte destruitur.

Theologus. — Eorum autem qui post Domini nostri Jesu Christi promulgatam fidem increduli permanserunt Judæorum, hæc una sententia, potius vero unus error exsistit, quod in adventu Messiæ omnes ipsi eum suscipient eique credent. Si ergo comprobare valemus testimonio Vatum sanctorum, quod in adventu Messiæ Judæi excæcandi obstinandique erant, tunc hic error eorum plene destruitur.

Philosophus. — Utique.

Theologus. — Beatissimus Isaias propheta de adventu Messiæ, de missione Christi diffusioneque fidei christianæ, pulcherrime vaticinatus est : *Ecce* (inquiens) *servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* (*Is.* XLII, 1.) Istud totum cum sequentibus in illo capitulo, secundum doctores Hebræos atque Latinos, de rege Messia accipitur. Nam et ipse formam servi accepit, ac per hanc servus Dei est dictus, qui in propria forma Patri exstat æqualis. (*Philipp.* II, 7. *Ibid.* 6.)

Itaque, in hoc ipso loco de gentilium illuminatione fari exorsus Propheta, in Dei loquens persona : *Et ducam*, ait, *cæcos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt, ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta.* (*Is.* XLII, 16.) De eis quippe et Christo paulo ante dixit Propheta : *Legem ejus*, id est Christi, *insulæ exspectabunt.* (*Ibid.* 4.)

Quod nunc ad oculum intuemur impletum A in Cypro, Sicilia, Anglia, atque similibus locis.

Sed quoniam Christus plebi Judæorum specialiter erat promissus et missus (Sal- *Matth.* xv, 24. vatore dicente, Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel), videns Propheta Judæos in Christi humili excæcandos adventu, postquam de Christi missione et beneficiis Dei locutus est, quum cognovisset in spiritu cæcitatem prædictam futuram, de Judæorum incredulitate ac obstinatione prophetans, ait in perso- B *Is.* XLII, 16, 17. na Dei altissimi : *Hæc verba*, id est prædicta bona, *feci eis*, id est specialiter Judæis, *et non dereliqui eos ; conversi sunt retrorsum*. Et quod hæc de Judæis sumen- *Ibid.* 19. da sint, testatur Propheta dum addit : *Quis cæcus, nisi servus meus*, id est populus Israel ? *et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi ?* Populus namque Judaicus ad Dei obsequium singulariter erat electus, et ad eum Prophetæ specialiter sunt missi. Sequitur : *Quis cæcus, nisi qui venundatus est?* id est populus Judaicus in C afflictione Titi et Romanorum sic vastatus et venditus, ut quemadmodum Judæi *Matth.* XXVI, 15. vendiderunt vel emerunt Christum pro triginta argenteis, sic pro uno nummo triginta venderentur Judæi. Sequitur : *Quis* *Is.* XLII, 20. *cæcus, nisi servus Domini ? Qui vides multa, nonne custodies ? Qui apertas habes aures, nonne audies ?* Alloquitur Propheta Judæos : qui multa videre dicuntur, quoniam scientia Prophetarum et legis specialiter erant imbuti ; et ob eamdem insuper causam apertas habere aures D scribuntur, quia legem et Vates ubertim audierunt. Sed quoniam Christum quem venturum credebant, præsentem non noverant, et quem auribus corporis audierunt, aure mentis non intellexerunt ; ideo per hanc interrogationem, sanctus Propheta inexcusabilem peccati eorum ac cæcitatis excessum insinuat.

Ibid. 21, 22. Sequitur in Propheta : *Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem et extolleret ; ipse autem populus direptus et vastatus*. Deus enim sublimis et vivens ac felix, ideo Christum misit Judæis, ut sanctificaret eos, vel eum, id est populum illum, et magnificaret legem : quia Christus non venit solvere legem, *Matth.* v, 17. sed implere atque perficere, imo in perfectiorem legem transferre. Nova etenim lex veteri non derogat, sed eam commendat et perficit, et quod ibi signatum erat adimplet : nam et veterem legem Christiani in magna utique reverentia habent. Sed ipsi Judæi propter incredulitatem, sunt populus vastatus, itemque direptus, quia ut cernimus, in extremam desolationem est modo dejectus. Ideoque addidit Propheta : *Laqueus juvenum*, id *Is.* XLII, 22. est Romanorum militum, *omnes ; et in domibus carcerum absconditi sunt. Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat ; in direptionem, nec est qui dicat, Redde*. Nam ut Amos propheta disseruit, non *Amos* II, 6. transferentur propter quartum scelus.

Porro videns Propheta in spiritu, quod Judæi, neque percussi, ex ipsa sua pœna propriam culpam perpenderent, adjecit et ait : *Quis est in vobis qui audiat hoc, at-* *Is.* XLII, 23-25. *tendat et auscultet futura? Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus eum ? nonne Dominus ipse* est *cui peccaverunt ? Et noluerunt in viis ejus ambulare*. Cujus peccati pœnam pandens : Ipse, ait, *combussit eum in circuitu, et non cognovit ; et succendit eum, et non intellexit :* quia Romani, qui erant virga iræ divinæ, combusserunt Jerusalem et urbes circumjacentes ; sed populus Hebræus non intellexit hoc in ultionem fieri sanguinis Christi, imo in infidelitate permansit : propter quod nunc usque captivus opprimitur, nec ante finem sæculi convertetur. Hæc autem de captivitate Babylonica vera non sunt, quia in illa intellexerunt culpam suam pœnæque causam, unde et pœnituerunt : propter quod post annos septuaginta redempti sunt. Nunc vero prorsus relicti sunt, Deo atque hominibus contemptibiles facti, eo quod causam captivitatis istius, id est propriam

culpam, occisionem videlicet Christi, cognoscere faterique abnuant.

PHILOSOPHUS. — Quantum concipere queo, Judæorum mihi excæcationem evidenter probasti. De prophetia tamen vocationis gentilium clarius edoceri desidero.

THEOLOGUS. — Hoc protinus faciam. Sed quoniam Judæi concedunt nobiscum quod in adventu Messiæ multi gentilium convertendi sint, ideo magis concupio de Judæorum obstinatione quam de gentium illuminatione prophetias inducere. Enimvero de vocatione gentilium ad Christi fi- *Is.* IX, 2. dem sic Isaias decantat : Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Item apud eumdem de Christo dicitur : *Ibid.* XLIX, 6. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Rursus- *Ibid.* LV, 4, 5. que : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus ; ecce gentem quam nesciebas (o Christe et Deus) vocabis (utique ad fidem), et gentes quæ non cognoverunt te, ad te current. Et alia multa.

PHILOSOPHUS. — Jam de Judæorum obduratione vaticinia profer.

THEOLOGUS. — De regis Messiæ horribili atque turpissima morte vaticinaturus sacratissimus Isaias, simulque spiritu cernens Judæos pro majori parte non esse credituros taliter passum exsistere Christum, imo, quod multi eorum prophetias illas de Christo esse prædictas non crede- *Ibid.* LIII, 1. rent, sciscitatur, et ait : Domine, *quis credidit auditui nostro,* id est mysterio de Christi passione et morte, quod nos prophetæ, a Spiritu Sancto tuo audivimus ? *Et brachium Domini,* id est Christus, qui *I Cor.* I, 24. est Filius Patris, virtus et sapientia ejus, *cui revelatum est ?* tanquam insinuans quod pauci de Judæis illuminarentur et crederent in primo ac humili Christi adventu.

Is. VI, 9, 10; *Act.* XXVIII, 26, 27. Denique per Isaiam Deus testatur : *Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis, et non intelligetis ; et videntes videbitis, et non perspicietis. Incrassa-* A *tum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.*

Insuper, de gentium vocatione ac Judæorum induratione, per os Isaiæ Deus benedictus et verus taliter ait : *Quæsierunt* *Is.* LXV, 1. *me qui ante non interrogabant* me, *invenerunt* me *qui* ante *non quæsierunt me.* Hoc de gentibus dictum constat, qui ante Christi adventum, veri Dei expertes, in fi- B de et vita per Apostolorum doctrinam ad Deum vivum et sanctum et Christum ejus, devotissime sunt conversi. Demum eodem capitulo, de Judæis sic loquitur : *Expan-* *Ibid.* 2. *di manus meas tota die,* id est a tempore veteris legis usque in præsens, videlicet Christi præsentiam, *ad populum incredulum,* id est Judaicum : ad quem primo Prophetæ sunt missi, postmodum Christus ; sed ipsi et Prophetas occiderunt, et Dominum Prophetarum.

Præterea, capitulo sexagesimo tertio C (quod de Christi ascensione apertissime loquitur, neque de aliquo tam aperte sicut de Christo ascendente exponitur), quum a Christo ascendente angeli sancti admirando quæsissent, *Quis est iste qui venit* *Ibid.* LXIII, 1-4. *de Edom,* id est de mundo, *tinctis vestibus de Bosra ?* Christus respondit : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Et angeli : *Quare ergo,* inquiunt, *rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ?* Et Christus : *Torcular,* ait, *cal-* D *cavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Et sequitur : *Calcavi eos,* scilicet occisores meos, *in furore meo, et conculcavi eos in ira mea : dies enim ultionis in corde meo.* En nunc ad oculum cernimus, quod ex quo Judæi Jesum Nazarenum crucifixerunt, calcati conculcatique sunt : imo et Christiani dominantur multis eorum.

Ex his innotescit, quod quidam inaniter dicit capitulum istud aptius posse exponi de adventu Christi ad finale judicium,

quam de ascensione ipsius. Rationes quoque quas pro se inducit, faciliter satis solvi possunt. Sed pro præsenti ista omitto, quoniam principale intentum non tangunt.

Amplius, etiam error infelicissimi infelicium Judæorum magistri Rabbi Salomonis, ex istis elicitur. Allegatum namque capitulum exponit de Messia quem exspectant venturum, dicens Christum in suo primo adventu multos occisurum, imperiumque Romanum victurum. Sed huic obviat quod postea dicitur : Torcular calcavi solus; idque præsertim quod post
Is. LXIII, 5. pauca subjungitur : *Circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret.* Nam secundum erroris sui opinionem, Messias venturus innumerabiles habebit adjutores, fautores, itemque ministros. Ideo sibi tam potenter regnanti, non competit quod dicitur : Circumspexi, et non erat auxiliator, etc. Sed Christo patienti ea conveniunt, qui in Psalmo idem
Ps. LXVIII, 21. testatur : Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Plura quoque sunt quæ ad hoc possent induci.

Denique Rabbi Samuel in sua epistola auctoritatem istam propheticam eleganter inducit. Tandemque veritate compulsus et victus, eum cui scribit ita affatur : Utinam, domine mi, quando interfecimus eum (id est Jesum Christum), delevissemus etiam auctoritatem prædictam, ut nunquam legeretur ab aliquo.

ARTICULUS IX.

De cæcitate, reprobatione ac dispersione Judæorum, ex prophetiis divini David.

I Reg. XIII, 14; *Act* XIII, 22. THEOLOGUS. — Enimvero, homo secundum cor Dei, eximius vatum sanctus David, qui in multis Christi figura fuit, de mysteriis Christi, de reparatione humanæ salutis, de incarnatione, passione, resurrectione, ascensione, Sancti Spiritus missione, adventuque Christi ad finale judicium, atque de dispersione et incredulitate Judæorum, subtilius, plenius evidentiusque vaticinatus est.

Nempe in psalmo sexagesimo octavo, qui manifeste de Christo loquitur, quum dixisset Propheta in Christi persona, *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (quod etiam ad litteram in Christi passione impletum agnoscimus); protinus pœnam consequentem tantam Judæorum in Christum crudelitatem et culpam insinuans : *Fiat*, inquit, *mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum ; obscurentur oculi eorum ne videant.* Quid enim tam internæ lucis omnisque veritatis alienum, quemadmodum corda eorum? qui quum tanto tempore se a Deo cernant contemptos, neque aliquod habere argumentum ex quo queant confidere se Deo placere (quoniam post Jesum Christum ejusque Apostolos, nullus eis Propheta missus est, nulla a quoquam eorum miracula facta sunt, nullus consolator advenit), intelligere tamen nec valent nec volunt, propter incredulitatem et obstinationem suam se a Deo relictos. *Ps.* LXVIII, 22. *Ibid.* 23. *Ibid.* 24.

Sequitur : *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.* Hoc modo impletum conspicimus. Jam enim sunt mille trecenti et amplius anni, ex quo in ira hac, potius vero in isto Dei furore, fuerunt. Sequitur : *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet,* scilicet de ipsorum progenie. Hoc a destructione Titi usque in præsens impletum intuemur. *Ibid.* 25. *Ibid.* 26.

Cujus pœnæ tam gravis causam insinuat : *Quoniam* (inquiens) *quem tu,* o Deus, *percussisti,* id est percuti permisisti, *persecuti sunt,* scilicet me Filium tuum eis missum ; *et super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* quid itaque, nisi blasphemias, subsannationes et irrisiones? Et quia ita fecerunt, ideo, o Deus, *appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Nam usque hodie Judæi quotidie crucifigunt affectu et lingua Dominum nostrum Je- *Ibid.* 27. *Ibid.* 28.

sum Christum. Maledicunt enim atque blasphemant in synagogis suis quotidie nomen Jesu Nazareni, orantes indesinenter pro destructione Romani imperii et Ro-
Ps. CVIII, 7. manæ Ecclesiæ. Sed oratio eorum fit eis
Ps. LXVIII, 29. in peccatum. Ideo adjecit Propheta : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.*

Præterea, de destructione ac dispersione atque perfidia Judæorum, in alio psal-
Ps. LVIII, 12-14. mo idem ait Propheta : *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus Domine. Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, et comprehendantur in superbia sua. Et de exsecratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira consummationis, et non erunt.* Hæc omnia jam clare patescunt. Dispersi sunt atque depositi, nec patriam habentes, nec principem : et hoc quare ? nisi propter delictum oris ipso-
* exsecrationem rum, propter excæcationem* qua Christum abominati sunt, et mendacia quæ ei
Luc. XXIII, 2. imposuerunt. Dixerunt enim : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari ; et ite-
Joann. XIX, 15. rum, Tolle, tolle, crucifige eum ; item,
Ibidem. Non habemus regem nisi Cæsarem ; et de-
Matth. XXVII, 42 ; *Luc.* XXIII, 35. nuo, Si rex Israel est, vel, Si hic est Christus Dei electus, descendat de cruce. Propterea manent in ira consummationis extremæ. — Sunt autem et alia plurima in libro Psalmorum de istis conscripta.

PHILOSOPHUS. — Quum hæc tam aperte Judæos convincant, mirari nequaquam sufficio, quod doctores eorum ista non pensent.

THEOLOGUS. — Non advertisti quod dixit
Ps. LXVIII, 24. Propheta, Obscurentur oculi eorum ne vi-
Luc. XXIV, 44. deant ? Necesse est cuncta impleri quæ de Christo erant prædicta.

Denique ipsi præsertim moderni et posteriores Judæi, ista alio modo exponunt. Sed ex ipso textu convincuntur errare, et etiam per antiquorum Hebræorum commenta doctorum, per translationem quoque Chaldaicam, et aliis viis. Sed et experientia ipsa effectusque eorum eos errare os-

A tendit. Sed et quidam in expositione psalmi nunc allegati, sicut et in pluribus aliis locis propheticis, valde litterales et superficiales exsistunt : quippe qui psalmum istum prædictum ad litteram exponunt de David, nullam de Christo et mysteriis ejus mentionem efficientes.

Licet autem psalmus iste de David aliquo modo possit exponi, hoc tamen valde improprie fit. Nam quod in eo dicitur, Quia ecce ceperunt animam meam, ad *Ps.* LVIII, 4.
litteram de David verum non* est, nisi
B improprie exponatur, ut dicatur, Ceperunt, id est, capere studuerunt. Servi enim Saul, de quibus ista exponunt, non utique ceperunt David : imo ipse evasit adjutorio *I Reg.* XIX, 11-18.
conjugis suæ Michol. Porro, quod sequitur, Neque iniquitas mea, neque peccatum *Ps.* LVIII, 5.
meum, Domine : quamvis ipsi David aliquo modo conveniat respectu persecutionis illius a Saul, quam peccato in Saul commisso non meruit ; id tamen quod sequitur, Sine iniquitate cucurri et direxi, non *Ibidem.*
David, sed Christo per David significato,
C convenire opinor : David namque frequenter peccavit. Alia demum quæ sequuntur, sancto David et servis Saul impropriissime applicantur, ut illud : Convertentur ad *Ibid.* 15.
vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem. Illa nempe obsessio David a famulis Saul tam longa non exstitit, ut ipsi famem ex victualium paterentur defectu. De istis transeo, quia hic eis immorari non curo.

PHILOSOPHUS. — Unde probares hæc de Christo principaliter debere intelligi ?

D THEOLOGUS. — Plurimos psalmos de se ipso David fecisse videtur, quia occasionem atque exordium eos faciendi ex his quæ sibi contingebant assumpsit. Sed quum esset vir spiritu plenus prophetico, mysteriorum Christi præ ceteris præscius, seque Christi figuram tenere optime noscens, in psalmos quos scripsit, semper ad Christum itemque Ecclesiam oculum cordis convertit, et quidquid sibi et Christo ac Christi Ecclesiæ potest competere, multo principalius de Christo atque Ec-

clesia cecinit, quam ea de se ipso compegit. Et hoc utique ex textu psalmi profunde pensato, ubertim elicitur. Aliter enim ipse Christi et Ecclesiæ mysteria præ aliis vatibus non plenius agnovisset, nec evidentius scripsisset.

ARTICULUS X.

De duplici Christi adventu.

Theologus. — Diligenter valde te cupio dicendis intendere.

Philosophus. — Quo me seriosius admones inconsuetiusque hortaris, eo studiosius advertam.

Theologus. — Una atque consimilis ratio invenitur fuisse errandi malignis occasio, in novo ac veteri Testamento.

Philosophus. — Quæ ?

Theologus. — Quemadmodum in nova lege, id est Evangelio Christi et libris annexis, reperiuntur quædam insignia, divina, imo altissima dicta de Christo (ut quod dixerat, Ego et Pater unum sumus ; et de Spiritu Sancto loquens, Ille, inquit, de meo accipiet ; quod mortuos suscitavit ; quod Spiritum Sanctum discipulis misit ; quod ei in deserto angeli ministrabant ; et alia plura) ; sic de eodem in libris eisdem multa humilia atque abjecta leguntur : ut quod natus ex muliere, quod factus sub lege, quod a facie Herodis fugit, quod a diabolo tentatus est, quod fatigatus, quod esuriit, quod irrisus, quod demum turpissima morte damnatus est. Sic in veteri quoque Testamento, præsertim in Prophetis, quædam sublimia et excellentissima, quædam etiam declivia et abjecta, de Christo prophetata itemque promissa leguntur.

Joann. x, 30. *Ibid.* xvi, 14. *Matth.* ix, 25 ; *Luc* vii, 14. 15 ; *Joan.* xi, 43, 44. *Joann.* xv, 26 *Matth.* iv. 11. *Galat.* iv, 4. *Matth.* ii, 13. 14. *Ibid.* iv, 1. *Joann* iv, 6. *Matth.* xxi, 18. *Ibid.* xxvii, 27-31 ; *Luc.* xxiii, 11. *Matth.* xxvii. 26 ; *Sap.* ii, 20.

Sicut itaque quidam solo nomine christiani, divina illa et alta de Christo conscripta pensantes, veram in eo fuisse humanam naturam negabant, ut Manichæus, qui innumerabiles habuit sectatores ; alii vero, abjecta et humilia scripta de Domino Jesu, rege Messia, altissimo Christo, insipienter attendentes, veram in eo fuisse deitatem non admiserunt, ut Arius, Eunomius, Photinus, Nestorius : sic inter Judæos nunc accidit. Quidam namque Judæorum, Prophetarum eloquia de Christi majestate et excellentia loquentium considerantes, putant Messiam in primo adventu suo in tanta potentia venturum et gloria, quod omnia eis mundi regna subjiciet. Alii autem eas Scripturas propheticas quæ de Christi paupertate et humilitate ac passione palam loquuntur adspicientes, ad fidem nostram conversi sunt.

Aliqui demum, propter excellentiam majestatis humilitatemque vitæ et passionis quas de Christo Prophetæ describunt, duos exspectant Messias : unum in abjectione venturum, passurum ac occidendum ; alium in majestate et gloria fore futurum, et primum (ut fertur) Messiam resuscitaturum, atque universum orbem Judæorum imperio subjecturum. Hæc autem positio omnino stulta et vana est, nec de Scriptura authentica auctoritatem sortitur, neque antiquis Judæorum doctoribus consonat. Sed et Scripturæ propheticæ, de Christi humilitate et passione, majestate quoque et gloria, in multis passibus sub uno omnino contextu loquuntur, quemadmodum in Isaia patet, ubi sic loquitur : Ecce intelliget servus meus (translatio autem Chaldaica apud Judæos authentica, continet : Ecce prosperabitur servus meus Messias), et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde. Et sequitur : Sicut obstupuerunt super te (supple : o rex Messia) multi, sic inglorius (id est despectus) erit inter viros adspectus ejus : ut in passione ejus factum agnoscimus.

Is. lii, 13. *Ibid.* 14.

Philosophus. — Quomodo de una persona seu vero Christo, tam distantia tamque diversa intelligi valent ?

Theologus. — Duæ sunt in Christo naturæ, et una hypostasis. Humilia ergo atque abjecta, propter formam servi assumptam, id est naturam humanam Verbo unitam, Christo conveniunt ; insignia vero item-

que dignissima, ratione naturæ divinæ, quam cum Patre et Spiritu Sancto unam indivisamque habet.

Denique, sicut Scripturæ duplicem in Christo testantur naturam, sic de duplici quoque ejus adventu loquuntur. Primus in humilitate et paupertate consistit, occultusque fuit. Quia namque primus Christi adventus est ut solvat et tollat piacula mundi, et ut omnia quæ de ejus passione prophetata sunt impleat, necesse est primum ejus adventum in humilitate et paupertate fuisse. Si enim Christus in majestate et gloria advenisset, quis eum unquam occidere præsumpsisset? Sed si ille non occideretur, mundus non redimeretur. Porro secundus Christi adventus de quo item Propheta loquitur, manifestus erit, quando videlicet eum majestate et potestate veniet judicare, qui in primo venit judicari.

Igitur, de primo Messiæ adventu Zacha-
Zach. IX, 9. rias : *Exsulta* (ait) *satis, filia Sion; ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator, pauper et ascendens super asinam.* Et in isto adventu describit Zacharias Christum
Ibid. XII, 10. confixum, *Adspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi*
Amos. II, 6. *super unigenitum ;* Amos, venditum ; Isa-
Is. LIII, 4, 2, 3. ias, tanquam leprosum et contemptum ;
Ps. XXI, 7. David, vermem atque opprobrium homi-
Jer. XVIII, 22. num ; Jeremias, captum ; Daniel autem,
Dan. IX, 26. occisum. Insuper, de secundo Christi adventu ac judiciaria ejus potestate, Daniel septimo capitulo clarissime loquitur. Denique in Psalmo de eo conscriptum est :
Ps. XCVI, 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* De isto per
Is. XLII, 14. Isaiam dictum est : *Tacui, semper silui, patiens fui,* scilicet in primo adventu, *sicut parturiens loquar,* in secundo adventu;
Ibid. LXIII, 4. itemque : *Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.* Sed quoniam de majestate Christi Judæi non dubitant, ideo de ea ista sufficiunt.

Philosophus. — Danielis Prophetiam audire desidero.

Dan. VII, 13, 14. Theologus. — Sic ergo Propheta ille inter cetera ait : *Adspiciebam in visione*
A *noctis, et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum,* id est Deum æternum, *pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum; et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Adhuc autem de hoc secundo Christi adventu sanctissimus Job : *Credo,* inquit, *quod Re-* Job XIX, 25, 26.
demptor meus vivit, et in novissimo die
B *de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.*

ARTICULUS XI.

Disputatio contra perversitatem Judæorum, et falsas atque extortas expositiones doctorum populi hujus, maxime modernorum, in Scripturis canonicis de Christi passione loquentibus.

C Theologus. — Sacratissimus Isaias, qui contestante nostro Hieronymo, non tam propheta quam evangelista dicendus est, de Christi passione tam evidentissime loquitur, ut revera potius instar evangelistæ videatur de re gesta historiam texere, quam de futuro velut propheta prædicere.

Philosophus. — Quid de mysteriis locutus atque affatus est?

Theologus. — De Christi acerbissima amarissimaque morte vaticinari orsus, inter alia : *Non est* (ait) *species ei, neque* Is. LIII, 2-5.
D *decor; et vidimus eum, et non erat adspectus; et desideravimus eum despectum et novissimum virorum; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Hæc multaque alia omni compunctione ac devotione plenissima, de morte regis Messiæ dixit Isaias : quæ tu ipse legere potes.

PHILOSOPHUS. — Concedunt Judæi de A Christo hæc dicta esse?

THEOLOGUS. — Quidam eorum moderni doctores, potius autem seductores, quorum secundum Nicolaum de Lyra, præcipuus Rabbi Salomon, maximus doctor eorum, totum istud capitulum de populo Judaico in præsenti captivitate longissima exsistenti exponunt, asserentes Prophetam de toto populo Judæorum nunc captorum velut de uno homine loqui : sicut et de
Ps. LXXX, 9, 10. eodem in Psalmo dicitur, Israel, si audieris me, non erit in te deus recens ; et rur- B
Exod. IV, 22. sus in Exodo, Filius meus primogenitus Israel.

Horum autem seductio, qua infelices sese in primis decipiunt, ex ipso textu palam convincitur. Nempe de isto salva-
Is. LIII, 7. tore et vulnerato Propheta addit : *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Hæc autem populo Judæorum non competunt, quoniam in hanc captivitatem invite et coacte venerunt, et invitissime quoque in ea manent, atque os suum aperientes, quotidie ab ea liberari optant et C orant.

Ibid. 8. Porro, quod sequitur, *Generationem ejus quis enarrabit?* ad Judaicum populum nil penitus pertinet. Sed hoc Christo optime convenit, tam secundum generationem æternam ex Patre, quam secundum generationem temporalem ex Virgine matre, quam etiam secundum spiritualem generationem per multiplicationem cre-
Ibid. 9. dentium. Præterea, quod sequitur ibi, *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus :* quo pacto populo D Judaico convenit ? Hic enim populus a principio sui usque in præsens, plurima contra Deum et proximum peccata commisit, ut ex Scripturis et etiam per experientiam constat. Sunt autem et multum dolosi, et semper mendaces fuerunt, non solum aliis, sed et inter se ipsos.

Porro, quod in fine capituli dictum est,
Ibid. 12. *Et pro transgressoribus rogavit,* populo huic nullatenus convenit. Non enim pro gentibus quibus subduntur exorant ; sed teste Hieronymo, pro destructione Romani imperii, atque exstirpatione discipulorum Jesu Nazareni, id est omnium Christianorum, toto affectu precantur. Nam inimicos suos diligere nondum didicerunt : imo inveterato rancore odiunt Christianos.

Quod autem expositio ista facta sit ad evadendum argumenta Christianorum, ex verbis Rabbi Moysis patet. Hic namque maximus doctor Hebræorum, super illud Geneseos, Introduxit eam Isaac : Et hic *Gen.* XXIV, 67.
est, ait, rex Messias, qui dedit cor suum ad petendum miserationes pro Israel, et ad jejunandum et humiliandum se pro eis, quemadmodum scriptum est in Isaia : Ipse autem vulneratus est propter *Is.* LIII, 5.
iniquitates nostras. Itaque, secundum doctorem hunc, capitulum istud de Christo intelligi par est.

ARTICULUS XII.

Manifestatio erroris Judæorum ex prophetiis Psalmographi.

THEOLOGUS. — Ex præcedenti innotescit articulo, quam obtenebrata sint corda Judæorum exspectantium Christum in primo suo adventu in tanta excellentia et majestate futurum, quod omnia eis mundi regna subjiciet, et rebelles sibi occidet. Si enim talis veniret, quis tam horribili ac contemptibili eum morte perimeret, sicut de eo Isaias prædixit? Quod autem primus Christi adventus in omni humilitate et paupertate consistat, et quod tanquam ignotus atque despectus, occidendus exstiterit, in quodam psalmo apertissime dicitur, ubi Christus de se loquens : *Ego* *Ps.* XXI, 7 et seq.
(inquit) *sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me ; locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Et omnia quæ in psalmo isto sequuntur, in Christo prorsus impleta videmus.

PHILOSOPHUS. — Quid ad ista Judæi respondent ?

THEOLOGUS. — Quidam eorum hunc psal-

mum exponunt de afflictione Judæorum facta per Aman, quia in illa inimici eorum diem statuerunt quo omnes Judæos occiderent. (*Esther* III, 12, 13.) Alii vero exponunt de afflictione per Nabuchodonosor Judæis illata. Sed ambæ expositiones inanes sunt; neque ad litteram de eis intelligi proprie potest psalmus iste, quamvis aliquo modo applicari queat. Nam in nulla afflictionum istarum sic occisi tortive sunt, ut eis conveniat quod in psalmo hoc dicitur: (*Ps.* XXI, 17, 18.) *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Licet enim ministri Aman eos configere spoliaque eorum diripere decrevissent, nullum tamen horum ad effectum deductum est.

Præterea, quum prophetia psalmi istius cum præinductis in proximo articulo Isaiæ eloquiis omnino concordet, nil prohibet quin ad litteram de Christi passione accipi debeat. Nam Christum a malignis fuisse occidendum vel persequendum, in alio quoque psalmo David decantat, dum ait: (*Ps.* II, 2.) *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Præterea, in alio rursus psalmo idem insinuat: (*Ps.* XX, 12.) *Quoniam* (inquiens) *declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire.* Multipliciter enim Judæi Christum coram Pilato accusabant, atque mendacia vana ipsi objiciebant. Horum autem psalmorum uterque de Christo intelligendus est.

PHILOSOPHUS. — Unde hoc probas?

THEOLOGUS. — Refert Nicolaus de Lyra, cui in hoc satis credendum videtur, quod Rabbi Salomon in horum expositione psalmorum, de quolibet eorum sic dicat: Hunc psalmum exposuerunt magistri nostri de rege Messia; sed propter hæreticos exponatur de David. Porro, per magistros suos, intelligit antiquos Hebræorum doctores; per hæreticos vero, eos qui de Judaismo ad fidem Christi conversi sunt.

PHILOSOPHUS. — Quid concludis ex his?

THEOLOGUS. — Primo innotescit ex verbis istis Rabbi Salomonis, quod antiqui

A Judæorum doctores, qui tamen litteralem sensum secuti sunt, hos psalmos de Christo intelligendos censebant. Secundo, quod propter argumenta Judæorum ad fidem orthodoxam conversorum evadenda, ipsi et posteri psalmos istos de David exponunt. Arguebant enim hi ad fidem conversi auctoritate horum psalmorum. Tertio, ex istis elicitur quod expositio psalmorum istorum de David, non est nisi conficta ad evadendum vim argumentorum contra Judæorum perfidiam inductorum.

B PHILOSOPHUS. — Hæc prorsus, ut mihi videtur, ex verbis illis rite sequuntur.

THEOLOGUS. — Nec dubites quin sicut de istis psalmis hæc faciunt, sic de aliis quoque multis sacræ Scripturæ locis, novas, perversas atque extortas expositiones ad defendendum suum errorem confingant. Verumtamen propter ignorantiam linguæ eorum, hæc Latinos sæpius latent.

ARTICULUS XIII.

C *Explanatio vanæ fiduciæ Judæorum de adventu Messiæ.*

THEOLOGUS. — Hæc est ergo obtenebratorum fiducia Judæorum, quod Christus nondum advenit, sed venturus sit: et quum venerit, universos Judæos de quatuor angulis terræ congregabit, ac in terram promissionis et in Jerusalem eos inducet; omnia quoque mundi regna sibi et populo Judæorum subjiciet, templum etiam in Jerusalem pulcherrimum ædifi-
D cabit, copiamque omnium temporalium bonorum Judæis præstabit: sic quod omnis gloria et excellentia status quas Judæi sub David et Salomone vel unquam ante habuerunt, velut nullius erit momenti comparatione status illius. Aiunt denique, quod celerrime, imo in brevissimo tempore, congregabuntur in Judæam. Et ut hoc aptius fieri possit, asserunt (ut fertur) quod tunc tota terra planabitur, vallibus impletis montibusque depressis.

Insuper asserunt (ut narratur) quod tunc

Judæi defuncti resurgent, sanctique Prophetæ et patres resuscitabuntur, et de cœlis ad terras redire delectabuntur, ad videndum gloriam regis Messiæ; et quod maxima tunc erit Judæorum fecunditas, ita ut in modico tempore quasi in infinitum augendi sint; et quod reges itemque reginæ de gentibus deservient eis. Et breviter, ea quæ sancti Prophetæ in Scripturis sanctis eis in adventu Messiæ vel primo aut certe secundo sub similitudine corporalium temporaliumque bonorum repromiserunt, ipsi litteraliter carnaliterque intelligunt. Et quoniam talia in Domino Jesu Nazareno impleta non cernunt, eum esse Christum fateri despiciunt.

Philosophus. — Rogo te ut exempli gratia aliqua mihi de Prophetis proponas, quæ ad litteram intellecta, huic positioni Judæorum apparentiam præstant.

Theologus. — Talia sunt multa, sed pauca tibi inducam. In Isaia scriptum est :
Is. LX, 1. *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Hoc, secundum omnes doctores, dixit Propheta de adventu Messiæ, de futuro per modum præteriti propter prophetiæ certitudinem loquens. Et in eodem
Ibid. 7, 9, 10, 12, 14-18, 22. loco ait : *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi; offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo. Me etenim insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe, argentum eorum et aurum eorum cum eis. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. Gens enim et regnum quod non servierit tibi, peribit. Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem; et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis. Pro ære afferam aurum, et pro ferro argentum. Non audietur ultra ini-* A *quitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus in tempore suo subito faciam istud.*

Porro Isaiæ scripta alio loco, si litteraliter intelligantur, prædicto errori apparentiam præbent. Dicit enim idem Propheta, loquens in persona Dei : *Mittam ex eis* Is. LXVI, 19-21. *qui salvati fuerint,* id est ex Judæis regi Messiæ in suo primo adventu credentibus (ut omnes tam Latini quam Hebræi expo- B nunt), *ad gentes, in mare, in Africam et Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus; et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus. Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas.*

C Præterea, his quæ de reædificatione templi a Romanis destructi, atque secundum Judæorum errorem, corporaliter per Messiam reædificandi, sunt dicta, litteraliter consonat quod apud Zachariam scriptum est : *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Trans- Zach. VI, 12, 13. latio Chaldaica habet loco Orientis, nomen Messiæ. *Et ædificabit templum Domino, et ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo.* Item Amos propheta ait : In die illa suscitabo tabernaculum Amos IX, 11. D David quod cecidit, etc.

Hæc et alia plura quæ in Prophetis ubertim leguntur, Judæi non spiritualiter sed litteraliter exponentes, quia in Jesu Christo impleta non vident, Christum venturum exspectant, atque se ipsos misere fallunt.

Philosophus. — Spiritualem et verum verborum istorum intellectum audire concupio. Nam ut asseris, simpliciter atque ut sonant intellecta, magnam præstant apparentiam Judæis incredulis.

THEOLOGUS. — Tunc sacra Scriptura rite exponitur, dum expositio unius partis expositionem non impedit alterius partis. Sed expositio litteralis præinducti capituli sexagesimi Isaiæ prophetæ impedit semetipsam.

PHILOSOPHUS. — Hoc mihi evidenter probari desidero.

THEOLOGUS. — In eodem isto capitulo, et item sub eodem contextu, inter præallegata hæc quoque ponuntur : *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam ; non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur.* (*Is.* LX, 19, 20.) Hæc ad litteram de statu temporalis præsentisque vitæ intelligi nequeunt. Quomodo enim sine solis splendore fieret dies ? aut quomodo sine ejus occasu nox esset ? Denique Jeremias propheta testatur quia pactum Dei inter diem et noctem irritum esse non poterit in æternum, durante videlicet vita præsenti. (*Jer.* XXXIII, 20.) Stultum est ergo putare quod in primo adventu Messiæ, sol et luna juxta solitam legem non current.

PHILOSOPHUS. — Istis cito consentio, quia naturali rationi concordant, et prophetica auctoritate firmata sunt. Vellem nihilo minus quod allegata Prophetarum eloquia breviter mihi exponeres.

THEOLOGUS. — Libenter id faciam. Sed unum adverte, quod ad horum omniumque solutionem similium plurimum valet, imo ad intelligendum Prophetas maxime confert.

PHILOSOPHUS. — Hoc certe avidissima mente advertendum opinor.

THEOLOGUS. — Per Sion, per Jerusalem, per Juda, per Israel, sancti Prophetæ ubertim intelligunt militantem Ecclesiam, id est populum christianum. Sion namque interpretatur speculatio ; Jerusalem, pacis visio ; Juda, confessio ; Israel, videns Deum. Veri porro Christiani, qui Jesum Nazarenum verum esse Messiam fide credunt et vita ostendunt, quorum utique A conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20.), qui in sanctitate ac justitia Deo semper servire festinant, rite et proprie appellantur Sion, id est speculantes, quoniam terrena itemque visibilia contemnentes, toto nisu cœlestibus inhiant. Sic quoque dicuntur Jerusalem, id est videntes pacem ; et Juda, id est Deum veraciter confitentes ; et Israel, id est contemplatores.

Quum ergo Prophetæ sanctissimi ac spiritualissimi viri exstiterint, quando in spiritu prospiciebant abundantiam divinorum B charismatum plenitudinemque cœlestium gratiarum atque omnium spiritualium bonorum affluentiam divinitus præstanda veris Judæis (qui merito in semine fidelis Abrahæ computantur) in adventu regis Messiæ (quemadmodum in Apostolis aliisque discipulis factum agnoscimus), et non tantum Judæis, sed omnibus insuper gentibus in Christum credituris : tunc Prophetæ beatissimi toto corde exhilarati, totum credentium populum, id est militantem Ecclesiam, sub uno frequenter no- C mine, vel Sion, vel Jerusalem, vel Juda, aut Israel, alloquuntur atque designant. Noverant equidem ex utroque populo unam in Christo constituendam Ecclesiam.

Denique, hæc spiritualium bonorum largissima munera veris Israelitis per Christum donanda, sæpe per sensibilia bona temporaliumque affluentiam expresserunt. Et hoc modo divinas promissiones et comminationes multoties explicant : quod in nova etiam lege interdum, sed rarius fit. Populus namque Judæorum semper rudis, D et Jeremia testante (*Jer.* IX, 26.), corde incircumcisus fuit, ad temporalia atque carnalia valde inclinatus : et ideo spiritualium in sua sinceritate capax non exstitit. Præterea, promissiones propheticæ interdum, Deo disponente, occultandæ erant et obscure tradendæ, quatenus fastidiosis, indignis atque ingratis tegerentur, studiosis vero atque electis panderentur.

His agnitis, aliquid de expositione harum prophetiarum tangendum est. Itaque, quum ait Propheta, *Surge, illuminare,* (*Is.* LX, 1, 7, 9, etc.)

Jerusalem, per Jerusalem, Ecclesia mili- A tans intelligitur, quam hortatur Propheta ut surgendo de pigritia et tenebris mentis, Christum digne suscipiat; *quia venit lu-*
Joann. I, 9. *men tuum,* id est Christus qui est lux vera, *et gloria Domini super te orta est,* id est, illuminatio Christi tibi resplenduit.

Porro, per *pecus Cedar, et arietes Nabaioth,* intelligendi sunt populi de genere Cedar et stirpe Nabaioth, qui ambo Ismaelis filii erant. Iste namque populus, antequam fidem Christi susciperet, carnaliter atque bestialiter vixit: ideoque pe- B cora atque arietes dicti sunt. Sed per Apostolorum doctrinam multi ex eis conversi sunt: et ita Jerusalem, id est militanti Ecclesiæ, congregati sunt, propter unitatem fidei, caritatis ac spiritus, et devote ministraverunt Ecclesiæ. Sequitur: *Offerentur super placabili altari meo,* quia veri Christiani semetipsos offerunt Christo
Rom. XII, 1. hostiam vivam, rationabilem atque placentem; *et domum majestatis meæ,* id est militantem Ecclesiam, *glorificabo.* Denique eorum quæ sequuntur, quædam et C spiritualiter et litteraliter possunt intelligi, quædam autem spiritualiter tantum. Nam et multi gentilium Christo regi ecclesias materiales construxerunt; gens quoque et regnum quod non obedit orthodoxæ Ecclesiæ, in æternum peribit.

Præterea, quæ ex Isaia jam semel introducta sunt, in Christo impleta sunt. Ipse enim Apostolos ceterosque quos ex Judæis salvare dignatus est, misit ad loca in textu expressa: qui tenebant sagittam, id est verbum Dei, vel veloces atque fervən- D tes discipulos, quos tanquam sagittas diversis locis ac gentibus direxerunt. Sequitur: *Et adducent omnes fratres vestros,* id est omnes veros Israelitas, omnes a Deo electos, omnes fideles, omnes in Christum credentes, id est omnes Christianos, *ad montem sanctum meum Jerusalem,* id est ad militantem Ecclesiam. Porro, quod sequitur, *in equis, et in quadrigis,* etc., litteraliter accipi non debet; sed sicut
IV Reg. II, 11. S. Hieronymus docet, quia Elias in curru igneo equisque igneis est translatus, propterea per equos et quadrigas, sanctorum adjutoria angelorum, quibus electi ad fidem ducuntur, optime intelliguntur. Per lecticas autem, mulos, et carrucas, ministeria designantur Apostolorum ac discipulorum Christum prædicantium, secundum tria quæ in se habebant, et ad instruendos incredulos necessaria erant: quæ sunt conversatio sancta, prædicatio vera, corroboratio fidei per miracula.

At vero prophetia Zachariæ inducta, in Zach. VI, 13.
Christo prorsus est impleta. Ipse quippe ædificavit Deo Patri in terris Ecclesiam, non ex mutis lapidibus et mortuis petris, sed ex vivis rationabilibusque lapidibus, sanctis videlicet viris et electis hominibus. Hoc templum est sacrosancta Ecclesia, Deo per se accepta et grata, cujus figura quædam et umbra exstitit Synagoga. Et de isto utique templo resuscitando loquitur Zacharias.

ARTICULUS XIV.

Ostensio falsitatis Judæorum.

Theologus. — Quamvis ex his quæ jam paulo ante de Christo inducta sunt, plenissime innotescit quod primus Christi adventus in omni humilitate, paupertate, abjectione et passione, a Prophetis prædictus sit: nunc tamen paulisper insistam, ut Judæorum tenebrosissimam cæcitatem evidentius pandam.

Philosophus. — Auctoritates sufficientes atque idoneas te ad hoc induxisse profiteor. Si autem aliquas rationabiles considerationes ad idem invehere decrevisti, has lætus advertam.

Theologus. — Ab exordio disputationis istius in considerationibus talibus delectatum te memini. Sed hæ considerationes in his quæ fidei sunt stabiliuntur. Sic igitur nunc rationabiliter Judæorum admirandam cæcitatem considerare conabor.

En omnes Prophetæ, ut etiam Rabbi

Salomon adstruit, non nisi super dies Messiæ et annos redemptionis locuti sunt. Hanc autem redemptionem posteriores ac moderni Judæi cum doctoribus suis, ad temporalem de captivitate ista in qua modo premuntur liberationem, itemque ad præsentis vitæ admirabilem quamdam beatitudinem temporaliumque bonorum copiam, ut jam prætactum est, referunt. Arbitrantur namque Messiam in primo suo adventu, in majestate, potestate et gloria esse venturum. Hæc autem positio nimium cæca est.

Liberatio namque ad quam Christus in lege promittitur, non est a jugo humano, seu temporali pressura, aut mundano imperio; sed a reatu originalis culpæ, a captivitate diaboli, a limbo inferni. Et hoc quidem ex libro Geneseos originaliter claret, et ex Prophetarum eloquiis constat. Adam namque omnisque ipsius posteritas propter originalem transgressionem de paradiso expulsus est, nec potuit genus humanum ad regnum reduci cœlorum, nisi a Christo tolleretur originalis malitiæ debitum. Denique, si ita non est, cur David et Salomon, Isaias et ceteri qui in humana captivitate non erant, Redemptoris adventum eatenus concupierunt?

Præterea vita Christi, omnis perfectionis exemplum esse debebat. Perfectio autem non in temporali carnalium affluentia, non in principatu terreno, non in vindicta consistit, hæc enim mentem a Deo impediunt; sed in paupertate spontanea, in humilitate profunda, in patientia vera, in caritate Dei sincera et nuda. Christus ergo qui legem perfectionis ostendere venit, primum facere debebat quod docuit. In paupertate et humilitate igitur, et patientia, primus ejus adventus consistit. Et quum non sit servus major domino suo, non debet verus Christianus illa pro magno habere, nec in se ipsis diligere, quæ Christus non habuit neque edocuit, id est temporalium copiam ac mundanum imperium. Judæi ergo ista a Christo præstolantes atque sperantes, penitus errant, nec Deum sincere, sed se ipsos et proprium ventrem diligunt, atque de inimicis vindictam sperant.

Joann. XIII, 16.

Præterea, si dicant sanctos patres de felicitate cœlesti redituros ad terram ut Messiæ gloriam cernant, quam cæcum est hoc! Nam reverti a felicitate cœlesti ad prosperitatem mundi, est a vera gloria valde deficere. Beatitudo nempe cœlestis, in Divinitatis fruitione consistit. Messias autem, secundum Judæos, erit pura creatura. Ideoque a Creatoris Dei velle fruitione recedere, ad intuendam potentiam puræ creaturæ vel cujuscumque prosperitatis terrenæ, stultissimum esset. Sancti ergo antiqui defuncti nequaquam optabunt ad terras reverti ut conversationi regis Messiæ intersint.

Insuper, quod aiunt in adventu Messiæ terram omnino planandam, eo quod scriptum est, Omnis mons humiliabitur, et omnis vallis exaltabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; omnino inane est, quum capitulum illud Isaiæ in quo hæc scripta sunt, aperte utatur metaphoris. — Amplius autem, secundum Rabbi Moysen, et (ut Nicolaus de Lyra allegat) secundum antiquos Hebræorum doctores, opinandum non est quod in Messiæ adventu aliquid de solito cursu mundi vel de operibus sex dierum mutetur, sed sæculum juxta solitam sibi inditam legem procedet.

Is. XL, 4.

ARTICULUS XV.

Plenissima confirmatio fidei christianæ, atque Judaicorum errorum destructio, ex vaticiniis beatissimi Jeremiæ prophetæ.

THEOLOGUS. — Spiritu Sancto repletus sacer Jeremias, et in spiritu cernens primum Christi adventum in omni humilitate, paupertate, atque in quadam occultatione consistere, admiratus est nimis consilium Dei super mysterio redemptionis humanæ; et ex admiratione Deum per

modum interrogantis affatus est, dicens : A
r. xiv, 8, *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ? Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare ?*

Philosophus. — Quomodo ista Deo conveniunt, et quomodo exponuntur de Christo?

Theologus. — Auctoritas ista prophetica fecundissima est, plenissima atque pulcherrima. Enimvero ex ea probamus nedum quod Christus in paupertate, et tanquam alienus itemque ignotus advenerit, sed etiam quod ipsemet Deus benedictus B et sanctus incarnandus erat, et in carne assumpta tam pauperem vitam ducturus. Unde ostenditur quod rex Messias Christus Dominus, sit Deus et homo : cujus oppositum Judæi affantur.

Philosophus. — Fateor, auctoritas ista decora est valde. Sed unde probares quod verba inducta ad Deum directa sint ?

Theologus. — Ordo et series litteræ hoc ipsum ostendit. Nempe paulo ante in eo-
d. xiv, 7, dem capitulo dixit Propheta : Tibi peccavimus, exspectatio Israel, salvator in C tempore tribulationis. Quod de Deo intelligi certum est. Et mox de eodem exspectato atque venturo vaticinans, ait quæ dicta sunt.

Vidit ergo Propheta in spiritu, et non sine admiratione, vidit Christum in omni paupertate et humilitate venturum, et tanquam colonum et vagum seu peregrinum reputandum, quodque Christus tam hu-
Cor. viii, Ps. xv, 2; ...m. x, 12. militer veniens, esset Deus qui est dives in se, nulliusque egens, imo dives in aliis, sed in se ipso paupertatem ostensurus at- D que docturus. Hoc est quod Dominus noster Jesus Christus in Evangelio de se ipso
tth. viii, testatur : Filius (inquiens) hominis non habet ubi caput suum reclinet. Et nihilo minus ipse de se ipso fatetur, loquens ad
nn. xvii, Patrem : Omnia tua mea sunt, et mea tua
bid. xvi, sunt ; et denuo, Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; rursusque, Dominus est
atth. xii, Filius hominis etiam sabbati.

Philosophus. — Dum ista considero, eaque insuper quæ de Antichristi adventu prædicta sunt, mente commemoro, cerno quod Antichristi adventus prorsus contrarius erit adventui Jesu Christi. Ille namque non ut vir vagus, neque ut viator aut colonus venturus est, sed tanquam rex maximus, velut dominus mundi, sicut ditissimus.

Theologus. — Hæc sola auctoritas sufficienter declarat Antichristi fallaciam, et quod ipse non sit verus Christus, nec sic venturus quemadmodum de Christo Prophetæ locuti sunt.

Proinde, quod Judæi Christum negaturi erant, et ob id a Deo deserendi, sanctissimus Jeremias clare et publice denuntiavit, sic in Christi loquens persona :
Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Jer. xii, 7, 8.
Porro eamdem sententiam Jeremias clarius pandens : *Prævaricatione,* inquit, *prævaricata est in me domus Israel et domus Juda, ait Dominus. Negaverunt Dominum, et dixerunt : Non est ipse.* Ibid. v, 11, 12. Nam Evangelio enarrante, Judæi coram Pilato eis dicente, Regem vestrum crucifigam ? dixerunt : Non habemus regem nisi Cæsarem. Joann. xix, 15.

Præterea, de Christi passione ait Propheta in Threnis : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Thren. iv, 20. Hanc autem auctoritatem propheticam Judæi de Josia rege Juda exponunt, asserentes hanc esse litteram : Spiritus narium nostrarum christus Domini. Verumtamen Rabbi Samuel in epistola ad Rabbi Isaac sic eam allegat : Spiritus vultus nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Ideoque videtur quod de Christo prædicta sit. Item idem Jeremias de Christo prophetans : *Ego,* ait, *quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Jer. xi, 19.

Sunt quoque et alia hujus sancti Prophetæ de Christo vaticinia : quæ modo non tango.

ARTICULUS XVI.

Disputatio contra Judæos ex consideratione captivitatis in qua nunc sunt, quod rationes quas ipsi assignant, non sint veræ causæ captivitatis istius.

Theologus. — Porro, in disputationibus quas Christiani cum Judæis habere solent, hæc argumentatio Judæis sæpe objicitur, ut causam assignent captivitatis istius longissimæ in qua jam sunt, et amplius quam per mille trecentos annos fuerunt. Certum est enim, nec ipsi hoc negant, quod Deus gloriosus et adorandus terram promissionis patribus eorum contulerit, atque promiserit quod eos in illa conservaret quamdiu peccatis suis ab ea non mererentur expelli. Denique frequenter peccaverunt, nec tamen leguntur expulsi ab ea pro quocumque facinore, nisi propter idololatriam et Prophetarum innocentiumque necem.

Judic. II-IV, VI. Itaque, ut ex libro Judicum innotescit, Judæi ad idololatriam interdum prolapsi sunt, et ob id captivi, occisi afflictique sunt. Quumque clamarent cum humili confessione ad Dominum, cito miserebatur Deus eorum, mittensque eis salvatorem, liberavit et ad propriam terram eos reduxit.

Postremo, quum multiplicatæ fuissent iniquitates eorum in idololatriis, in Prophetarum occisionibus, in innocentium homicidiis, ita quod tempore Manasse repleverunt Jerusalem sanguine innocentium usque ad os, ut quarto libro Regum (IV *Reg.* XXI, 16.) describitur, nec Prophetis eos increpantibus acquiescere vellent; (II *Par.* XXXVI, 15-23.) ducti sunt in Babylonem captivi, in qua per septuaginta annos dignis pœnis oppressi sunt: quibus expletis, Deus gemitum eorum audivit, eosque redemit et in Judæam reduxit. Præterea, in hac captivitate consolationem habebant Prophetarum sanctorum, eos de reditu certificantium. Habueruntque Prophetas ante captivitatem, ut Jeremiam; in captivitate, Ezechielem ac Danielem; post A captivitatem, Zachariam atque Aggæum. Captivitas quoque Babylonica ceteris cunctis prioribus dirior exstitit atque longævior.

Quum ergo captivitas ista in qua modo premuntur, captivitate Babylonica quasi incomparabiliter gravior diuturniorque consistat, ut computantibus constat, oportet quod gravius aliquid scelus commiserint, quo tantam pœnam meruerint, quam fuerunt patrum ipsorum peccata. Pœna enim proportionanda est culpæ. Ideo, si B post captivitatem Babylonicam enormius scelus non perpetrassent quam ante, nequaquam Deus eos tanto tempore desolatos relinqueret. Non enim consolationem habent alicujus Prophetæ eis tempore hujus captivitatis transmissi. Præterea, Deus non punit universaliter nisi pro universali peccato. Non ergo sic ira ejus in eos tam diu redundaret, nisi sub quodam universali peccato gravissimo forent.

Tale vero peccatum esse nequit nisi Christi occisio. Quidquid enim aliud dixe- C rint, protinus convincuntur majora commisisse facinora ante captivitatem Babylonicam. Nam post reditum de Babylone, neque ad idololatriam declinaverunt in toto seu omnes, neque Prophetas occiderunt. Et quamvis ista fecissent, non tamen tam diu Deus eos relinqueret, si aliter fidem et legem Deo placentem haberent, præsertim quum quotidie liberari orent et sperent. Nisi ergo prorsus increduli essent, tam bene audiret atque reduceret eos Deus quemadmodum patres eorum; D vel saltem Prophetam aut aliam consolationem certam eis impenderet.

Philosophus. — Hanc rationem interdum tetigisti, sed nunc eam fortius induxisti. Quid ergo respondent ad eam Judæi?

Theologus. — Multa excogitant quatenus se contra propriam salutem defendant. Dicunt ergo quod propter peccatum vituli conflatilis seu adorationem ipsius, (*Exod.* XXXII, 4-6.) propter idololatriam quoque patrum suorum, Prophetarumque necem, itemque propter avaritiam ac odium fraternum, quæ

post reditum de Babylone multum in ipsis A vigebant, hanc captivitatem sustineant : præsertim quum de idololatria vituli in Exod. :xii, 34. deserto Dominus dixerit, Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum.

Sed hæc apparentiam modicam habent. 'ahum i, 3 xta LXX. Nam teste Propheta, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum ; et Ezechiele testante, Ezech. :iii, 20. Filii non portabunt iniquitatem patrum suorum.

Si vero respondeant nondum plene satisfactum pro illis peccatis, et sic Dominus non judicabit bis in id ipsum : huic B Scripturæ sacræ repugnant, in quibus leguntur misericordiam a Deo adepti, exauditi, et ad propriam terram reducti. Denique, si asserant quod filii interdum pro patrum affligantur peccatis, quum de Deo Exod. xx, per Moysen dictum sit, Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem : nullam tamen apparentiam habet quod parentum peccata redundent in filios in tam longas innumerabilesque generationes, sicut modo in Judæis durare conspicimus visitationem C iracundiæ Dei. Præterea, quamvis interdum propter parentum peccata filii a Deo pœnam sustineant, non tamen excedit pœna filiorum qui non peccaverunt, pœnam parentum qui peccaverunt. Hæc autem miseria in qua nunc detinentur Judæi, omnem pœnam patrum suorum excedit. Ideoque necesse est eos propriam culpam habere : quam quia se habere recognoscere nolunt, ideo misericordiam consequi nequeunt.

Adhuc autem, odium fraternum itemque D avaritia tam irremissibilia crimina non sunt, ut propter ea in tantam calamitatem relinqui meruerint. Imo hæc peccata, idololatria Prophetarumque nece minora exsistunt.

Omnibus ergo pensatis, restat eos sine fide et lege Deo placentibus esse, et per consequens nil prorsus meritorium agere posse : et hoc est, quoniam in Jesum Christum quem occiderunt, credere renuunt. — Porro, quod pro se allegant de idololatria vituli scriptum, Ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum ; de die judicii intelligi potest, de his qui non pœnituerunt.

ARTICULUS XVII.

Objectiones Judæorum contra fidem catholicam.

THEOLOGUS. — Multipliciter autem arguunt contra nos excæcati Judæi. Primo, quod in confessione sanctæ Trinitatis videmur contradicere legi, quæ ait : Audi, Deut. vi, 4. Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Nos vero tres Deos, ut ipsis videtur, fatemur. — Secundo, mirantur quod Jesum hominis filium in tempore natum, asserimus esse Deum : Deus enim æternus atque immensus est. — Tertio, videtur eis quod multa attribuimus Christo quæ valde derogant Deo : ut concipi a muliere, crescere, esurire, tentari, crucifigi et mori. Hæc (ut dicunt) divinæ excellentiæ derogant : Christus ergo cui ista adscribimus, Deus verus consistere nequit. — Quarto, nobis imponunt quod in Eucharistiæ sacramento pessime idololatramus.

Denique, ex Prophetis probare nituntur quod Christus nondum venit, et quod Jesus Nazarenus non sit verus Messias. Primo, quoniam Jeremias postquam de Christi adventu dixit, Ecce dies veniunt, dicit Jer. xxiii, 5. Dominus, etc. ; protinus addidit : *In diebus* Ibid. 6. *illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter.* Sed nunquam tot adversitates contigerunt Judæis, ut post adventum Jesu Nazareni. Ipse ergo non est Christus in lege et Prophetis promissus.

Amplius autem, per Ezechielem Deus benedictus et summus ait : *Scient quod* Ezech. *ego sim Dominus Deus eorum, eo quod* xxxix, 28. *transtulerim eos in nationes, et congregaverim eos super terram suam, et non dereliquerim quemquam ex eis ibi.* Hæc autem congregatio tempore Christi maxime exspectanda videtur, et quia nondum exstat impleta, ut cernimus, apparet quod

Christus necdum advenerit. Insuper et est quasi eadem ratio quam Moyses conscripsit : *Si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde retrahet te Dominus Deus tuus, et assumet te atque introducet in terram quam possederunt patres tui.* (Deut. xxx, 4, 5.) Quum ergo, inquiunt Judæi, nunc in toto orbe dispersi simus, exspectare debemus promissionem istam divinam, quæ tempore Christi maxime implenda credenda est, et nondum impleta est.

(Amos ix ; Zach. i, iv, vi, xiv ; Ezech. xl-xlviii.) At vero in Amos, et Zacharia, et Ezechiele, multa scribuntur de admirabili templo ædificando in terra Israel a rege Messia, quæ Christus Jesus non fecit. Ait enim Amos quod in diebus illis populus Israel possidebit reliquias Idumææ et omnes nationes. (Amos ix, 12.) Tantam autem prosperitatem a Jesu Nazareno Judæi sortiti non sunt. Non est ergo ipse Christus.

Adhuc, apud Isaiam de Christo scriptum est : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* (Is. ii, 2.) Dies autem Jesu Nazareni non sunt dies novissimi, quum multa post ejus adventum defluxerint annorum curricula. — Item, in adventu Jesu mons Sion non est elevatus super colles, nec in aliorum montium vertice positus : quod tamen ait Propheta in adventu Messiæ implendum. — Insuper addit Propheta : *Et fluent ad eum omnes gentes.* (Ibidem.) Ergo omnes populi Christo credituri erant : sed in Jesum non omnes crediderunt. — Postea subdit : *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces ; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* (Ibid. 4.) Ex his innotescit quod post Messiæ adventum, in toto mundo bella cessabunt, paxque perpetua erit. Hoc autem in Jesu Nazareno impletum non est : imo post ejus adventum dirissima bella Judæis inflicta sunt. Ipse ergo Christus non est.

Præterea, apud Isaiam postquam de Christi adventu prædictum est, Egredietur virga de radice Jesse (Ibid. xi, 1) ; post pauca subjungitur : *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hœdo accubabit ; delectabitur* (Ibid. 6, 8, 9.) A *infans ab ubere super foramina aspidis ; non nocebunt in universo monte sancto meo.* Ergo in adventu Messiæ animalia silvestria et vaga, erunt edomita atque domestica, nec venenosa erunt nociva. Quum igitur hoc nondum adspiciamus impletum, concludunt Judæi necdum venisse regem Messiam.

Porro, apud eumdem Isaiam alia quædam multa scribuntur de prosperitate et gloria Judæorum, in adventu Christi eis præstanda. Inter quæ hoc quoque unum B est : *Paupercula tempestate convulsa absque ulla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.* (Is. liv, 11.) Et alia multa. Hæc autem Synagoga Judæorum, quam Propheta affatur, nondum consecuta videtur.

Præterea imponunt nobis Judæi, quod multa ex lege et Prophetis allegemus quæ in illis conscripta non sunt ; quod etiam evangelica Christi nostri doctrina documentis legis sæpe videatur contraria. Alia quæ nobis objicere possunt omitto, quia C ex horum solutione faciliter dissolvuntur.

ARTICULUS XVIII.

Responsio ad Judæorum instantias.

Philosophus. — Nunc insuper horum solutioni intendere par est. Ne multiplicemus inaniter verba, anticipo, atque profiteor quod harum objectionum quamplures ante plene solutæ sunt. Quod nempe primo de sancta Trinitate objiciunt, jam ante D discussimus quod tres personæ non sunt tres Dii, sed Deus unus, quoniam natura atque divinitas in tribus personis permanet una. — Quod autem secundo objiciunt, etiam prædiscussum recordor. Siquidem ostendisti quod Christus est verus Deus et verus homo, non in una natura, sed in una persona : et quod ex tempore natus censetur, propter humanam ei naturam adscribitur ; in natura autem divina, quæ consubstantialis est Patri, ipsi quoque coæternus exsistit. — Insuper, quod ter-

tio aiunt, nil convincit, quoniam humilia A atque abjecta aliquamve imperfectionem designantia, non secundum divinam naturam, sed ratione humanitatis assumptæ Christo conveniunt. In hoc autem quod Deus talem naturam et quæ ei conveniunt dignatus est majestati itemque divinæ personalitati unire, ejus bonitas, misericordia caritasque vehementer relucent.

Porro, quod quarto inducunt, pensatis præhabitis solutum est. Quamvis enim ex vi sacramenti seu ratione transsubstantiationis, sub specie hostiæ non sit nisi cor- B pus Christi, ex naturali tamen sequela est etiam ibi anima ejus atque divinitas, et per consequens totus Christus, qui in una hypostasi est homo et Deus, ideoque merito adorandus. Si autem adoraretur corpus ejus seorsum, idololatria esset : et simile exstat de sanguine. Ceteras vero Judæorum instantias mihi solvi, o Theologe, cupio. Verumtamen quasdam earum ex præinductis solutas intelligo.

Theologus. — Cuncta quæ dicis approbo, simulque ingenium tuum admiror. De- C nique Jeremias, cujus nobis primo prophetiam objiciunt, de vera salute, id est salvatione animæ a peccato et potestate diaboli, propter quam Christus potissime venit, locutus est, et per Jesum Christum impletum verissime novimus. Ipse salvavit atque redemit Juda, imo totum genus humanum, et Israel qui ipsi adhæsit et credidit, habitavit confidenter, loquendo de fiducia et magnanimitate ac securi-
Prov. xii, 21. tate mentis in Deo. Non enim contristabit justum quidquid ei acciderit. Et rursus D
Ibid. xxviii, 1. Scriptura : Justus, inquit, quasi leo confidens, absque terrore erit. Sunt autem et aliæ solutiones, quas omitto. Quod vero dicunt Judæi, quod tempore Jesu maximæ eis adversitates exortæ sunt, verbis Prophetæ non obviat. Nam propter incredulitatem, persecutionem atque blasphemiam
Apoc. ii, 9. suam in Christum, jam amplius non erant Synagoga Dei, sed Satanæ, nec erant veri Judæi, id est confitentes, neque computabantur in semine fidelis Abrahæ.

Præterea prophetia illa Ezechielis prophetæ eique similes, ubertim impletæ sunt. Sæpe enim de captivitatibus suis eos Deus eripuit, nec quemquam ex ipsis reliquit, qui scilicet redire optavit et studuit. Potest etiam congregatio ista spiritualiter accipi : et sic, per Jesum Christum est facta, quia in una fide parique spe ac divina caritate, omnes (quantum in se fuit) Judæos ubique dispersos congregavit in regnum militantis Ecclesiæ. Et hoc modo a Joanne dicitur, quod Jesus *Joann.* xi, 51, 52.
moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. Et similis est ad Moysis promissionem responsio.

Porro templum de quo Amos et Zacharias loquuntur, spiritualiter exponendum est de militanti Ecclesia ex lapidibus vivis constructa, in qua Jesus Christus est rex atque sacerdos : cui subjectæ sunt reliquiæ Idumææ et omnes nationes, id est ipsa gentilitas ad fidem conversa. Ezechiel quoque sub metaphora de triumphanti Ecclesia ac domo cœlesti profatur, et non de terreno materialique templo : quod utique ex textu elicitur, in quo plura dicuntur quæ litteraliter accipi nequeunt.

Amplius autem quod instant Judæi, quia dies Jesu Nazareni non sunt novissimi, respondendum quod triplex distinguitur tempus, ante legem, sub lege, sub gratia. Tempus ergo Domini Jesu est novissimum, quoniam legi evangelicæ lex alia vera non succedet. Unde Joannes ait : Novissima hora est. I *Joann.* ii, 18.

Ad aliud dicitur, quod elevatio montis Sion in Christi adventu, per localem ascensum intelligenda non est, prout Judæi secundum cæcitatem et crassitudinem cordis sui existimant, sed per gloriam miraculorum et excellentiam gratiæ illic effusæ. Quæ utique gloria amplior exstitit quam illa quæ in monte Sinai aut alibi usquam apparuit. Nempe in monte Sion Christus discipulis Spiritum Sanctum misit, omnium Scripturarum sanctarum atque linguarum usum itemque notitiam tradidit ; *Act.* ii, 1 et seq.; *Luc.* xxiv, 45.

Joann. xx, 19, 26, 27; *Luc.* xxiv, 39, 40. *Matth.* xxvi, 26, 27.

clausis januis introivit, corpus impassibile palpabile tradidit; panem et vinum in corpus suum et sanguinem transsubstantiavit, se ipsum suis discipulis manducandum exhibuit.

Ad sequens respondeo, quod omnes gentes, id est aliqui de omnibus, in Christum credunt, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Et hoc modo etiam ipsos Judæos oportet prædictam distributionem exponere.

Ad id demum quod consequenter objectum est, Non levabit gens contra gentem gladium, etc., dico quod Christo nato, angeli cecinerunt : Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc vero de interna, spirituali veraque pace, quam exterior perturbatio aut persecutio auferre non valet, intelligendum cognoscimus. Itaque sacer Propheta videns in spiritu quod in Christum perfecte credentes, etiam inimicos suos diligerent, nec aliena optarent aut raperent, præinducta sic dixit. Aliter quoque respondeo, quod Christus natus est tempore inauditæ a sæculo pacis. Eo namque nato, ad unius imperium hominis universus descriptus est orbis. Hæc autem pax ultra solitum tempus duravit, cunctis nationibus Romano imperio subjugatis. Certum est autem quod in tali tempore multa instrumenta bellandi transmutentur in instrumenta agriculturæ aptata. Ideo ait Propheta : Conflabunt gladios suos in vomeres.

Luc. ii, 14. — *Ibid.* i.

Quod autem adjungitur, Non exercebuntur ultra ad prælium, non designat perpetuitatem simpliciter, sed durationem insolitam : sicut communiter de re ultra consuetudinem perdurante asserimus, Res ista nunquam terminabitur ; vel, Istud nunquam cessabit : quum tamen interdum talia in brevi tempore cessent. Sic Jeremias scribit : Oblitus est mei populus meus, ut fieret terra eorum in desolationem et in sibilum sempiternum. Quod intuentibus ordinem textus constat de captivitate Babylonica dictum : de qua tamen Judæi post septuaginta annos reversi sunt.

Jer. xviii, 15, 16.

A Sed quoniam captivitas illa præcedentibus longior exstitit, ideo sempiterna vocata est. Sic quoque quarto libro Regum dicitur, Non venerunt ultra latrones Syriæ in terram Israel : quum tamen post hoc in eodem libro sæpius redisse legantur.

IV *Reg.* 23. — *Ibid.* 24; 32; xiii, 22; xvi, 5

At vero quod de cohabitatione ac domesticatione ferarum arguitur, respondendum quod totum illud capitulum Isaiæ in quo ista scribuntur, metaphorice loquitur. Nam in principio dicitur, Egredietur B virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet : ubi Christus et virgo Maria nominibus virgæ et floris designantur. Et postea de Christo habetur : Erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. Postmodum additur : Habitabit lupus cum agno, etc. Itaque, sicut Christus propter proprietatem flos dicitur, sic homines variæ vitæ diversorum animalium designantur nominibus propter convenientiam proprietatis. Lupus ergo vocatur, vorax et rapax; agnus C autem, vir innocens. Et quoniam in sancta christiana Ecclesia, qui ante lupinam vitam ducebant, conversi interius demum innocenter pieque cum innocentibus vivunt ; ideo lupus cum agno habitare perhibetur : et ita de aliis. Quod vero additur, Delectabitur infans super foramina aspidis ; ita exponitur : quia renatus fonte Baptismatis, dominatur dæmonibus in obsessis hominibus.

Is. xi, 1 — *Ibid.* 5 — *Ibid.* 6

Denique hujus responsionis confirmatio est quod Rabbi Moyses ait : Non ascen- D dat super cor, quod in diebus Messiæ aliquid de via hujus sæculi deficiat, vel de operibus sex dierum immutetur; sed mundus juxta solitam viam transibit. Et per consequens animalia in suis proprietatibus naturalibus perseverabunt. — Verumtamen etiam ad litteram animalia fera frequenter Christianis tanquam domestica paruerunt.

Quod insuper ex Isaia tangitur, nunc ante satis solutum opinor. Illa enim stratio sive fundatio, in Christi Ecclesia spi-

ritualiter adimpleta est, in qua viri perfecti secundum gradus virtutum ordinate sternuntur.

Utrum autem aliquid de veteri Testamento allegemus quod illud non continet, scimus quod non, maxime post translationem Hieronymi. De hoc tamen plenius tangam. — Ad ultimum dico, quod moralia legis præcepta Christus non reprobat, sed optime perficit; cærimonialia vero, quia figurativa erant, in Christo finem sortita sunt.

Sufficit tibi, Philosophe, responsio ista?

Philosophus. — Sufficit prorsus.

ARTICULUS XIX.

Demonstratio ex lege et Prophetis quod in Deo sit personarum distinctio, et cum unitate essentiæ trinitas in personis.

Theologus. — A legis exordio ordiri nos
en. I, 1. par est. In principio Genesis, ubi nostra translatio continet, In principio creavit Deus cœlum et terram ; Hebraica veritas habet, *In principio* ELOHIM *creavit cœlum et terram.* ELOHIM autem est plurale hujus dictionis, EL, vel ELOHI, quod significat Deum in singulari numero. Quum ergo Moyses dixerit, ELOHIM creavit, conjungens nomen pluralis numeri verbo numeri singularis, tanquam diceret, In principio Dii creavit ; insinuat quod in divinæ simplicitate ipsius essentiæ sit quædam distinctio, non naturarum, sed personarum.

Sed contra hoc multipliciter respondent Judæi. Quidam dicunt, quod quando ELOHIM ponitur pro Deo vero, semper singulariter accipiatur. Contra quod nostri doctores arguunt qui in lingua Hebræa doctiores fuerunt, ostendentes quod hoc nomen, ELOHIM, pro Deo vero acceptum, pluraliter accipiatur, quia videlicet adjectivo pluralis numeri copulatur : ut in libro
osue XXIV, Josue, ubi nos habemus, Non poteritis Domino servire, quia Dominus sanctus, etc.
Jer. XXIII, Item Jeremias : Pervertistis, inquit, verba Dei viventis. In Hebræo habetur : *Pervertistis verba* ELOHIM HAHIM, id est Deorum viventium.

Talis denique modus loquendi in veteri Testamento reperitur, quod scilicet conjungitur nomen singularis numeri verbo pluralis numeri, vel econtra : in quo semper implicite datur intelligi, quod in Deo sit quædam non essentiæ, sed personarum distinctio. Nempe in Isaia, ubi translatio Hieronymi continet, Dominabitur tui Is. LIV, 5.
qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus ; Hebraica veritas habet : *Dominatores tui fortiores tui, Dominus exercituum nomen ejus.* Item in libro secundo Regum, ubi habemus, Quæ est gens in terra II Reg. VII,
ut populus tuus Israel, propter quam ivit 23.
Deus ut redimeret eam sibi in populum? Hebræus sic habet, *Quis ut populus tuus gens una in terra, propter quam iverunt* ELOHI *ad redimendum sibi?* Et talis modus sæpe in veteri Testamento invenitur.

Quidquid autem Judæi ad respondendum confingant, hoc firmum et certum est, quod quum tota Moysis ac Prophetarum intentio fuerit a plurium cultu deorum revocare populum ad unius Dei verissimum cultum, nequaquam tali modo loquendi usi fuissent, nisi sapientibus occulte insinuare voluissent quod in simplici Deo esset personalis distinctio. Non enim distinctio proprietatum absolutarum ad hunc modum loquendi sufficeret, quoniam illæ sola ratione distinctæ sunt, et multo minus distinguuntur in Deo quam in creaturis. Sed unus homo aut angelus unus, non posset dici dominatores, aut divini, vel fortiores, propter distinctionem proprietatum seu qualitatum suarum, scilicet sapientiæ, potentiæ, dilectionis, atque similium. Multo igitur minus propter proprietatum absolutarum distinctionem talem pluralitatem susciperet Deus.

Præterea in psalmo centesimo nono, qui manifeste de Christo loquitur (præsertim quum ubi nos habemus, Dixit Dominus Ps. CIX, 1.
Domino meo ; translatio Chaldaica habet, Dixit Dominus Verbo suo), designatur divinitas Filii Dei, seu Deus de Deo genitus,

Ps. cix, 3. quum dicitur : *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Hoc enim nulli valet adscribi, nisi Filio Dei, qui solus ex utero, id est ex substantia nascitur Patris, et per consequens ejusdem cum eo essentiæ exstat, quoniam divina essentia plurificari non potest. — Præterea in psalmo quadragesimo quarto, qui de rege Messia secundum antiquos Hebræorum doctores accipitur, de Christo Ps. xliv, 7, 8. sic dicitur : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Hic aperte describitur Deus unctus et Deus ungens, tanquam distinctæ personæ. Præterea de eodem rege Messia seu Filio Dei, quum dixisset Propheta in eo- Ibid. 11. dem, Audi, filia, et vide, etc. ; adjungit, Ibid. 12. *Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus :* et quod sit verus Deus ostendit, dum subdit, *Et adorabunt eum.* — Insuper, ante ostensum est quod secundum antiquos Hebræos, psalmus secundus de Christo intelligendus sit. In hoc autem psalmo Christus Ps. ii, 7. de Patre testatur : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et quid est, Hodie, nisi, In æternitate?

Præterea trinitas personarum pulcherrime designatur apud Isaiam, ubi sic scri- Is. xlviii, 12, 13, 16. bitur : *Ego primus, et ego novissimus, et dextera mea mensa est cœlos. Non a principio in abscondito locutus sum ; ex tempore antequam fieret, ibi eram.* Loquitur autem de datione legis in monte Sinai, quæ manifeste tradita est, ut etiam Judæi testantur. Et quod hæc sint verba Christi seu Filii Dei, elucescit quum subditur : *Et nunc Dominus misit me, et spiritus ejus.* Ecce hic divinitas Christi aperte scribitur, quum dicitur : Ego primus, et ego novissimus. Tangitur quoque persona Patris, quum ait : Et nunc Dominus misit me. Spiritus Sanctus demum exprimitur, quum addit : Et spiritus ejus. Hæc enim verba Isaias de se ipso non dixit. Ipse namque in monte Sinai, quum lex dabatur, non fuit, quum pene per mille annos postmodum natus sit. Clarum est insuper quod Deus Pater non misit se ipsum : ergo Filius missus, a Patre personaliter est distinctus. Istæ autem rationes ad sequentem quoque articulum prosunt, quoniam Christum esse Deum et hominem patenter ostendunt.

Adhuc trinitatem personarum in divinis sanctus David compendioso versiculo decore pandit : *Verbo* (inquiens) *Domini cœ-* Ps. xxxii, 6. *li firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sed et de Spiritu Sancto pulchre in alio psalmo precatur : *Spiri-* Ps. l, 12. *tum rectum innova in visceribus meis;* et, *Spiritum Sanctum tuum ne auferas* Ibid. 13. *a me;* et, *Spiritu principali confirma me.* Ibid. 14. Rursusque ait : *Quo ibo a spiritu tuo? et* Ps. cxxxviii, 7. *quo a facie tua fugiam?*

Denique, de æterna Filii Dei generatione, in libro Proverbiorum Salomonis sic scriptum est : *Dominus possedit me in* Prov. viii, 22-25, 27, 29, 30. *initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Ante colles ego parturiebar. Quando præparabat cœlos, aderam. Quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Et rursus : *Quis*, ait, *ascendit in cœlum at-* Ibid. xxx, 4. *que descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?* Hic Salomon Patrem Deum ejusque Filium palam declarat. Ipsum quoque Filium innuit esse ineffabilem ac incomprehensibilem, sicut et Patrem : quod dici non posset, si Filius finitus esset, minorque Patre, creaturave paterna.

Præterea, confessioni christianæ de unitate trinitateque Dei, ipse utique modus loquendi Prophetarum et legis uberrime consonat : ut quod audivit Isaias Sera- Is. vi, 3. phim ter Sanctus clamantia. Et David frequenter in eodem versu ter Deum nomi-

Ps. LXVI, 7, 8. nat, sicut dum ait : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Et Za-
Zach. III, 2. charias ait : *Dixit Dominus ad Satan, Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Dominus in te.*

Sunt autem et alia testimonia multa ex canonica veteris legis Scriptura ad idem probandum idonea : quæ omitto. Verumtamen, sicut in isto articulo dicta, ad sequentem proficiunt; sic in ipso dicenda, ad hujus probationem articuli conferunt.

ARTICULUS XX.

Ostensio quod Christus in lege promissus, sit verus Deus, et non, ut Judæi opinantur, homo purus.

Theologus. — Regem Messiam ab origine mundi figuratum itemque promissum, esse omnium rerum Deum ac Dominum, Zacharias propheta pulchre testatur,
Zach. II, 8, 10, 11. sic scribens : *Hæc dicit Dominus exercituum : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus ; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui, et scies quia Dominus exercituum misit me.* Ecce hic clarissime dicit sacratissimus vates, Dominum venturum et habitaturum in medio populi sui; et hunc ipsum Dominum ait mittendum a Domino exercituum. Quis ergo est iste Dominus exercituum a Domino exercituum missus, nisi Christus Dei Filius a Patre in mundum legatus? Filius ergo est exercituum Dominus sicut et Pater : et per consequens est Deus verus, quoniam in veteri Testamento nullus invenitur Dominus exercituum appellari, nisi solus Deus.

Præterea, quod Christus sit Deus æternus, atque per assumptam humanitatem apparens hominibus, Isaias ostendit, di-
Is. LII, 6. cens : *Sciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* At vero in Jeremia scriptum
Jer. XXIII, 5. est : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et*
A *suscitabo David germen justum.* Et in hoc Christi declaratur humanitas, quum sit David germen seu filius. Nempe hanc prophetiam Hebræi et Latini de Christo exponunt. Et mox de eodem Christo adjungitur : *Et hoc est nomen quod vo-* Jer. XXIII, 6.
cabunt eum, Dominus justus noster. In Hebræo, loco hujus, Dominus justus noster, habetur nomen Domini Dei tetragrammaton, quod secundum Rabbi Moysen in libro Directionis perplexorum, soli altissimo Creatori appropriatur. Nam se-
B cundum eumdem, significat divinam essentiam mere nudam ac puram, videlicet secundum suas proprietates intrinsecas, absque omni relatione seu respectu ad extra. Quum ergo hoc nomine dixerit Propheta Christum vocandum, constat eum verum consistere Deum.

Licet autem quidam Judæorum hanc rationem conantes absolvere, asserant etiam nomen tetragrammaton de aliis quam de Deo vero in Scripturis dici, hoc tamen simpliciter falsum est. Nam quamvis in
C aliquarum rerum appellatione ponatur nomen tetragrammaton, hoc semper est cum aliquo addito : et sic res illæ non nominantur simpliciter nomine Domini tetragrammaton, sed a quodam effectu ipsius. Et hoc non est mirum, quia licet aliquis nostrum Deus simpliciter dici non debeat, dici tamen vocarique potest, a Deo datus, vel, Dominus dedit, aut simili modo.

Alii vero Judæorum affirmant quod in Hebræo non habeatur, Vocabunt, sed, Vocabit, ut sit sensus : Dominus justus no-
D ster vocabit eum, scilicet Christum, ad mundi liberationem. Et sic ipse Christus non vocabitur nomine Dei tetragrammaton, sed ipse Deus eum mittens et vocans. Quod autem responsio ista sit textus corruptio, ex translatione Septuaginta interpretum atque Chaldaica comprobatur. Translatio enim Septuaginta interpretum sic habet quemadmodum Hieronymus transtulit. Sed Chaldaica, ubi nos dicimus, Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster, sic habet : Et hoc

est nomen quod ipsi appellabunt eum, Dominus justus noster. Unde patescit quod nomen Domini tetragrammaton ad Christum referri oporteat.

Amplius, quod Christus sit Deus æternus, homo sanctus, Michæas propheta contestatur : *Mich.* v, 2. *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel ; et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* In hac auctoritate quam omnes de Christo exponunt, describitur Christus egressurus de Bethlehem Judæ, secundum generationem humanam. Cujus æterna quoque generatio designatur, quum dicitur : Et egressus ejus a principio, a diebus æternitatis.

Adhuc autem Christum esse Deum et hominem, ex Isaiæ vaticinio innotescit, *Is.* ix, 6. quum dicit : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hanc autem litteram Judæi moderni corrumpunt, et aiunt quod Hebraica veritas habet, Vocabit, et in fine dici debeat, Principem pacis : ut sit sensus, quod Deus vocabit parvulum istum, Principem pacis, non tamen puer hic Deus vocabitur. Exponunt ergo quidam eorum ista de Ezechia, sub quo maximus triumphus est datus Judæis, occiso Sennacherib Assyriorum rege. (IV *Reg.* xix, 35-37.) Sed huic repugnat quod protinus subditur : *Is.* ix, 7. *Et pacis non erit finis ;* itemque : *Ibidem.* *Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut corroboret illud in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* Quod de solo Christo verum est, in quo regnum David veraciter perpetuatur in cunctis fidelibus atque electis.

Præterea Judæorum perversitas ex translatione Septuaginta interpretum et Chaldaica deprehenditur. In translatione namque Septuaginta interpretum, loco hujus, Et vocabitur, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, etc. ; dicitur, Vocabitur magni consilii angelus. Denique in translatione Chaldaica ita habetur : Infans natus est nobis, et filius datus est nobis, et recipiet super se legem ad servandum eam ; et vocabitur nomen ejus, de ante admirabilis Consiliarius*, Deus, Fortis, permanens in sæcula sæculorum, Messias, in cujus diebus pax multiplicabitur.

* *alias* a facie admirabilis consilii

At vero in psalmo vicesimo tertio de ipso Christo dicitur : Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens ; et post pauca : Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. (*Ps.* xxiii, 8; *Ibid.* 10.) Nulla autem pura creatura simpliciter dici potest, rex gloriæ, Dominusque virtutum, nisi solus Deus. Christus igitur, de quo ista dicuntur, Deus est.

Proinde excellentia divinæ majestatis in Christo, atque humanæ ejus naturæ humilitas, apud Zachariam prophetam præclare tanguntur, quum dicitur : *Exsulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus et salvator.* (*Zach.* ix, 9.) En divina majestas. Sequitur : *Ipse pauper, et ascendens super asinam.* (*Ibidem.*) Ecce humana declivitas. — Et ad idem faciunt quæ in præcedenti articulo habita sunt.

ARTICULUS XXI.

De perpetua atque inviolabili virginitate Christiferæ Matris.

Theologus. — Dum cum Judæis de virginitate Christiferæ Virginis disputamus, hoc nobis in primis ubertim Judæi improperant atque objiciunt, quod multa allegamus ex Prophetis, quæ Prophetæ non dicunt. Et communiter istud quod sacratissimus evangelista Matthæus de Isaia pro Christo allegat, *Ecce virgo concipiet et pariet filium ;* (*Matth.* i, 23 ; *Is.* vii, 14.) dicunt Judæi in Hebræo nequaquam haberi. Siquidem in Hebræo sic dicitur : Ecce haalma concipiet. haalma autem non virginem, sed adolescentulam signat. Adolescentula vero tam pro virgine quam pro corrupta accipi potest. — Denique verba inducta dixit Isaias regi Achaz pro signo liberationis sibi futuræ.

Signum autem signatum præcedit. Sed conceptio Jesu ex Maria multis annis post mortem Achaz effecta est. Non ergo de conceptione Jesu Nazareni locutus est hic propheta Isaias. — Alia etiam multa objiciunt, quæ christiani doctores sufficienter solverunt.

PHILOSOPHUS. — Horum solutionem audire concupio.

THEOLOGUS. — Quidam ex nostris inter Judæos conversati sunt, et in eorum idiomate docti fuerunt. Respondent quod HAALMA dicitur ab ALAM, quod Hebraice absconsionem significat. HAALMA ergo absconditam, maxime si hæc littera, H, præponatur, designat. Itaque, quum dicitur, Ecce HAALMA concipiet et pariet; sensus est : Ecce juvencula hominum adspectibus abscondita, sic quod de ejus pudicitia ac integritate dubitandum non est, concipiet et pariet. Talis autem est virgo Maria. Ideoque evangelista Matthæus omni gratia Spiritus Sancti plenior quam Isaias, non tam verba quam mentem Prophetæ in luce Spiritus Sancti cognoscens, optime allegavit : Ecce virgo, etc. — Ad aliud respondetur quod duplex est signum, scilicet prognosticum futuri, et rememorativum præteriti. De signo rememorativo hæc Propheta locutus est. De tali signo in Exodo dicitur, Dixit Dominus Moysi : Hoc habebis signum quod miserim te : quum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. *Exod.* III,

Porro, quod scriptura hæc de Christo intelligi debeat, hinc innotescit quod sequitur : Et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Emmanuel autem interpretatur, nobiscum Deus : quod soli Christo proprie convenit, quippe in quo natura divina atque humana in unitate personali conjunctæ sunt. *Matth.* I,

Adhuc autem, Christum de virgine nasciturum Jeremias ita prædixit : *Creavit* (vel fecit) *Dominus novum super terram : Mulier circumdabit virum.* In quo Propheta rem prorsus insolitam prophetavit futuram. Quod aliter impleri non potuit, *Jer.* XXXI,

A nisi quod virgo non inter ulnas, sed intra virginei uteri claustra ac limites, Jesum Christum concepit : qui a conceptionis instanti vir dicitur, non protensione annorum, sed ratione scientiæ ac perfectione virtutum.

Denique in psalmo septuagesimo primo, qui secundum glossam Hebraicam, de rege Messia conscriptus est, ita de Christo dicitur : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* *Ps.* LXXI, 6.

PHILOSOPHUS. — Quid probas ex hoc ?

B THEOLOGUS. — In libro Judicum, de Gedeone habemus quemadmodum eo petente, vellus madefactum est, terra sicca manente; rursusque eodem precante, terra adaquata est sub vellere sicco durante. Videns ergo Psalmographus Christum materni ventris intima ingressurum, ventre illæso ac integro, sicut vellere non irrigato, sub vellere terra compluta est; ita prædixit : Descendet sicut pluvia, etc. *Judic.* VI, 36-40.

Amplius autem, integritas Matris regis Christi per Ezechielem figuratur, dum di-

C cit Propheta : *Porta hæc clausa erit, et non aperietur, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa.* Hæc quippe porta est virgo Maria, in quam Deus Dei Filius, Deus Israel, introivit, atque de ea inviolata ad salutem procurandam humanam egressus est. — At vero Nicolaus de Lyra allegat Rabbi Barachiam dixisse : Deus benedictus et sanctus ait Israeli : Vos dixistis coram me : Pupilli facti sumus absque patre. Ecce redemptor quem ego suscitabo ex vobis, *Ezech.* XLIV, 2. *Thren.* V, 3.

D sine patre erit, videlicet in terra, quemadmodum sine matre in cœlo.

Præterea, in Zacharia scriptum est de Deo : *Ecce ego adducam servum meum Orientem.* Translatio Chaldaica habet, Messiam : unde elucescit quod de Christo loquitur præsens auctoritas. Sequitur : *Ecce ego cælabo sculpturam ejus,* id est, formabo corpus illius sine semine cooperationeque viri ; *et auferam iniquitatem terræ illius in die una,* id est in die passionis Messiæ. Hæc est dies Parasce- *Zach.* III, 8. *Ibid.* 9.

ves, in qua abstulit Christus facinora A
mundi.

Insuper, in Levitico Moyses scripsit :
Lev. XII, 2, 6, 7. *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Quumque expleti fuerint dies purificationis, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ*, etc., *et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino.* Si ergo Moyses non prævidit virginem parituram, cur addidit, Suscepto semine, quum ait, Mulier si pepererit? Nisi enim Christum insolito more de virgine nasci- B
turum prævidisset, non addidisset, Suscepto semine.

ARTICULUS XXII.

Testimonia veteris legis de Eucharistiæ sacramento.

Theologus. — Porro, quod rex Messias, Christus Dei electus, fidelium cibus esse deberet sub Sacramento altaris, psalmo septuagesimo primo pulchre prophetatum C
conspicimus. Hic enim psalmus de Christo accipitur, quoniam in exordio ejus, ubi
Ps. LXXI, 2. dicitur, Deus, judicium tuum regi da, glossa Hebraica ait : Iste est rex Messias, de
Is. XI, 1. quo per Isaiam dicitur : Egredietur virga de radice Jesse. Denique plura in psalmo isto scribuntur, quæ nec de Salomone, nec de alio quam Christo intelligi valent :
Ps. LXXI, 5. ut est illud, Et permanebit cum sole et
Ibid. 17. ante lunam ; et postea, Ante solem permanet nomen ejus. In quo etiam Christi divinitas palam exprimitur, præsertim D
Ibid. 11. quum dicitur : Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.

De isto autem rege Messia seu Christo
Ibid. 16. postmodum continetur : *Erit firmamentum in terra, in summis montium.* Hebraica veritas habet : Erit placenta tritici in terra, in capite montium. Cui translatio Hieronymi juxta Hebraicum consonat : Erit, inquiens, memorabile triticum in terra, in capite montium. Et translatio quoque Chaldaica : Erit, ait, oblatio frumenti in terra. Hic aperte signatur quod Christus esset oblatio fidelium, hostia atque sacrificium novæ legis christianique populi : et hoc, sub forma panis triticei, ut modo intuemur impletum. Et quia ista oblatio elevatur in altum, quatenus a populo conspiciatur et adoretur, ideo ait : In capite (seu in summis) montium, id est sacerdotum, qui propter status eminentiam, montes vocantur.

Præterea, in psalmo vicesimo primo, qui juxta ante probata, de Christo conscriptus est, dicitur : *Manducaverunt et* Ps. XXI, 30
adoraverunt omnes pingues terræ; in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. In quo Propheta decore prædixit eumdem Christum qui secundum divinam naturam rite adoratur, fidelis populi escam esse futurum. — De cujus salutiferi cibi edulio denuo ait : *Parasti* Ps. XXII, 5
in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.

Amplius autem hoc ipsum a Zacharia prophetatum videmus. Ait equidem : *Quid* Zach. IX, 17.
bonum Domini, *et quid pulchrum ejus ? nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines.* Quid hic per frumentum electorum, nisi caro Christi, esca scilicet electorum, signatur ? Quid vero per vinum germinans virgines, nisi Christi sanguis, per cujus potationem homines continentes pureque vivunt, accipitur ? Stultum quippe esset litteraliter ista de consueto frumento et vino exponi. Inter hæc enim præcipua bona et pulchra Domini de quibus Zacharias (cujus tota prophetia pulcherrima est) valde nimis profatur, computari non possunt, quum sint corporalia bona et exteriora.

At vero de hac ipsa divinissimæ Eucharistiæ mensa Isaias vaticinans : *Faciet* Is. XXV, 6
(inquit) *Dominus in monte hoc,* id est in monte Sion, *convivium pinguium.* Nam in monte Sion sacramentum istud a Christo institutum est. Potest quoque per montem Sion designari Ecclesia militans, in qua vere fideles corpore Christi et sanguine saginantur.

Præterea, in psalmo septuagesimo septimo sic dicitur : *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.* (’s. LXXVII, , 25.) Quamvis autem versiculi hujus pars prima, de manna materiali dato Israeli queat intelligi ; pars tamen secunda, de Verbo ac Filio Dei Christo altissimo verissime sumitur. Ipse enim angelos reficit, sustentat, et felicitat ; ipse quoque modo fideles corpore suo et sanguine spiritualiter alit et roborat. Neque de alio quam de Christo, verba inducta ad litteram accipi possunt. Vidit namque Propheta in lumine Spiritus Sancti, quemadmodum manna illud figura exstitit hostiæ salutaris quam veri Israelitæ, id est boni Christiani, manducaturi erant, nuncque manducant. Ideo, quum dixisset de re gesta, Panem cœli dedit eis ; de futuro per modum præteriti, propter certitudinem prophetiæ, protinus prophetavit, Panem angelorum manducavit homo.

Insuper, de bonitate cibi Eucharistiæ Rabbi Moyses in persona Dei sic ait : Inclinabo ad eum (id est populum Israeliticum) escam bonam et suavem, cui non est alia similis : de qua in Psalmo dicitur, Erit placenta frumenti in terra. (s. LXXI, 16, xta Hebr.)

Philosophus. — Pulchre satis mihi probasti veterum testimonio Scripturarum, ea quæ de Eucharistia a nobis superius studiose discussa sunt. Indeque glorior, quod ea quæ Judæi tam absurda æstimant, tam evidenter ex eorum lege a Christianis probantur.

ARTICULUS XXIII.

Cur Christianos movere non debeat, quod Judæi in sua perfidia perseverant.

Theologus. — Ecce ut modo audisti, omnia quæ christiana fides complectitur, ex legis ac Prophetarum Scripturis efficaciter comprobantur : præsertim quum ea quoque quæ propter incomprehensibilitatem suam Judæos a fide orthodoxa avertunt, nunc clare probata sint, ut sunt (A) trinitas Personarum, Dei incarnatio, integritas Matris, Eucharistiæ veritas : quæ omnia multo utique plenius fortiusque ex Scripturis veteribus queunt ostendi, quam modo ostensa sint.

Philosophus. — Satis mirandum videtur, quod quum ita sit, cur Judæorum doctores tam inconvertibiles sint ad fidem.

Theologus. — Hoc te movere non debet, ut jam ubertim tibi probavi. Siquidem omnia quæ de superbeatissima atque in æternum superbenedictissima ac su- (B) peressentialissima Trinitate, de Verbi incarnatione, de Virgine matre, de Sacramento altaris, itemque de aliis credenda sunt, multo clarius atque diffusius in Scriptura canonica novæ legis habentur, quam in codicibus veteris legis. Nihilo minus plurimi qui christianum nomen sibi adscribere præsumpserunt, ista negaverunt. Alii Deum esse trinum in personis negabant, ut Arius et Eunomius. Alii Spiritus Sancti divinitatem fateri spreverunt, ut Macedonius. Alii Patrem, Filium, et Spiri- (C) tum Sanctum, unam esse personam asseruerunt, ut Sabellius. Alii Christum Deum esse non admiserunt, ut Photinus. Alii eum habuisse corpus humanum credere renuerunt, ut Manichæus. Alii ei rationalem animam subtraxerunt, ut Apollinaris. Alii ex natura divina itemque humana, unam in Christo constare ac resultare naturam, ausi sunt asserere, ut Eutyches. Alii personam Verbi per modum cujusdam specialis inhabitationis per gratiam in Christo fuisse dixerunt, ut inimicus Dei (D) Nestorius. Alii Matrem Christi virginem esse non crediderunt, ut damnatissimus ille Helvidius. Quidam insuper Christum in hostia consecrata, non substantialiter, sed velut in signo consistere affirmaverunt, ut Berengarius, qui tamen resipiscens pœnituit. Et omnes isti novi Testamenti Scripturam pro suo errore exposuerunt. Ideoque mirum non est, si Judæi Scripturam veteris legis pro perfidia sua defendenda aliquo modo exponere valeant.

Sed illorum sine discrimine expositioni

consentimus, quorum Deus vitam, verba et opera approbat atque mirificat. Et qui istorum sectantur vestigia, hi sunt viri beati, quos Deus gloriosus et verus signis suis clarificavit, Ecclesiaque Romana canonizavit.

Enimvero introducerem de novo Testamento fidei christianæ testimonia ; sed quoniam tota ejus Scriptura his plena est, et quia nunc valde ex longissima hac disputatione lassati sumus, rogo ut mihi parcas.

PHILOSOPHUS. — Merito parco, neque laboribus tuis condignas rependere gratias queo. Quod vero mihi præterea ad informationem ac salutem necessarium est prosequi, precor, ne tædeat.

THEOLOGUS. — De vita et miraculis Jesu Christi Sanctorumque ejus, in sequenti tractatu, prout neophyto expedire et sufficere arbitror, me dicturum spopondi : quod Christo præstante, mox prosequar. Veruntamen in primis testimonia quædam de Domino nostro rege Messia, tam Judæorum quam gentilium, introducam.

ARTICULUS XXIV.

Testimonia Philonis et Josephi ac Rabbi Moysis Judæorum, Poetæ quoque atque Sibyllæ gentilium, de Domino nostro Jesu Christo.

THEOLOGUS. — Contestante beatissimo nostro Hieronymo, Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores Ecclesiæ computatur, quoniam librum de prima Ecclesia Christianorum apud Alexandriam, id est de vita discipulorum B. Marci evangelistæ, conscripsit : in quo laudem nostrorum eleganter prosequitur, utpote quod orationi vacent, psalmis, lectioni, et continentiæ. Scribit in libro eodem, quod non solum apud Alexandriam, sed in aliis pluribus locis, tempore suo Christiani exstiterint ; eorumque habitacula, monasteria vocat. Hic eruditissimus Judæorum Philo

A Romam adveniens, B. Petro locutus est, ejusque amicitiam habuit, et ob id librum de laudibus discipulorum S. Marci, discipuli Petri archiapostoli, edidit.

Compegit præterea alios pene innumerabiles præclarissimos libros : quorum titulos, libro de Illustribus viris, Hieronymus exprimit. Fecit autem librum de apostolicis viris, quem de Vita contemplativa inscripsit, eo quod semper cœlestibus inhient, Deumque incessanter exorent. Quum ergo vir talis ac tantus, Christi ministros B tantis prosequitur laudibus, quid aliud agit, nisi Christi fidem legemque approbat ? Non est enim servus major domino suo. *Joann.* XIII, 16.

PHILOSOPHUS. — Tanti viri (præsertim quum Judæus fuerit) testimonium valde reor credibile.

THEOLOGUS. — De hoc ipso Philone apud Græcos vulgariter dicitur : Aut Plato Philonem sequitur, aut Philo Platonem. Tanta est equidem eloquentiæ ac sententiarum paritas. Sed quoniam, o Philosophe, con- C tra Judæos disputamus, in quorum lege scriptum agnoscimus, In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum ; audi demum et Josephi de Christo testimonium pulchrum. *Deut.* XIX, 15.

PHILOSOPHUS. — Qualis erat hic Josephus ?

THEOLOGUS. — Judæi libros ejus recipiunt, eumque maximum fuisse historiographum referunt, et multo cum præconio laudant. Denique fidelis noster Hieronymus, in libro de Viris illustribus : Josephus (inquit) Mathathiæ filius, ex Je- D rosolymis sacerdos, a Vespasiano captus, postea Romam advenit. Hic Vespasiano et Tito Romanis imperatoribus carissimus fuit, et ob ingenii gloriam, statuam quoque Romæ promeruit. Hic Josephus septem libros captivitatis Judaicæ compegit ; aliosque viginti libros Antiquitatum, ab exordio mundi usque ad annum tertiumdecimum, Domitiani Cæsaris quartum, edidit. In quorum octavodecimo, Jesum fatetur a Pharisæis propter magnitudinem miraculorum occisum ; Joannem quoque

Baptistam verum fuisse prophetam testatur, atque ob interfectionem apostoli Jacobi, Jerusalem esse destructam.

Porro Domino nostro Jesu Christo testimonium perhibet tale : Eodem tempore fuit Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Judæis quam gentibus habuit sectatores, et credebatur esse Christus.

Philosophus. — Non dicit eum fuisse Christum, sed quod credebatur Christus.

Theologus. — Adverte quid subdat : Quumque invidia nostrorum principum cruci eum Pilatus addixisset, nihilo minus qui eum primum dilexerant, perseveraverunt in fide. Et quando, quare, vel quomodo, pandit hic Josephus, addens : Apparuit autem eis tertia die vivens, hæc et alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus ; et usque hodie gens Christianorum, ab hoc sortita vocabulum, non deficit.

Philosophus. — Hic evidenter fatetur Jesum Nazarenum esse regem Messiam seu Christum.

Theologus. — Utique. Sed ut veritas plenius innotescat, tertium insuper tibi ex Judæis testem adducam. En Rabbi Moyses, nedum excellens theologus, sed et summus philosophus, in libro Judicum ait : Jesus Nazarenus visus est esse Messias, et interfectus est per modum judicii. Et ipse fuit causa unde promeruit Israel ut destrueretur in gladio.

Philosophus. — Nunc de Christo gentilium testimonia profer. Jam enim trium A magnorum ex Judæis testimonia adduxisti virorum.

Theologus. — De Christi nativitate, passione, resurrectione, atque secundo in mundum adventu, Sibylla hoc modo vaticinata est :

Judiciique die, tellus sudore madescet.
E cœlo Rex adveniet per sæcla futurus :
Scilicet in carne præsens, ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celsum cum Sanctis, ævi jam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse.
B Cum jacet incultus densis in vepribus orbis,
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque polumque.
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur; sontes æternum flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur,
Secreta atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris.
Volvetur cœlum, lunaris splendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Jam æquantur campis montes et cærula ponti.
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
C Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni.
Sed tuba tum sonitum tristem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores;
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Reccidet e cœlis ignisque et sulfuris amnis.

Præterea, de Christi admirabili atque insolita nativitate inductis, facundissimus ille poeta concordat, in suis carminibus canens :

Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

D Hæc atque similia ad fidei roborationem ex abundanti adduco.

LIBER OCTAVUS

DIALOGION

DE FIDE CATHOLICA

LIBER OCTAVUS

DE VITA ET MIRACULIS CHRISTI ATQUE SANCTORUM.

PROŒMIUM.

Theologus. — Quum Domino nostro Jesu Christo Judæi de ipso hæsitantes dixis-
ann. xi, sent : Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam ; eis Christus : *Opera,* inquit, *quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me.* Joann. x, 25.

Quia enim Christi miracula omnem virtutem creatam facultatemque naturalem transcenderant, ideo a solo Deo fieri poterant. Deus autem sublimis et adorandus, quum sit essentialiter sanctus, naturaliter verus, atque substantialiter verax, falsitatis nec auctor esse potest nec stabilitor. Hæc ergo miracula, Christi doctrinam confirmant, ejusque fidem ac legem a Deo esse demonstrant. Veritas namque dupliciter innotescit. Primo, per naturalem rationem : et talis est veritas philosophica. Alio modo, per signa soli Deo possibilia : et sic fides divinæque leges probatæ sunt atque firmatæ. Et quoniam divina miracula certiora sunt ratione humana, ideo articulis fidei incomparabiliter fortius assentimus, quam naturalibus quibuscumque scientiis.

Ideo denique, quum alias Christo Judæi
id. viii, blasphemias dixissent, Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non

A est verum ; Christus respondit : Etsi ego *Joann.* viii, 14, 16.
de me ipso testimonium perhibeo, testimonium meum verum est, quia non sum solus, sed ego, et qui misit me Pater. Præterea Spiritus Sanctus est qui testatur I *Joann.* v, 6.
quoniam Christus est veritas. Si ergo secundum Moysis legem, duorum hominum *Deut.* xix, 15.
testimonium verum est, quanto magis testimonium trium Personarum in divinis, Patris videlicet, Filii, et Spiritus Sancti, certissimum est? Nempe tres sunt qui te- I *Joann.* v, 7.
stimonium dant in cœlo : Pater, Verbum,
B et Spiritus. Horum operatio ad extra una est ac indivisa, quoniam hi tres unum *Ibidem.*
sunt.

Philosophus. — Non jam dumtaxat duos, sed plures (ni fallor) quam decem adduxisti testes quod Jesus sit Christus. Siquidem testimonia adduxisti Jacob patriarchæ, Danielis, Aggæi, Zachariæ, Isaiæ, Amos, Osee, Jeremiæ et David prophetarum, et aliorum plurium. Nunc vero testimonia Dei Patris et Spiritus Sancti de Christo Jesu, id est signa atque miracula quibus Deus
C Filium suum clarificavit, agnoscere cupio.

Theologus. — Miror prudentiam tuam, ingenium atque memoriam ; et quoniam non surdo et cæco, sed audienti videntique loquor, delectabiliter loquor.

Philosophus. — Præconia tua non me efferunt, sed humiliorem diligentiorem-

que reddunt : quippe qui experimentaliter cerno meum qualecumque ingenium, magis vero meam scientiam, velut nullius esse momenti tuorum comparatione sapientiæ itemque ingenii. Verumtamen, precor, cœptum prosequere.

Theologus. — Compendiosius quo potero exsequar. Tu vero intentissima mente cuncta perpende. Invenies enim in istis quæ dicam, utriusque in Christo naturæ, divinæ et humanæ, mysteria, id est humanitatis humilitatem, divinitatis quoque majestatem, moderamine quodam subtili, B imo mirabili, insinuari.

ARTICULUS I.

De Præcursore atque baptista præconeque Christi.

Theologus. — Non solum de Christo, sed et de beatissima ejus Genitrice, Præcursore, Apostolis atque Ecclesia, Prophetæ locuti sunt. Ut ergo Scripturam de Christi C Præcursore prædictam, in Jesu impletam ostendam, de Joanne Baptista paulisper effabor.

Igitur de Christi præcone adventuque Christi, apud Malachiam scriptum est :
Malach III, 1. *Ecce ego mittam angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Porro, de eodem Christi
Is. XL, 3. prænuntio Isaias vaticinans : *Vox,* inquit, *clamantis in deserto, Parate viam Domi-* D *ni, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Hæc in præcursore Jesu Christi impleta cognoscimus.

Philosophus. — Unde id probas? Et quomodo de homine dictum est, Ecce ego mittam angelum? etc. Igitur de isto homine qualiter vixerit doce me.

Theologus. — Quidquid de eo dicam, in
Luc. I, 11 *et seq.* Evangeliis scribitur. Patri ejus Zachariæ angelus Gabriel in templo apparens, intimavit quod de uxore sua filium gigneret A qui in utero matris Spiritu Sancto impleretur, atque ante Christum in virtute Eliæ præcederet. Cui quum Zacharias non crederet, eo quod uxor sua sterilis esset, propter incredulitatem suam in signum mutus mox factus est, donec puer nasceretur promissus. Egrediens ergo Zacharias de templo, populo exspectanti loqui non potuit. Nato autem Joanne, loquelam recepit, et de Christo pulcherrime prophetavit.

Hic Joannes in utero matris exsultavit *Luc.* I, 41.
ad Mariæ matrem suam visitantis præsentiam, sentiens et per Spiritum Sanctum (quo in utero plenus fuit) agnoscens Christum adesse. Natus autem desertum in- *Matth.* III, 1.
gressus est. Eratque vestitus pilis cameli, *Ibid.* 4.
habens circa lumbos zonam pelliceam. Cibus quoque ipsius erant locustæ et mel silvestre. Quumque propter eximiam suam sanctitatem (non propter miracula, quia signum nullum fecit) ab omnibus Christus *Joann.* X, 41.
crederetur, testimonium perhibuit Domi- *Ibid.* I, 19 *et seq.*
no Jesu, illum esse Christum contestans, se vero dignum non esse corrigiam calceamentorum ejus absolvere asserens. Demum propter justitiam ab Herode occisus *Marc.* VI, 17 *et seq.*
est, et martyr effectus. Hunc verum fuisse prophetam Josephus ait : Hic Joannes et angelicam duxit vitam, virgo permansit, Christumque nuntiavit ; angelus appellatur.

ARTICULUS II.

De conceptione et nativitate vitaque Christi, usque ad annum suum tricesimum, quo prædicare exorsus est.

Theologus. — Gabriele Archangelo nun- *Luc.* I, 26 *et seq.*
tiante, virgo Maria Christum Dei Filium illibata concepit, sine gravamine tulit, et in Bethlehem Juda, secundum prophetiam *Ibid.* II, 4, 7; *Mich.* V, 2.
Michææ, sine dolore, cum ingenti lætitia, integerrima peperit. Præterea, sub nativitatis Christi hora, angelus Dei pastoribus *Luc.* II, 8 *et seq.*
Christum esse natum dixit, et subito illo loquente, facta est multitudo cœlestis exer-

citus laudantium Deum. Pastores vero venientes in Bethlehem, omnia invenerunt, et Christi nativitatem palam testati sunt. Qui A
Luc. II, 21. die octava circumcisus est. Tertiadecima
Matth. II, 1 *et seq.* autem die tres reges ad eum adorandum stella ducente ab oriente venerunt; cumque in vili stabulo devotissime adorantes, aurum regi, thus Deo, myrrham mortali, obtulerunt.

Luc. II, 22 *et seq.* Deinceps diebus purgationis secundum legem impletis, obtulit Mater virginea infantulum Jesum in templo. Et ecce Simeon senex, timoratus et justus, qui responsum accepit a Deo non se moriturum B nisi Christum præsentem videret, venit in templum, et infantem complexus, testimonium Christo perhibuit. Sed et Anna prophetes, die ac nocte Deo in templo orationibus et jejuniis serviens, ipsa hora adveniens, Christum cognovit, et de ipso cunctis locuta est.

Post hæc, quum vellet Herodes Jesum
Matth. II, 13. occidere, jussit angelus Joseph sponso Mariæ itemque nutritio Jesu, ut matrem cum
Ibid. 19-23. puero in Ægyptum transferret. Defuncto C autem Herode, angelo præcipiente reversus est, habitavitque cum Maria et Jesu
Luc. II, 40. in Nazareth urbe Galilææ. Puer quoque Jesus crescebat plenus sapientia, virtute,
Ibid. 42 *et seq.* et gratia. Porro, quum factus esset Jesus annorum duodecim, a parentibus in templo inventus est in medio doctorum, audiens et interrogans illos, qui universi super prudentia ac responsis ipsius mirati sunt. Et tunc descendit cum matre sua et Joseph in Nazareth, et erat subditus ipsis. D

Quid vero a duodecimo anno usque tricesimum fecerit, Evangelistæ non docent; sed hoc certum tenemus, quia ex tunc fecit quod postmodum docuit. Et Lucas
Ibid. 52. ait : Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines. Quod de usu sapientiæ et operatione gratiæ et de cognitione experimentali intelligi par est : quia ut ante innotuit, nunquam purus viator exstitit, sed ab exordio comprehensor fuit.

ARTICULUS III.

De vita et miraculis Christi.

THEOLOGUS. — Porro, triginta circiter annos habens, Jesus a Joanne Baptista baptizari dignatus est. Dedit autem Deus Joanni signum, dicens : Super quem videris Spiritum descendentem, ipse baptizat in aqua et Spiritu Sancto. Itaque, Jesu baptizato, cœli aperti sunt, et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus dilectus in quo mihi complacui. *Luc.* III, 23. *Joann.* I, 33. *Luc.* III 21, 22; *Matth.* III, 16, 17.

PHILOSOPHUS. — Audierant ista et viderant omnes qui aderant, vel solus Joannes?

THEOLOGUS. — Aliis ista ostensa non sunt. Primus enim Christi adventus quasi in abscondito fuit.

PHILOSOPHUS. — Prosequere.

THEOLOGUS. — Baptizatus Jesus ductus est a Spiritu in desertum. Quumque quadraginta diebus et totidem noctibus jejunasset, postremo esuriit, et mox a Satana est tentatus. Erat autem in deserto cum bestiis, et angeli ministrabant ei. Videns autem Joannes Baptista Jesum ambulantem, dixit : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. *Matth.* IV, 1 *et seq.* *Marc.* I, 13. *Joann.* I, 29, 36.

Præterea signum primum Domini Jesu erat quod in nuptiis aquam in vinum convertit. Postea filium reguli morti proximum, solo imperio absens curavit. Insuper virum, triginta et octo annos in infirmitate habentem, jacentem in porticu Jerosolymis cernens, dixit ei : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. Qui subito sanatus, videntibus cunctis, fecit sic. Porro quum eum viri urbis suæ Nazareth præcipitare vellent, ipse transiens per medium illorum ibat, utpote illis invisibilis factus, et de eorum manibus insensibiliter elapsus. *Ibid.* IV, 46 *et seq.* *Ibid.* V, 1 *et seq.* *Luc.* IV, 29, 30.

Quum autem dæmon per os hominis ad Jesum clamasset, Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? scio te, quia sis Sanctus Dei; respondit Jesus : Obmutesce, et exi *Ibid.* 33-35.

Luc. IV, 38, 39. ab eo. Et statim exivit. Socrum quoque A Petri a febribus imperando repente cu- *Ibid.* 40. ravit. Quumque sol occidisset, omnes qui habebant infirmos, adduxerunt eos, et cu- *Ibid.* 41. ravit. Exibant quoque dæmonia multa, clamantia : Tu es Filius Dei. Jesus vero prohibuit ea.

Matth. VIII, 2, 3. Præterea, quum dixisset leprosus ad Jesum, Domine, si vis, potes me mundare; ait Jesus : Volo ut munderis. Et re- *Marc.* II, 3 *et seq.* pente mundatus est. Sed et paralyticum a quatuor in lecto allatum, hoc modo sanavit : Tibi (inquiens) dico, surge, tolle B lectum tuum, et vade in domum tuam. Et fecit sic, cunctis videntibus, timentibus, *Matth.* XII, 13. obstupescentibus. Denique in synagoga homini cujus dextera arida fuit, dixit : Extende manum tuam. Quo extendente, manus ejus restituta est.

Philosophus. — In omnibus his magis admiror atque extollo modum agendi, quam opera ipsa, utpote quod tam imperialiter tamque repente hæc egit.

Theologus. — Juste moveris. Verumta- *Ibid.* IV, 23-25; *Marc.* III, 7, 8. men majora mox audies. Circumibat ergo C Jesus totam Galilæam, docens in synagogis, et sanans omnem languorem in populo. Abiitque opinio ejus in totam Syriam, et afferebant ei omnes male habentes, dæmoniacos, lunaticos, paralyticos, atque diversis tormentis et morbis oppressos ; et curavit omnes. Multa igitur turba de Judæa, de Galilæa et Jerusalem, ab Idumæa quoque et de trans Jordanem, et qui circa Tyrum et Sidonem, secuta est Jesum.

Matth. VIII, 13. At vero servum centurionis agonizan- D tem, solo imperio Jesus absens curavit. *Ibid.* 23-26; *Marc.* IV, 36-39. Quum autem in navicula cum discipulis esset, tempestas maxima orta est, ita ut navis operiretur gurgite fluctuum. Jesus autem consurgens increpavit ventum et mare, dicens : Tace et obmutesce. Et su- *Luc.* VII, 11-16. bito siluerunt. Amplius autem veniens Jesus prope oppidum Naim, defunctum filium unicum viduæ, quem ad sepulcrum duxerunt, resuscitavit dicens : Adolescens, tibi dico, surge. Quo reviviscente, universi magnificabant Deum. Ejecit demum *Marc.* V, 2 *et seq.* de uno homine dæmonum legionem.

Porro, quum ad resuscitandum filiam *Ibid.* 24-34. Jairi archisynagogi transiret, mulier quæ duodecim annis profluvium sanguinis passa fuit, ex contactu vestimenti Domini Jesu curata est. Filiam vero viri defun- *Ibid.* 37-43. ctam, præsentibus ejus parentibus ac tribus Apostolis, levavit dicens : Puella, tibi dico, surge. Et timuerunt timore maximo. Præcepitque Jesus ut nemini dicerent, et ut puellæ cibum afferrent.

Præterea venerunt ad Jesum duo cæci ; *Matth.* IX, 27-30. et ait eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis? Et illi : Utique, Domine. Jesus vero respondit : Secundum fidem vestram fiat vobis. Et confestim viderunt. Post hæc, hominem mutum ac dæmonia- *Ibid.* 32, 33. cum a dæmone liberavit, et loquelæ restituit. Insuper oblatus est ei dæmonium *Ibid.* XII, 22. habens, mutus et cæcus. Curavit utique eum Jesus, ita ut loqueretur et videret.

ARTICULUS IV.

Prosecutio de miraculis atque prodigiis Christi discipulorumque ejus.

Theologus. — Denique, nedum Dominus Jesus, sed et discipuli ejus signa fecerunt. Misit enim duodecim Apostolos, *Matth.* X, 1 *et seq.* etiam ante passionem suam, dicens : Euntes, prædicate regnum Dei ; infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite. Designavit quoque *Luc.* X, 1, 17. et alios septuaginta duos, et misit illos binos et binos ante se : quibus dæmones in nomine Jesu subjecti sunt. Dixitque illis Jesus : Ecce dedi vobis potestatem *Ibid.* 19. calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.

Philosophus. — Hanc potestatem tradidit eis nondum passus ?

Theologus. — Utique. Quid autem post passionem tradiderit, postmodum pandam.

Philosophus. — Opera Christi prosequere.

Matth. XIV, 17-21. Theologus. — Satiavit præterea de quinque panibus duobusque piscibus, quinque millia virorum, præter mulieres et parvulos. Quibus pastis, duodecim remanserunt cophini fragmentorum.

Philosophus. — Quomodo potuit hoc fieri ? Non enim habebant panes illi et pisces unde tot satiarentur, vel certe unde tot cophini replerentur.

Theologus. — Sine multiplicatione panum ac piscium factum non est. Porro
Thom. p. I, q. 92, a. 3. probabilius reor, et Thomas sic sentit, quod multiplicatio ista aliter facta non est nisi per creationem. Non enim per rarefactionem effici valuit.

Philosophus. — Placet responsio. Nunc procede.

Theologus. — Post hæc, discipulis na-
Matth. XIV, 25, 32. vigantibus, venit Jesus ad eos quarta vigilia noctis, ambulans super aquas ; intro-
Ibid. 34-36. ivitque navim. Quum autem venisset in terram Genesar, miserunt viri loci illius in universam regionem pro cunctis infirmis; et quicumque vel fimbriam vesti-
Ibid. XV, 28. menti ejus tangebant, sanati sunt. Curavitque insuper filiam mulieris Chananææ
Ibid. 29, 30. a dæmone. Dum autem sederet Jesus in monte, projecerunt turbæ ante pedes ejus mutos, claudos, cæcos, debiles, et alios multos. Ipse vero universos curavit. At
Ibid. 36-38. vero altera vice satiavit Dominus Jesus de septem panibus ac paucis pisciculis, quatuor millia hominum, extra mulieres ac parvulos.

Philosophus. — Stupor opprimit me in auditu prodigiorum istorum.

Theologus. — Operatio manifestat ope-
Ibid. XVII, 1 *et seq.* rantem. Adhuc autem post hæc, transfiguratus est Jesus in monte sancto coram Petro, Joanne et Jacobo ; et resplenduit facies ejus ut sol, vestimentaque ejus alba facta sunt ut nix. Apparuerunt autem Moyses et Elias cum eo de his quæ sibi futura erant loquentes. Quos quum nubes lucida obumbraret, facta est vox de nube dicens : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ; ipsum audite. Moyses demum et Elias intraverunt in nubem ; et Jesus ad discipulos rediens, præcepit ne visionem ante suam resurrectionem alicui panderent.

Præterea curavit lunaticum dæmonia- *Matth.* XVII, 14, 17.
cum in ignem et aquam ubertim cadentem. Illuminavit insuper duos cæcos, de *Ibid.* XX, 29-34.
Jericho exiens. Quum autem maledixisset *Ibid.* XXI, 19.
arbori fici, protinus aruit. Rursus, in synagoga mulierem contractam et inclina- *Luc.* XIII, 10-13.
tam, nec potentem sursum adspicere, octodecim annos in infirmitate habentem, sanavit dicens : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Curavit interea in domo *Ibid.* XIV, 1 *et seq.*
Pharisæi hydropicum. Quum autem ingre- *Ibid.* XVII, 12-14.
deretur Jesus castellum, decem leprosos ad se clamantes, verbo suo curavit. Amplius autem hominem a nativitate cæcum *Joann.* IX.
illuminavit ; et Lazarum quadriduanum *Ibid.* XI.
defunctum resuscitavit.

Porro, non diu ante passionem Jerusalem veniens, dixit ad Patrem : Pater, clarifica *Ibid.* XII, 28, 29.
nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo, quam et turbæ audierunt. Quidam vero dicebant : Angelus ei locutus est. Aliqui autem putabant factum esse tonitruum. Multa quoque quæ scripta non sunt, fecit *Ibid.* XX, 30; XXI, 25.
Dominus Jesus.

Philosophus. — Certum mihi est omnia hæc non nisi divina virtute fieri potuisse ; tantaque scripta sunt quæ merito ad fidem sufficiunt.

ARTICULUS V.

De passione, resurrectione, ascensione Christi.

Theologus. — Passionem suam Christus *Matth.* XVI, 21; XVII, 21; XX, 17-19; XXVI, 2.
discipulis frequenter prædixit. Porro jam capiendus ab impiis, quum eum capere vellent, mox ut eis dixit, Ego sum quem *Joann.* XVIII, 4-6.
quæritis, solo hoc verbo prostravit eos : ceciderunt namque retrorsum in terram. Sed et auriculam maligni Malchi abscissam, loco suo sanam restituit. Ceperunt *Luc.* XXII, 50, 51. *Joann.* XVIII, 12.
ergo eum Judæi, et turpissima atque dirissima eum morte interemerunt, quemadmodum Prophetæ prædixerunt. Nempe flagellatum, spinis coronatum, cruci circa *Mat.* XXVII, 26, 29, 35.

[*Matth.* XXVII, 45.] sextam horam affixerunt. Quo suspenso, [A] a sexta hora factæ sunt tenebræ super universam terram, usque in horam nonam.

Philosophus. — Sæpe obscuratio solis naturaliter accidit.

Theologus. — Eclipsis ista omnino supernaturalis exstiterat : quod non solum ex epistola magni Dionysii ad Polycarpum, sed ex aliis quoque historiis innotescit. [*Ibid.* 46, 50. *Luc.* XXIII, 46.] Præterea, circa horam nonam clamans voce magna Jesus, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, exspiravit.

Philosophus. — Ille (ni fallor) clamor supernaturalis fuit. Nam in agone, non est potestatis humanæ alte clamare; et eum qui tali morte morosa occiditur, naturale est vix posse vocem formare.

Theologus. — Rite consideras. Enimvero [*Marc.* XV, 39; *Luc.* XXIII, 47.] centurio qui aderat, consideratione tua inductus, quum vidisset Jesum sic exspirare clamantem : Vere, inquit, Filius Dei erat iste, hic homo justus erat. Sciverat equidem naturalem non esse clamorem hujusmodi.

Philosophus. — Si quæ alia acciderunt in passione Christi miracula, pande.

Theologus. — Mox ut Jesus spiritum [*Matth.* XXVII, 51-53.] tradidit, velum templi scissum est a summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa Sanctorum qui dormierunt corpora, cum Christo die tertia surrexerunt, venientesque in Jerusalem post resurrectionem Christi, apparuerunt multis.

Philosophus. — Cuncta, ut cerno, Christo compassa sunt.

[*Act.* X, 40.] Theologus. — Tertia die Christus resurrexit; [*Ibid.* I, 3 *et seq.*] die autem quadragesima in cœlos ascendit. Porro infra has dies Christus sæpe discipulis suis apparuit, in multis argumentis et experientiis se illis vivum ostendens. Et sicut ex Evangelio constat, [*Marc.* XVI, 9; *Matth.* XXVIII, 9; *Luc.* XXIV, 34; *Marc.* XVI, 12; *Joann.* XX, 19.] tertia die, id est die paschali, quinquies suis apparuit : primo, Mariæ Magdalene; secundo, mulieribus; tertio, Petro; quarto, duobus discipulis in castellum Emmaus euntibus; quinto, undecim discipulis. Post hæc rursus ante ascensionem quinque apparuit vicibus : primo, Apostolis, præsente Thoma, die octava; [*Joann.* XX, 26; XXI, 1 *et seq.*; *Matth.* XXVIII, 16, 17; *Marc.* XVI, 14; *Act.* I, 4 *et seq.*] secundo, septem discipulis piscantibus; tertio, undecim Apostolis in monte Thabor. Quarto, in die ascensionis, primo in cœnaculo, secundo autem in monte Oliveti, suis apparuit.

Et in hac visione novissima, videntibus [*Act.* I, 9-13.] suis, in cœlos ascendit. Qui quum ascendentem mirarentur, adstabant duo angeli consolantes eosdem. Qui reversi sunt in [B] Jerusalem, in locum montis Sion ubi et Christus Cœnam novissimam fecit. Die vero [*Ibid.* II, 1 *et seq.*] quinquagesima, misit eis Dominus Jesus Spiritum Sanctum. Quo recepto, repleti sunt omni fiducia, omni securitate in Deo; locutique sunt omnium linguis, et totius sacræ Scripturæ excellentissimam sunt sortiti notitiam.

ARTICULUS VI.

De mirificentiis Virginis Matris.

[C]

Theologus. — Quid de Christifera Virgine deiformi Maria nunc dicam? De ipsa nempe immensa occurrunt dicenda, et quum brevitati studeam, quid primo dicturus sim prorsus ignoro.

Philosophus. — Utique fide Christi supposita, ratio dictat nil dignum de ejus præconio posse effari.

Theologus. — De ejus miraculis speciales libri conscripti sunt, atque in variis libris multa præclara de ea verissime scri- [D] pta cognoscimus.

Philosophus. — Aliqua tange.

Theologus. — Ipsa magno illi pontifici S. Leoni Papæ manum abscisam restituit : quod et summo quoque illi theologo Joanni Damasceno effecit. Propter eam Theophilus salvatus est. Quoties beatissimis confessoribus Martino, Bernardo, Francisco, apparuit? Sed et istis demum temporibus quibusdam eam apparuisse devotis, non leviter credimus. Miraculorum ejus non est numerus. Mortuos multos

æterna morte damnandos, vitæ restitui a Deo Filio procuravit.

ARTICULUS VII.

De prodigiis Petri archiapostoli.

Theologus. — Non solum in Petro, sed et in aliis pluribus Christus post passionem suam implevit quod ante prædixit : Joann. xiv, 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.

Philosophus. — De ejus operibus doce me.

Theologus. — Primo inducam quæ habentur in Scriptura canonica. Act. iii, 1 et seq.; iv, 22. Hominem quadraginta annorum ex utero matris claudum, in nomine Jesu repente curavit. Ibid. v, 1 et seq. Ananiam ejusque conjugem fraudatores, solo verbo occidit. Et tanta mirabilia in Jerusalem egit, Ibid. 15. ut sparsim infirmos in plateas projicerent, quatenus veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam ex eis : sicque sanabantur.

Philosophus. — Hoc majus mihi videtur quam ea quæ de Christo inducta sunt. Nempe de eo dixisti, quod ex contactu vestium ejus medelam assecuti sint ægri, non tamen quod umbra ejus quemquam curavit.

Ibid. ix, 33, 34. Theologus. — Audi præterea. Æneam paralyticum ab annis octo in lecto jacentem, Ibid. 36 et seq. brevissimo verbo erexit. Devotissimam feminam Tabitham defunctam resuscitavit. Ibid. x, 44, 46. Dum beatissimum Cornelium centurionem cum suis instruxit, descendit super eos Spiritus Sanctus, et loquebantur variis linguis. Ibid. xii, 3 et seq. Ab Herode captum, angelus Dei redemit. Filium Theophili principis Antiochiæ multis annis jam mortuum, suscitasse describitur.

Denique dudum, dum de Simone mago loquebar, Lib. VI, art 16. retuli qualiter Romæ adolescentem defunctum, cunctis cernentibus, vitæ restituit. Quum vero ante judicem judicandus consisteret, vultus ejus miro splendore refulsit. Quumque in cruce pen- A deret, Dominus Deus noster omnipotens fidelibus gloriam Petri ostendit. Cernebant enim angelos cum rosarum liliorumque floribus ei adstantes. Sunt autem et alia insignissima ejus prodigia pene innumera : quæ omitto.

ARTICULUS VIII.

De signis et mirificentiis gloriosissimi Pauli apostoli.

B Theologus. — Paulus noster, vas electionis divinæ, Act. ix, 15. Ibid. i et seq. primo dirissimus exstitit persecutor Ecclesiæ. Quumque ad persequendum Christianos proficisceretur Damascum, in via, comitantibus cum cernentibus, a Christo prostratus est, cœlestique luce circumdatus; et Christo sibi apparente atque loquente conversus est. Hinc, ad tertium cœlum raptus est, et arcana conspexit, II Cor. xii, 2-4. imo et Deum per essentiam, Augustino testante, intuitus est.

Hic tanta miracula in Christi potestate Act. xix, 11. C effecit, ut portarentur super languidos ejus sudaria, et curabantur. Dum contracto dixisset, Ibid. xiv, 7-9. Sta supra pedes tuos, ille protinus se erexit. A venenosissima vipera manu tactus, Ibid. xxviii, 3, 5. viperam in ignem excussit, et illæsus permansit. Eutychum magna ruina exstinctum suscitavit. Ibid. xx 9, 10. Proclum quoque imperatoris Neronis olim pincernam defunctum, ad vitam reduxit. Decollatus, lac emanavit; caputque ejus abscisum, *Jesus Christus* intonuit; atque post mortem, non solum divino Dionysio D et religiosæ mulieri Lemobiæ, sed et Cæsari Neroni apparuit.

Quum viros duodecim baptizasset, descendit in eos Spiritus Sanctus, Ibid. xix, 5-7. et loquebantur variis linguis. Ter naufragium passus, II Cor. xi, 25. a Christo eripitur. Ad increpationem ipsius, Act. xiii 8-11. Elymas magus cæcitate percussus dignoscitur. Cum Sila incarceratus, Ibid. xvi, 23-26. dum in ipsa nocte Christum collaudat, fundamenta carceris mota sunt, refulsitque lumen mirificum in carceris imo, atque ergastuli aperta sunt ostia. Christus ei

frequenter apparuit, et de ineffabilibus A periculis itemque tormentis eum eripuit.

Philosophus. — Raptum illum visionemque divinæ essentiæ, plus omnibus miror.

Theologus. — Vir sapiens es, ideoque quæ veraciter mirabiliora sunt, vehementius admiraris. O Philosophe, de laude atque præconiis hujus inæstimabilis viri quid dicam vix video. Verumtamen de laudibus ejus Joannes Chrysostomus librum edidit vere decorum. Quidquid interea nobis de hierarchiis cœlestibus, de ipsa etiam superjucundissima prorsusque superessen- B tialissima Trinitate Dionysius scripsit, de Pauli fontibus hausit.

Philosophus. — Mira audio.

Theologus. — Opera ejus in angulo facta non sunt. Denique senatus Romanus non mediocriter de eo sensit. Senecæ Platonico Neronis magistro familiarissimus fuit, maximamque partem palatii et militum ejus, non sine summis prodigiis, ad Jesum Deum ac Dominum nostrum universorum utique creatorem convertit.

ARTICULUS IX.

De magnificentiis Joannis evangelistæ atque theologi.

Theologus. — Joannes prædilectus Jesu Christi discipulus, virgo purus, Christiferæ virginis custos idoneus, totius Asiæ fundavit atque rexit Ecclesias. In dolium ferventissimi olei Romæ missus, exivit illæsus. Hic quatuor mortuos suscitavit; margaritas confractas oratione reintegravit; virgas et lapides in optimum aurum convertit, demumque ad pristinam naturam reduxit; templum Dianæ Jovis filiæ, orando prorsus destruxit. Venenum horribile, absque nocumento virtute crucis Christi potavit : de quo quum alii duo bibissent, subito interierunt : quos tamen Apostolus suscitavit. In sepulcro semetipsum sanus locavit, et immenso eum ambiente lumine, obdormivit in Christo; moxque et insuper de ejus monumento velut manna effluxit.

ARTICULUS X.

De mirabilibus Andreæ et Thomæ sacratissimorum apostolorum.

Theologus. — Andreas Petri apostoli frater, totam Achaiam implevit Ecclesiis. Dum domum in qua cum discipulo erat, quidam incendisset ignis, succrescens eis nil nocuit, sed jubente Apostolo, ab ipso discipulo modica undæ adspergine est exstinctus. Dum mulier quædam maligna proprium filium atque Apostolum coram judice falsissime accusasset, ac super eos judex sententiam damnationis protulisset, oravit Christum Andreas : et ecce tonitruum magnum insonuit, terra contremuit, ipsaque mulier cœlitus fulminata aruit atque interiit. Præterea juvenem a canibus suffocatum resuscitavit. Porro quadraginta viros (qui ad eum causa fidei venerant) in mari submersos, quum ad ipsum eorum cadavera essent delata, precibus suis ad vitam reduxit; qui etiam omnia quæ ipsis C acciderant, exponebant.

Philosophus. — Hoc mirabiliter sonat, nec hactenus aliquid a te tale audivi.

Theologus. — Numquid difficilius est Deo suscitare viros quadraginta, quam unum?

Philosophus. — Infinitæ virtuti nihil difficile esse ratio dictat.

Theologus. — Tandem pro Christo ab Ægea proconsule cruci affigitur; sed tanto lumine per mediam horam de cœlo circumdatur, quod eum nemo adspicere D quivit : quo recedente, anima quoque ejus ad Christum ascendit. Ægeam vero diabolus in itinere horrenda nece occidit.

Nunc de Thoma apostolo pulchra adverte. Dum ad Indiæ regem pro construendo palatio tendit, in via filiam regis sponsam cum sponso benedixit. Propter quod Christus Jesus sponso et sponsæ apparuit; demumque ad eos Apostolum januis clausis induxit, qui eos ad fidem Christi convertit : quibus et protinus Dei angeli apparuerunt. Præterea, ad Indiæ regem deveniens,

omnem pecuniam quam pro ædificando palatio sumpsit, pauperibus præstitit : propter quod eum rex occidere voluit. Interim vero, incarcerato Apostolo, frater regis defungitur vita, quartaque die suscitatur : qui regi cuncta narravit, quomodo Thomas Dei amicus consisteret, ipsique regi cœleste palatium ædificasset. Thomas ergo regem et ejus fratrem ac populum multum ad fidem perduxit, atque innumerabiles infirmos ac debiles una vice, cœlesti radiante prosternenteque cunctos luce, sanavit.

Postremo, in superiorem profectus est Indiam, in qua innumeris portentis emicuit. Regis conjugem conjugisque sororem Christo lucrifecit. Solis simulacrum, eo orante, a dæmone qui in ipso latuerat, liquefactum est. Insuper, rege jubente, super ardentes laminas ferreas nudis pedibus stetit; mox vero illico fons erupit, atque illæsus Thomas permansit. Rex ergo incredulus, in fornacem eum ferventem projecit : de qua postera die incorruptus exivit. Tandem gladio cæsus est. Hic beatissimus Christi Apostolus, Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Brachmanis et Indis, fidei veritatem prædicavit.

ARTICULUS XI.

De præclaris prodigiis Philippi et Jacobi.

Theologus. — Quum pagani Philippum ad sacrificandum Marti compellere vellent, egrediens draco, pontificis filium duosque tribunos occidit, ac ceteros fœtore infecit. Dixit ergo Philippus : Statuam istam confringite, et Christum pro ea adorate, quatenus infirmi vestri curentur, et mortui suscitentur. Annuentibus igitur cunctis, Philippus Dei virtute tres mortuos suscitavit, ceterosque sanavit, et draconem abire præcepit : sicque ad Christum conversi sunt. Hic Philippus Scythiam ad fidem deduxit. Habuit vero duas sacratissimas filias virgines prophetissas : in quarum medio pater pro Christo crucifixus quiescit.

Præterea, Jacobus iste de quo modo effamur, Minor vocatus est, comparatione alterius Jacobi, non sanctitate aut gratia, sed vocatione, quoniam posterior a Christo vocatus cognoscitur. Hic Jacobus Jesu Christo, vita, vultu et corpore, conversationis modo ac moribus, tam similis exstitit, tanquam ejus uterinus frater fuisset. Nempe ex utero matris immaculatus permansit; vinum et siceram non bibit, nec carnes comedit; ferrum super caput ejus non ascendit; linea semper veste indutus est; toties die ac nocte in oratione genua flexerat, ut callos in genibus velut in calcaneo reservaret; et virgo perseveravit.

Hic solus propter ineffabilem suam sanctitatem inter Apostolos in Sancta sanctorum ingredi, ab ipsis quoque Judæis permissus est. Denique, ob sanctitatis eminentiam ab omnibus cognominatus est Justus. Tantæ equidem in populo reverentiæ fuit, ut vel fimbriam vestium ejus tangere certatim satagerent. Occiso Christo, se non comesturum devovit, donec a morte Christum resurrexisse conspiceret. Unde et tertia die Christus ei apparuit. I Cor. xv, 7.
Porro, ob suam excellentissimam sanctitatem ab omnibus demum Apostolis honoratus est. Factus est enim Jerosolymorum episcopus, celebravitque primus. Quum vero Christo palam testimonium perhiberet, a Judæis præcipitatus est atque occisus.

ARTICULUS XII.

De illustrissimis Christi apostolis Jacobo et Bartholomæo.

Theologus. — Hic Jacobus Major vocatus est, frater Joannis. Qui licet in vita pauciores ad Christum converterit, pauciora que signa fecerit, post passionem tamen, qua decollatus ab Herode, ad Christum migravit, innumerabiles populi ejus Act. xii, 2.
meritis conversi sunt, et incomparabili

miraculorum honore, a Deo sublimatus exsistit. Quum ad passionem processisset, paralyticum in via curavit. Hermogenem maximum magum convicit atque convertit. Ad Hispanias navigio, sine humano ducatu, corpus ipsius pervenit. Lapis ingens cui superposuerunt discipuli Jacobi corpus ipsius, repente ut cera corpori cessit, atque ad ejus sarcophagum se miro modo aptavit. Ferocissimi et silvestres itemque indomiti tauri, quatenus corpus sanctum curru veherent, mirabiliter mansueverunt. Quo viso, Lupa regina conversa est, et in basilicam Christo et Jacobo proprium palatium dedicavit.

Inter infinita Apostoli hujus miracula quibus sepulcrum ejus in Gallæcia decoratur, duos qui diabolica fraude decepti se ipsos interemerunt, resuscitavit. Peregrinum suum injuste suspensum, triginta diebus in ipso patibulo illæsum servavit, atque eripuit. Alium quoque in se sperantem, de medio ignium liberavit, nec per terram petrosam tractum lædi permisit.

Porro beatissimus Christi apostolus Bartholomæus, ad Indiam, quæ est in fine mundi, veniens, deum terræ illius nomine Astaroth vinxit ; dæmoniacum curavit ; filiam regis lunaticam liberavit ; dæmoni jussit ut idola cuncta destrueret : quo facto, angelus Dei universis circa fanum apparuit, et diabolum quem ante colebant, in horrenda Æthiopis forma ostendit. Tunc rex cum regina et sobole omnique plebe Baptisma suscepit, quia omnes infirmos ab Apostolo curari videbant. Postremo,
* Baldat quum Baldach* deum Astyagis fratris prædicti regis comminuisset, procurantibus pontificibus a rege occisus est. Propterea rex atque pontifices a dæmonibus mox arrepti, continuo mortui sunt.

ARTICULUS XIII.

De stupendis operibus Matthæi evangelistæ, Simonis quoque, et Judæ.

Theologus. — Matthæus apostolus et evangelista vere idoneus, in urbem Æthi-
A opiæ veniens, duos acerrimos magos qui se tanquam deos adorari fecerunt, convicit atque fugavit, regisque filium mortuum suscitavit. Quo viso rex cum regina, prole et populo Baptisma suscepit ; atque ecclesia magna constructa, in ea Apostolus triginta tribus annis sedens, populum docuit, totamque Æthiopiam ad Christum convertit. Iphigeniam quoque regis filiam, Christo consecravit. Quam quum successori regis prædicti in conjugem dare nollet, gladio cæsus est. Rex denique quum Iphigeniam
B virginem ad suum consensum non posset transferre, domum ejus cum ea et suis incendere studuit. Sed B. Matthæus virgini sacræ apparens, flammam de domo excussit : quæ erumpens, regis maligni palatium ita succendit, ut rex cum filio unico vix evadere potuisset. Porro filius a dæmone arreptus, patris confessus est scelera. Pater autem leprosus effectus turpissimus, quum curari non posset, semetipsum occidit.

Præterea, Simon et Judas Jacobi Justi
C confratres, in Persidem venientes, magos quos Matthæus fugavit, in Perside repererunt. Deos Persarum a solitis responsis compescuerunt. Ducem regis Babyloniæ de futura pace certificaverunt. Viros doctissimos a præfatis magis elingues effectos, loquelæ reddiderunt. Ipsisque magis fortiores, serpentes quos magi convocaverunt, in magos projecerunt : quos dire affligi, non tamen mori, permiserunt, imo potius eos curaverunt. Sanati autem, in malitia persiterunt. Unius diei infantis
D testimonio atque loquela, innocentem diaconum a crimine fornicationis sibi imposito liberaverunt. Duas ferocissimas tigrides plurimos occidentes, mansuetas fecerunt. Itaque infra breve tempus, plusquam quatuor millia hominum, demptis mulieribus et pueris, cum rege atque principibus ad fidem Christi conversi sunt.

Tandem in urbem Suanir venientes, a magis prædictis apud pontifices accusati sunt. Tenti ergo, ad templum solis ducuntur. Dæmones vero, orantibus Apostolis

Christi, simulacra templi destruxerunt, atque in Æthiopum horribili forma omnibus apparentes, cum diris vocibus abscesserunt. Pontifices ergo eos interfecerunt; prædictique magi fulguris ictu in carbones conversi sunt.

Denique præclarissima gesta Matthiæ apostoli, Lucæ ac Marci evangelistarum, propter brevitatem omitto.

Philosophus. — De Apostolis mira et pulchra disseruisti ; nec dubito eos ista vel majora fecisse. Quomodo enim aliter idolorum cultum molitum destruxissent, atque ad tam admirabilem fidem mundum convertissent?

Theologus. — Vere consideras. Nunc vero de martyrum gestis pauca adverte.

ARTICULUS XIV.

De stupendis portentis sanctorum Stephani atque Laurentii.

Act. vi,5,8. Theologus. — Stephanus Christi discipulus, septemque diaconorum unus, plenus gratia et fortitudine, faciebat signa
Ibid. 11-15. magna in populo. Quumque in consilio Judæorum falsissime accusaretur, viderunt omnes vultum ejus tanquam angelicum mirabiliter radiantem. Ipse vero dicebat :
Ibid. vii,55-59. Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. Continuo igitur ejecerunt eum Judæi et lapidabant; pro quibus nihilo minus ipse genibus flexis orabat.

Augustinus testatur hunc martyrem post mortem innumeris claruisse miraculis, et septem insuper mortuos suscitasse. Denique anno quadringentesimo quintodecimo, sub Honorio principe, corpus ipsius Gamaliele revelante compertum est. Quo effosso, infirmi septuaginta et tres curati sunt, atque dulcissimus odor dispergitur. Hic martyr Theodosii imperatoris filiam a dæmone liberavit. Et alia multa de ipso Augustinus in libro de Civitate Dei descripsit.

Porro Laurentius martyr, sub Decio Cæsare Romæ passus assatusque est. Ante
A incarcerationem suam cæcum illuminavit. In carcere, gentili cæco oculorum ac fidei lumen impetravit. Præfectum quoque Hippolytum cum omni sua domo convertit. Præterea multos ad se cæcos venientes, remisit videntes. Jubente Cæsare, scorpionibus cæditur, fustibus verberatur, ejus lateribus ardentes laminæ applicantur, plumbatis percutitur, scorpionibus denuo cæditur, novissime in craticula morose assatur. Post paucos dies, Decius a dæmone arreptus indesinenter miserabiliterque
B clamabat : Adjuro te, o Laurenti, a tormentis modicum cessa. Sicque ululando infeliciter obiit. Quo viso, uxor ejus et filia Christo crediderunt.

De hoc sacro Laurentio pene innumera habentur miracula post mortem ejus peracta. Inter quæ hoc unum est, quod eo cum Christifera Virgine Christum orante, Stephanus quidam judex in urbe Roma defunctus, et in peccatis multis deprehensus, ad vitam reducitur, atque triginta dierum pœnitentia facta, in Christo feli-
C citer moritur.

ARTICULUS XV.

De sacratissimo atque amantissimo Christi athleta deiformi Areopagita magno Dionysio.

Theologus. — Nunc, o Philosophe, audi de eo de quo libenter (ut arbitror) audies.

Philosophus. — Quid sibi vult titulus
D iste, et admonitio tam jucunda ?

Theologus. — De summo philosopho ac præclaro architheologo profari intendo.

Philosophus. — Hoc certe avide audire dispono.

Theologus. — Dionysius iste, quem amo, de quo tibi nunc loquar, Atheniensium philosophorum altissimus exstitit, et ob naturalis eminentiam sapientiæ, Theosophus, id est Deum sapiens, a paganis philosophis cognominatus est. Hic, Christo in cruce pendente, in Ægypto exsistens, ecli-

psim solis quæ in die passionis Christi accidit, vidit, et supernaturalem agnovit. Præterea, a Paulo apostolo ad fidem convertitur cum uxore atque universa familia, et in Athenis a Paulo episcopus ordinatur. Dionysius ergo urbem hanc maximamque regionis partem ad Christum convertit.

Huic beatissimo, Paulus secreta quæ homini revelare non licuit, pandit. Unde de superbeatissima Trinitate in libro de Divinis caracteribus, de Divinis nominibus, de Mystica theologia, de Hierarchia angelica, tam profundissime scripsit, ut potius cum Paulo videatur raptus fuisse, quam ab eo hæc didicisse. Scripsit præterea et alia multa.

Denique audiens magistrum suum Paulum Romæ captum, illuc advenit. Cui post sacram necem mox Paulus apparuit. Postmodum a Papa Clemente Parisios mittitur. Ubi quum plurimos ad Christum convertisset, a præfecto capitur, irridetur, colaphizatur, conspuitur, atque durissimis loris ligatur. Hinc vero flagellatur, super cratem suppositis flammis extenditur, sed a Christo confortatur. Inde ad esurientes ferocissimas bestias mittitur; sed eo crucem opponente, mansuetissimæ efficiuntur. Præterea, in clibanum missus, illæsus egreditur. Cruci affixus, diu pro Christo, sed libenter, affligitur. Quum autem in carcere esset reclusus, Christus ei apparuit, sacramque ei communionem donans : Accipe (inquit) hoc, care meus, quia merces tua mecum est magna nimis.

Porro decollatus, caput suum abscisum erexit, atque propriis manibus per duo milliaria ad locum in quo nunc sepultus est, tulit. Illico autem angelorum dulcissimæ melodiæ auditæ sunt.

PHILOSOPHUS. — O beatissimum virum !

THEOLOGUS. — Nosti quod brevitati jam studeo : ideo alia ejus mirabilia prætermitto. Hoc tamen adjicio, quod quum Michael imperator Græcorum, regi Francorum Ludovico, Magni Caroli filio, libros Dionysii transmisisset, decem et novem

A infirmi in ecclesia ejus Parisiis a variis morbis curati sunt.

PHILOSOPHUS. — In hoc Deus sublimis et sanctus doctrinam ejus mirabiliter approbavit ac stabilivit.

ARTICULUS XVI.

De gloria triumphi S. Vincentii.

THEOLOGUS. — Vincentium S. Valerii episcopi diaconum, Dacianus præses in B equuleo suspendi et extendi atque omnibus jussit membris dissipari. Quo facto, dixit Daciano Vincentius : Hoc est quod semper optavi. Tunc carnifices præsidis ferreos pectines usque ad intima costarum fixerunt, sic ut viscera interna paterent, et sanguis undique efflueret. Insuper in craticula assatur, exuritur atque crematur, sic ut viscera ejus exhalarentur. Inter hæc admirabilis martyr manet immobilis, constans, et Christum contemplans ac deprecans. Postremo in teterrimo C carcere ponitur, ligno pedibus ejus affigitur, et super testas acutissimas reclinatur. Sed Christus immenso quodam splendore tenebras fugat ergastuli, testas in flores commutat dulcissimos, pedes ejus solvuntur, angelicorum spirituum melodia diffunditur, et martyr dignissimus angelorum fruens solatio, inter eos super flores deambulat, ipsique Christo hymnum et psalmum decantat. Quum odoris suavitas ac melodiæ dulcedo latius spargerentur, videntes custodes quæ in carce- D re fiebant, conversi sunt.

Post hæc, Vincentius spiritum dedit. Cujus corpus Dacianus in campum projici, atque feris ac avibus devorandum tradi præcepit. Sed angeli ejus pro quo passus est, corpus sacrum custodiunt, et avis ceteris prorsus voracior, alias aves, imo et lupum, a corporis abegit contactu. Quo comperto, Dacianus velut amens effectus, ipsum in mari cum saxo ingenti sibi alligato, mergi mandavit. Sed revelante sacro Vincentio, a quadam devota

matrona et aliis invenitur, et honorifice sepelitur.

PHILOSOPHUS. — Terribilia pro Christo passi sunt martyres.

THEOLOGUS. — Quomodo ergo inter tam immania tormenta fides christiana sic invaluisset, nisi martyres suos Christus signis atque prodigiis ad aliorum instructionem mirificasset ? Porro martyrum invictissima gesta, in variis libris et chronicis diligentissime scripta sunt, nec opus est hic plura induci.

PHILOSOPHUS. — Ad instructionem meam ista sufficiunt, præsertim quum aliis locis de istis plura invenire queam.

ARTICULUS XVII.

De S. Sylvestro mirabilia magna.

THEOLOGUS. — Dum Tarquinius Romæ urbis præfectus, Sylvestrum ad occidendum cepisset, dixit ei Sylvester : Stulte, hac nocte morieris, et æterna tormenta recipies. Quod et factum est. Hunc virum tanta gratia Deus ornavit, ut pagani quoque eum vehementer amarent. Erat nempe adspectu angelicus, sermone nitidus, sanctus opere, prudens consilio, caritate diffusus, pietate repletus.

Hic ergo in Romanum electus est Pontificem, atque Constantinum Magnum convertit ac baptizavit. Sanctam quoque Helenam Constantini matrem, atque doctissimos Judæorum magistros, ratione et signis ad fidem induxit. Taurum ferocissimum mortuum, in Christi virtute suscitavit, et mansuetum effecit. Quo viso, paganorum doctissimi ad Christum sunt conversi. Denique draconem venenosissimum atque horribilem, et quotidie flatu suo venefico plurimos occidentem, ligavit, et ab omni læsione desinere egit. Duosque viros a dracone letaliter infectos, curavit.

PHILOSOPHUS. — Tauri resuscitationem maxime miror, quum anima bruti mortalis sit.

THEOLOGUS. — Recordaris, ni fallor,
A quemadmodum tibi ostendi omnipotentem Deum ea quoque posse eodem numero reparare, quæ prorsus destructa annihilataque sunt, sicut etiam potest unum exsistentium in aliud præexsistens convertere.

PHILOSOPHUS. — Hæc te dixisse oblitus non sum. Hoc tamen soli (ut reor) Deo possibile est. Ideoque istud factum, est christianæ fidei sufficiens argumentum.

THEOLOGUS. — De excellentia tui ingenii ubertim exsulto, et quidquid nunc con-
B clusisti concedo.

ARTICULUS XVIII.

De gloriosis operibus Nicolai atque Martini antistitum.

THEOLOGUS. — Nicolaus Christi antistes dum primo die baptizaretur, erectus in pelvi stetit. Quarta et sexta feria semel dumtaxat suxit ubera. Hic misericordissimus ac liberalissimus exstitit ; et Dei
C revelatione episcopus factus est. Denique vivens in corpore, innumera præclarissima signa, quæ satis publicata sunt, fecit. Quum autem sepultus fuisset, a capite fons olei, a pedibus vero fons aquæ, in multorum medelam languidorum profluxit. Post mortem quoque Deus gloriosus et verus Sanctum suum admirandis mirificavit portentis.

Præterea, beatissimus Christi confessor Martinus ineffabilibus claruit signis.

PHILOSOPHUS. — Aliqua breviter tange.

D THEOLOGUS. — Vivens in corpore, tres mortuos suscitavit, quorum se unus laqueo interemit : quem de inferno Martinus redemit. In igne illæsus permansit. Rursus, quum ignis a vento impulsus domum quamdam incendere inchoaret, Martinus se igni objecit, moxque ignis contra imperium venti retortus ac repercussus abscessit. Denique volens aliquando imperatorem affari, quum sæpe esset repulsus, tandem ignis Dei sellam imperatoris operuit, donec ipse Martino assur-

rexit atque consensit. Alio tempore, arborem dæmoni dicatam hac conditione succidi obtinuit, ut ipse cadentem reciperet. Quum ergo super eum cadere arbor inciperet, ipse crucem opposuit, et arbor in aliam partem reversa est. Osculo suo leprosum curavit. A

Præterea, quum aliquando celebraret, igneus globus super caput ejus apparuit : ideoque par appellatur Apostolis. Sed et Christifera Virgo benedicta Maria, Petrus quoque et Paulus, ei frequenter apparuerunt. Ipse etiam sacer Martinus prophetiæ spiritu claruit, quia et Maximo imperatori de sua morte futura, et Briccio suo discipulo de episcopatu futuro, ac alia multa prædixit. Nemo illum unquam vidit iratum, nemo ridentem, nemo mœrentem. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in corde nisi pietas, pax et misericordia fuit. Porro irrationalia animalia ejus subdebantur imperio. Eo quippe jubente, canes lepusculum insequentes steterunt ; serpens natans reversus est; mergi collecti desertum ingressi sunt. B C

Mortis suæ horam diu prædixit. Quum autem defunctus fuisset, vultus ejus ad instar corporis glorificati resplenduit, atque angelicus chorus psallens a multis in aere exstat auditus. In ipsa quoque hora mortis suæ beatæ, S. Severino Coloniensi episcopo transitus ejus innotuit, quoniam angelicam in cœlo melodiam audivit.

Sed et hoc quoque valde mirabile, quod B. Ambrosius funeri ejus, quo nescio modo, interfuit. Siquidem in ipso Missæ officio quam in ecclesia sua Mediolanensi fecit, obdormiens, quum post trium horarum spatia excitatus fuisset, Martinum fratrem suum dixit migrasse, seque ejus funeri obsequium præbuisse, ultimam tamen orationem propter excitantium festinantiam non potuisse implere. Hæc de multis sic breviter dixerim. Frequenter quoque ei dæmon in specie Jovis, vel Mercurii, vel Minervæ, vicissim etiam in forma Christi, apparuit. Sed ille Spiritu Sancto repletus, falli non valuit. D

ARTICULUS XIX.

De excellentiis sanctissimorum Germani atque Francisci.

Theologus. — Omnia quæ S. Germanus post episcopatum assumptum gessit, supra humanam virtutem exstiterunt. In omni refectione primo cinerem prælibavit, deinceps panem hordeaceum sumpsit. Denique, per triginta annos nunquam panem frumenti, non vinum, neque legumen accepit ; sal tamen dumtaxat pro sapore assumpsit. Talis autem erat ejus vita, ut nisi Deus eam miraculis comprobasset, phantastica apparuisset. Et denuo talia erant ejus miracula, ut nisi vita consonasset, phantastica putari potuissent.

Philosophus. — Aliqua audire de ejus prodigiis affecto.

Theologus. — Quodam tempore, dæmones in hominum specie apparentes adjuravit, ne de loco quo eos invenit recederent donec ipse omnibus eorum fallaciam demonstraret, ipsique se non homines sed dæmones esse clamarent : quod et factum est. Denique vehementissimam maris tempestatem, ter aquam in nomine supersanctissimæ Trinitatis adspergens, cessare obtinuit. Discipulum suum defunctum atque sepultum, monumento aperto, affatus est. Ille ergo defunctus in sepulcro resedit, respondit, et se in hac vita nolle esse perhibuit : quo dicto, rursus quievit.

Insuper, vituli occisi et comesti ossa recolligens, eumdem resuscitavit. Regem indignum regno expulit, et pro eo subulcum instituit. Præterea, alleluia cum suis clamando, fortissimos hostes in fugam convertit. S. Cassianum diu sepultum, ad monumentum allocutus est, dicens : Quid agis, frater Cassiane? Cui ille de tumulo, audientibus cunctis, respondit : Dulci quiete perfruor, et Salvatoris adventum exspecto. Quum a Valentiniano imperatore ejusque matre, condigno esset susce-

ptus honore, Volusiani nobilissimi viri puerum adolescentem defunctum suscitavit. In eodem quoque loco asinum suum quo vehebatur, a morte resuscitans, ab ipso domum delatus est.

Philosophus. — Mira sunt hæc et mirabilia valde, solique Deo possibilia, qui quoniam ista ad corroborationem christianæ fidei effecit, constat eam a Deo donatam.

Theologus. — O Philosophe, adhuc pauca audisti. Verumtamen de quodam simpliciano et illitterato, sed divinitus instituto S. Francisco, qui etiam non diu ante tempora ista defunctus est, quædam de multis ausculta. Hic prophetico spiritu claruit, cordiumque arcana Deo pandente cognovit. Quinque ad minus mortuos, maxime post mortem suam, suscitavit. Et quoniam columbina simplicitate exstitit plenus, omnes creaturas nomine fratris vel sororis vocavit.

Avibus prædicavit, et velut rationis essent capaces, sic congregabantur et advertebant. Aliquando hominibus prædicans, quum hirundinum impediretur garritu, præcepit ut sileant : et protinus parent. Aves cœli indomitas ad se vocavit : mox advenerunt; et eo monente cantabant, nec sine licentia recesserunt.

Quandoque propter infirmitatem visus, compulsus est pati sibi remedium candentis ferri apponi ; sed eo orante, nullum ab igne dolorem sustinuit. Huic Christus cum Virgine Matre atque angelorum multitudine quandoque apparuit. Et breviter, mirabilium quæ per eum Christus operatus est, vix numerus noscitur. Inter quæ hoc præclarissimum exstat, quod vidit in visu Seraph sex alas habentem cruci affixum. In quo tam mirabiliter Christo conformatus est, ut stigmata seu vestigia quinque vulnerum Christi, in manibus et pedibus ac latere Francisci imprimerentur, et usque ad mortem manerent. De quibus ubertim vehementem pertulit pœnam, quia et vera vulnera erant.

ARTICULUS XX.

De variis eximiorum Sanctorum prodigiis, quorum aliqui solem in cœlo stare fecerunt, aliqui mortuos suscitaverunt, aliqui lingua abscisa locuti sunt, alii capita amputata erexerunt atque tulerunt.

Theologus. — De S. Mucio monacho testatur S. Hieronymus secundo libro Vitaspatrum, quod ad discipulum quemdam ante vesperam venire desiderans, sed sole recedente non valens, dixit ad solem : In nomine Jesu Christi Domini nostri sta paulisper in itinere tuo donec ad vicum perveniam. Quod protinus factum est. Simile quoque in sexto libro Vitaspatrum, de sacratissimo abbate Bessarione habetur : qui etiam quandoque ingentem fluvium sine nocumento pertransiit. Insuper de Carolo Magno idem in Historiali speculo scribitur. Dum enim Sarracenos insequebatur, sol ipso orante stetit immobilis donec inimicos Dei et suos occidit.

Philosophus. — Mirabilissima audio, et certe soli Deo universorum dominatori possibilia.

Theologus. — Infinita mihi dicenda occurrunt. Sed quid necesse est plura inducere? Plurimi nempe libri de istis conscripti sunt.

En beatissima virgo Agnes præfecti Romani filium mortuum suscitavit, qui mox clamare orsus est : Unus est (inquiens) Deus Christianorum, et omnia idola vana sunt. In medio ignis illæsa permansit. B. Christiana tribus diebus in fornace ardenti incombusta duravit. Occisa præterea beatissima Agatha, apparuerunt centum adolescentes decori, in illis locis nunquam visi, qui angeli Dei fuisse creduntur, sponsam Christi venerabiliter sepelientes. Gloriosissima insuper Catharina decollata, pro sanguine lac effluxit. Angeli vero corpus ejus tollentes, illud in monte Sinai sepelierunt : de quo nunc usque oleum in plurimorum salutem emanat.

Sanctus pater monachorum Benedictus

tres mortuos suscitavit; nec solum futura atque occulta, sed cordium quoque arcana aperuit. Porro, quid de dulcissimo Christi servo Bernardo omni gratia in domo Dei mirabiliter radiante dicam? Hoc erat ei curare, quod tangere. Sed et mortuum suscitavit. S. Julianus martyr S. Anastasium suscitavit. S. Pontianus leonibus traditur, sed ab eis nullatenus tangitur.

Denique illustrissimus doctor Hilarius, mortuum suscitasse describitur. Sed et filiæ suæ atquė uxori felicem securamque mortem orando obtinuit. Insuper, S. Parmenius, S. Ferreolus et socius ejus, S. Eusebius, S. Aphrodisius, S. Florentinus, S. Hilarius, sanctus quoque Romanus, ac alii multi, lingua pro Christo abscisa, locuti sunt. S. Felix martyr, super aquas ambulavit. S. Tiburtius super carbones ignitos nudis plantis illæsus meavit. Sacratissimam virginem Theclam nec ignis nec bestiæ lædere potuerunt.

Denique sacer Papa Alexander, ad illustrissimum martyrem Hermem clausis carceris januis introivit, ejus filium mortuum suscitavit. S. Narcissus aquam mutavit in oleum. S. Samson episcopus et confessor Christi, quatuor mortuos ad vitam in nomine Jesu reduxit. Sanctus quidam Gregorius montem precibus movit. S. Dunstanus dorso parietem magnum apto loco constituit. S. Albanus et S. Justus caput abscisum manibus suis tulerunt. S. Maximus vivens suscitavit tres mortuos, defunctusque unum.

Sed quid dico de istis? Quæ nempe lingua Mariæ Magdalene et comparis ejus Mariæ Ægyptiacæ, promere queat præconia? Septies quolibet die levabatur Maria Magdalene ab angelis sanctis in aera. Porro illius gloriosissimæ et vere amabilissimæ societatis, Undecim scilicet millium virginum, sanctitatem, laudem atque miracula, me non posse describere digne, cordialiter fateor.

Et breviter, o Philosophe, Sanctorum qui in christiana lege mortuos suscitaverunt, qui nec igne nec feris lædi potuerunt, super aquas ambulaverunt, itemque infinita alia peregerunt, numerus magnus quidem est, sed prorsus incertus. Nec enim in lege antiqua tot, tanta vel talia aliquo modo contigerunt, sicut in lege nova. Nempe, si rite recordor, in tota veteris Testamenti Scriptura, non nisi duo viri, videlicet Elias et Eliseus, mortuos suscitasse leguntur : quorum quilibet unum suscitavit ; sed Eliseus etiam post mortem unum suscitavit.

III *Reg.* XVII, 22; IV *Reg.* IV, 34, 35. IV *Reg.* XIII, 21.

PHILOSOPHUS. — Quia lex nova mirabilior est quam vetus, pluribus eguit signis atque prodigiis. Nunc vero, si tibi videtur, sufficiunt mihi ista quæ tacta sunt, præsertim quum in aliis libris de his plenius instrui valeam.

ARTICULUS XXI.

De S. Patritio et purgatorio ejus, de sanctissima Elisabeth, de divina quoque virgine Catharina de Senis, et de B. Thoma de Aquino.

THEOLOGUS. — Hucusque, Philosophe, tibi de miraculis dixi Sanctorum : quæ tamen protervus negare posset, et si non rationabiliter, tamen pertinaciter.

PHILOSOPHUS. — Utique omnia præinducta miracula in effectu suo satis relucent. Nullatenus enim ambigere potest homo subtilis, quin sine maximis prodigiis mundus ipse ad tam admirabilem fidem ac arduam legem converti nequivit.

THEOLOGUS. — De hoc in præostensis efficacius colloquebamur. Nunc vero unum admirabile dicam, quod tibi nedum mirabile, sed et jucundum insuper erit.

PHILOSOPHUS. — Quid est hoc?

THEOLOGUS. — Si quis Dei providentiam negat, si animæ immortalitatem non credit, si infidelium atque pravorum tormenta, fidelium quoque felicitatem, non admittit; non ad rationem aut prophetiam aut signa eum transmittam, sed ad experientiam rerum et opera.

PHILOSOPHUS. — Hoc declara.

[…dialog. Particu- judicio, … xxiv.] THEOLOGUS. — Quum S. Patritius in Hibernia prædicaret et parum proficeret, dicerentque populi terræ illius, nec miraculis neque doctrina se ad Christum velle converti, nisi quispiam inter eos ista per experientiam nosceret quæ de tormentis ac aliis habita sunt : itaque, orante Patritio, locus ei a Christo ostensus est purgatorium ingrediendi, in quo qui ingressus fuerit, atque in tormentis constans permanserit, infra unum diem ab omni culpæ reatu purgatus exiret. Quidam ergo locum illum ingressi sunt : quorum aliqui virtute divina protecti sunt, et redierunt; quidam autem reversi non sunt. Qui autem redierunt, [Ibid. art.] horribilissima quæ viderunt impiorum tormenta, electorum quoque consolationes, publice prædicaverunt.

PHILOSOPHUS. — Estne adhuc ad hunc locum ingressus?

THEOLOGUS. — Est utique : et ecce si præinductis non credis, nunc te ad experientiam mitto. Si enim quis non credat, veniat ad locum satis famosum in regione Hiberniæ, ad collegium ubi intratur in purgatorium S. Patritii, et experimentaliter sentiet vera esse cuncta quæ dicta sunt, et cernet se in Christi nomine posse dæmonum pœnas evadere.

PHILOSOPHUS. — Quid amplius quæro?

THEOLOGUS. — De hujus loci tormentis, de modo atque periculo introeundi, de his quoque qui eum ingressi sunt, libri conscripti sunt : ideo de isto nunc amplius nil adjungo.

Verumtamen, de domina illustrissima sacrosancta Elisabeth de Thuringia paulisper effabor. Hæc erat regis Hungariæ filia. Cujus tanta erat sanctitas, ac tanta miracula, ut ipsa sola ad fidei corroborationem vere sufficiat. Erat quippe humillima et misericordissima, liberalissima, et in omni caritate divina atque fraterna flammigera. Leprosis, hydropicis, aliisque demum solo visu horrendis, sollicite et reverenter servivit, eosque contrectavit, tulit et fovit. Prætorea, in agone consistens, lætissima erat, et angelici cantus dulcedo

A audiebatur in gutture ejus, ore tamen clauso manente. Sed et inter innumera ejus miracula, etiam quinque mortuos vel sex suscitavit defuncta. Breviter autem concludo, quoniam totum mundum inidoneum ad ejus sanctitatem explicandam existimo.

PHILOSOPHUS. — Libenter hæc audio, maxime de humilitate et pietate ejus in pauperes.

THEOLOGUS. — Fuit præterea istis pene temporibus, virgo divinissima S. Catharina

B de Senis : cui Christus et Virgo Christifera, sanctus quoque Dominicus et B. Thomas de Aquino, uberrime apparuerunt. Quamvis ista miraculis multis in vita atque post mortem claruerit, et tota ejus exterior vita, maxime in abstinentia, quasi quoddam continuum miraculum fuerit, nil tamen miror eatenus in ea, sicut interiorem animæ ejus sanctitatem. Erat enim inæstimabili Dei caritate succensa, et ardentissimo æstuabat zelo pro proximorum salute. Humilitas ejus profundissima fuit, patientia

C nimis mirabilis. Erat quoque mente et corpore purissima virgo. Hanc Deus semel defunctam suscitavit; huic occultissima revelavit; et pro parvis excessibus dire satis, paternaliter tamen, in præsenti vita eam afflixit, quatenus morientem sine omni dilatione amplecteretur et beatificaret.

Altissimas contemplationes, ecstaticos raptus, itemque igniferos in Deum affectus, ubertim sortita est. Sicut et S. Thomas, quem in hoc opere frequenter in-

D duxi : qui erat purissimæ prorsusque innocentissimæ vitæ, et sæpe a terra in aera elevatus est, sicque in aere pendens vicissim visus et inventus est. Denique, cernentibus multis, interdum improvise in divinæ lucis est absorptus abyssum, et ab omni sensuali operatione abstractus, insensibilis factus est.

PHILOSOPHUS. — Qui sunt tituli librorum in quibus ista plene digesta sunt, ut ea inquiram et discam?

THEOLOGUS. — In legendis Sanctorum,

in chronicis quoque Bedæ et plurium, in Speculo historiali, in Historia ecclesiastica, in Martyrologio, in Dialogo S. Gregorii, in Vitaspatrum, maxime in primo libro, in Cæsario, in Passionali, et in aliis pluribus libris, ista diligenter congesta sunt.

ARTICULUS XXII.

Gratiarum actio Philosophi de beneficiis et informatione Theologi.

Philosophus. — De Pythagora legimus quod a discipulis suis nullius corporeæ rei donum aut pecuniæ munus, pro doctrina ejus impensa recipere dignabatur, injustum opinans spiritualia bona corporalibus comparare. Si ergo ille naturalem scientiam, quæ ad veram beatitudinem perducere nequit, tanti appretiatus est : quam ego tibi, o præclare et divine ac sancte Theologe, vicem, recompensationem aut gratiarum actionem impendam, pro omnibus his quæ mihi impertisti, pro tanto labore, tam fideli atque benigna informatione, itemque pro salvatione animæ meæ? Fateor, nil dignum reddere valeo.

A Deum vero omnipotentem exoro ut tibi retribuat.

Theologus. — Quemadmodum ingrato benefacere molestissimum exstat, quantum est ex parte ingrati, sic jucundissimum reor benefacere grato. Ideoque de tua illuminatione, non a me, sed a Deo tibi impensa, atque de recognitione tua humillima, immensas Deo gratias exhibeo. Verumtamen noveris quoniam melius est viam justitiæ ignorare, quam scire et non implere. Ideo satage ut christiformiter con- II *Petr.* II, 21.

B verseris, ne gravius judiceris.

Philosophus. — Ego, o vere peramande nimiumque dilecte Theologe, totis præcordiis exsequi cupio quidquid gratissimæ Dei benedicti et sancti placere voluntati agnovero. Hoc restat et opto quatenus intentissime ores Deum pro me.

Theologus. — Nunc ergo simul laudemus, adoremus, benedicamus, et totis viribus veneremur Deum verum et vivum, benedictum atque sublimem, eique infatigabiliter cum omni reverentia deservire

C conemur : quoniam ipsum solum decet omnis laus, hymnus et gloria, honor, magnitudo et latria. Cujus nomen sit benedictum per sæcula infinita.

Philosophus. — Amen.

FINIS DIALOGII DE FIDE CATHOLICA

INDICES

INDEX S. SCRIPTURÆ

GENESIS.

EXODI.

LEVITICI.

NUMERORUM.

DEUTERONOMII.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

MARCI.

LUCÆ.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

I AD THESSALONICENSES.

III ESDRÆ.

INDEX AUCTORUM

L

M

N

O

P

R

S

T

V

INDEX QUÆSTIONUM D. THOMÆ

SUMMÆ THEOLOGICÆ

SECUNDA SECUNDÆ.

SUMMÆ THEOLOGICÆ

TERTIA PARS.

INDEX GENERALIS

LIBER QUARTUS.

DIALOGION DE FIDE CATHOLICA.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

Emendanda. Pag. 375B', lin. 3 : verbum, *lege* unum (*cf.* de Lumine christianæ theoriæ lib. II, art. 49); *ibid.* lin. 10 : medium... modum; — 501 B', lin. 8 : Elohi... Elohim (*cf.* tom. III, p. 481 C', D').



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.